
image
not
available



BRIXIA SACRA

PONTIFICUM
BRIXIANORUM
SERIES
COMMENTARIO HISTORICO
ILLUSTRATA

OPERA ET STUDIO

JOANNIS HIERONYMI GRADONICI C. R.

ACCESSIT

CODICUM MSS. ELENCHUS

IN ARCHIVO BRIXIANÆ CATHEDRALIS ASSERVATORUM.






BRIXIÆ CIↃIↃCCLV.

Ex Typographia JOANNIS BAPTISTÆ BOSSINI

SUPERIORUM PERMISSU.



ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

JOANNI MOLINO

EPISCOPO BRIXIANO

DUCI MARCHIONI COMITI &c.

Jo: HIERONYMUS GRADONICUS C. R.
SALUTEM ÆTERNAM.



Eum hoc Opus de Brixianis Episcopis non solum inchoatum, sed etiam perfectum erat & absolutum commissumque typographo, cum inopinatus isque gravissimus casus nobis eripuit fulgentissimum hujus Ecclesiæ lumen, castissimis ornatum moribus, & insigni præstantem doctrina Episcopum & Cardina-

nalem Angelum Mariam Quirinum : quo tam graviter ſum perculſus multas ob cauſſas , & præſertim ob eam , quod propter ſingularem ipſius erga me humanitatem , eumdem ſtudiorum meorum ducem , ac propemodum adjutorem habebam , ut animum quaſi deſponderem , & ad abſolvendam Libri editionem vires mihi deeſſe ſentirem . Sed ſumma Dei miſeratione , qui hanc Eccleſiam diu jacere in tenebris ac in mœrore non ſivit , paucis poſt diebus Te , ILLUSTRISSIME ac REVERENDISSIME DOMINE , eidem Antiſtitem donatum cum exaudiiſſem , ad novi & ſplendidiſſimi exortum luminis ita me recreatum ſenſi , ut alacri animo ad Opus emittendum in lucem me accinxerim. Nec ſecus mihi poterat uſuvenire, qui oblatum mihi eidem hoc pacto videbam Mecœnatem , ſive generis nobilitas , ſive morum ſanctimonia , ſive doctrina omniſque ſacræ & profanæ eruditionis ſplendor ſpectetur , ampliſſimum . Nam ſi Antiſtitum cujuſvis Eccleſiæ hiſtoria omni jure confugere debet ad illius Patrocinium , qui ejuſdem gubernacula tractat , quanta lætitia me tunc exſultare oportebat , cum, Te Epiſcopo , ad hanc prærogativam alia omnia, quæ ſummum decent Patronum , accedere intelli-

telligerem ? Nec vereor , ne aliquis me hic adulationis insimulet . Nam præclara Molinorum gesta ab antiquissimis usque temporibus in historia Veneta & præsertim in iis , quæ recenti memoria prodierunt , notiora sunt , quam ut in tanta literarum luce aliquem possint latere , aut hic necesse sit ea persequi longa oratione : ex quibus tamen duorum faciam mentionem , qui literas in tua nobilissima Progenie semper floruisse declarant , Benedicti Procuratoris S. Marci , qui ob insignem in jurisprudentia scientiam ad sextum statuti librum componendum Seculo XIV. *Publica auctoritate fuit electus , & Dominici , cui ut Mecœnati Literarum Italiæ plures Opera dicarunt, & ut Viro in omni literarum genere præstantissimo Gassendus , Boxornius , aliique doctissimi ex exteris nationibus gravissimum sui judicii testimonium tribuerunt* (1). *Tuam vero singularem doctrinam & eximiam eruditionem quis ignorare potest , posteaquam sexdecim ipsi anni sunt , cum gravissimo Auditoris S. R. Rotæ munere functus in fulgentissima Romanæ Curiæ luce verfaris ? in qua quantam Tibi Juris utriusque comparaveris scientiam non ex Legulejo-*

(1) Ex Marci Fuscareni eruditissimo Opere , cui titulus *della Letteratura Veneziana pag. 94.*

lejorum rivis , sed ex fontibus haustam reconditioris Philosophiæ , cujus non unum locum latinis commentariis illustrasti , satis compertum sit ex eo , quod summam apud omnes & præsertim apud Summos Pontifices auctoritatem in sententiis dicendis tibi conciliaveris ; quantum autem eruditione qua sacra , qua profana excellas , illustri argumento sunt cum pretiosa & ampla supellex veterum monumentorum , librorumque omnis generis , & maxime lexicorum omnium linguarum , artium , atque Scientiarum , ut fortasse parem non habeat , tum frequentes Eruditorum in tua domo conventus , & doctissimi cum iisdem habiti sermones , tua domus literarum domicilium mihi ipsi , dum Romæ versarer , visa fuit ; tum vero maxime doctæ & in ipso adolescentiæ flore elucubratæ disputationes de Historia Ecclesiæ Gradensis & Veneti Patriarchatus , deque ineditis Scriptoribus eximia eruditione a Te illustratis , ut in ipso Musarum sinu educatus atque altus esse videaris . Quod si hæc omnia deessent , instar omnium forent clarissimum tuæ singularis doctrinæ monumentum tuæ Pastorales literæ , quas ipso Consecrationis die ad Clerum & Populum Brixia-

num

num dedisti , quasque si animum advertamus ad stili elegantiam & aptam verborum constructionem , cum Auctorum ætatis aureæ epistolis , si ad sententiarum gravitatem majestatemque , cum S. Leonis Magni Operibus jure ac merito comparemus. Eædem vero sic intimiora declarant in hoc amplissimo munere suscipiendo tuæ pietatis erga Deum ac Religionis sensa , talem erga Gregem tibi commissum charitatis ardorem , ac tantum Sanctissimorum Brixianæ Ecclesiæ Antistitum , quos ab antiqua memoria repetis , virtutes imitandi desiderium , ut omnes magnam animo spem conceperint , Te in hujus florentissimæ Diœcesis administratione quam proxime accessurum ad eos , quos Tibi ad imitandum proposuisti. Quare ut eo redeam , unde tuæ laudes me deduxerunt , omnibus patere arbitror , me non temere magna affectum fuisse lætitia , qui Mecœnatem omnibus numeris absolutum , eumdemque Brixianæ Ecclesiæ Antistitem sortitus fuerim. Unum verebar , ne meum hoc Opus exigui plane pretii minus foret dignum , quod tanto Viro offerretur . Verum tuis acceptis literis , quibus ad meas humanissime respondisti , hunc etiam excussi timorem , fretus singularibus tuæ benignitatis argumentis , quibus

bus

bus hocce munusculum Tibi acceptissimum fore significabas, eo etiam nomine, quod Sanctos hinc Episcopos tibi referendi ansa & incitamentum praeberetur. Quamobrem & maximas Tibi gratias ago, quod meum hunc librum tuo Nomine illustrari sinis, & eum Tibi qualiscumque est summo animi obsequio consecro & dico, rogoque atque obtestor, ut quam suo merito gratiam apud doctos viros habere non potest, eam tuo Patrocinio & favore eidem concilies.

D. JA-

y

D. JANUARIUS MARIA DEL PEZZO

Præpofitus Generalis Clericorum Regul.

HOc Opus infcriptum *Pontificum Brixianorum Series*, *Commentario Hiftorico illuftrata &c.* a R. P. Vifit. D. Hieronymo Gradonico Noftræ Congregationis Theologo compofitum, & juxta affertionem Patrum, quibus id commifimus, approbatum, ut typis mandetur, quod ad Nos fpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præfentes literas manu propria fubfcripfimus, & folito noftro Sigillo firmavimus.

Romæ in noftris Ædibus S. Silveftri Montis Quirinalis die 12. Aprilis anno 1755.

(*D. Januarius Maria del Pezzo Præp. Gen. Cl. Reg.*

L. ✠ S.

D. Raphael Venturini C. R. Segret.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

AVendo veduto per la Fede di Revisione ed Approvazione del P. *F. Giacinto Maria Marini* Inquisitor Generale del Sant' Officio di Brescia nel Libro intitolato: *Brixianorum Pontificum Series, Commentario Historico illustrata Auctore Jo: Hieronymo Gradonico Cl. Reg.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza a *Giambatista Bossini Stampatore in Brescia*, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 17. Decembre 1754.

Alvise Mocenigo 2. Rif.

Marco Foscarini Cav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 65. al numero 483.

Giacomo Zuccato Seg.

Adì 17. Dicembre 1754.
Registrato in Libro del Magistrato Eccellentissimo de' Sig. Esecutori contro la Bestemmia.

Giambatista Battisti Seg.

PRÆ-

PRÆFATIO

I. Ocet Sapientum auctoritas, experimento innixa, quantum Religioni Catholicæ propagandæ, quantum Ecclesiasticæ disciplinæ firmandæ aut restituendæ, quantum denique moribus recte constituendis conferat, suorum cuilibet Ecclesiæ Pastorum veram continuamque successionem innotescere, atque res ipsorum gestas, ut obscuritas, & longinquitas temporum patitur, non ignorari. Certum enim est, omnis Historiæ, inprimis vero Ecclesiasticæ cognitionem, testem esse temporum, lucem veritatis, vitæ magistram. Quamquam autem veteri memoria Viri docti ac diligentes in digerenda serie, colligendisque Actis Episcoporum, qui Catholicas rexerunt Ecclesias, multum opere impenderint: quamplurima tamen aliorum diligentiæ reservata fuisse, luculenter demonstrant ii Libri in hoc argumentum conscripti, qui (ut taceam de iis, quos parari audio) recenti memoria in lucem prodierunt, qui tantum abest, ut contemtui habeantur, perinde ac si superflui forent, ut imo, Opera hujus generis esse valde utilia ac necessaria, publico testimonio sit declaratum.

II. Utque aliena omittentes, intra ea, quæ nostra sunt, unice consistamus, suos habet Ecclesia Brixiana Historicos, qui de Episcopis agentes, monumenta in hanc rem posteris reliquerunt. Quis enim primum ignorat, Brixiam certa & continenti suorum Pastorum serie gloriari a Divo nempe Philastrio, septimo inter eos, usque ad B. Rampertum, quadragesimum, hoc est ab ann. Christi CCCLXXX. usque ad DCCCXLIII.? Quam seriem, nobis ab eodem B. Ramperto commendatam in suo de Translatione D. Philastrii Sermone, si monumentum, vetustate, auctoritate, ac pretio invidendum ego dixero, verum dixero. Pretiosum hujusmodi Catalogum omni

jure credendum eſt ſacris e Diptychis petitum. Singulæ enim Eccleſiæ, ut Eruditis vulgo compertiſſimum eſt, priſcis Chriſtianæ Religionis temporibus, quemdam habebant libellum duabus tabulis compactum, qui ab ipſis apud Romanum Imperium Chriſtianæ fidei incunabulis fertur Diptychon vocatus, in quo ſuorum Præſulum vita defunctorum (dummodo recta fide, boniſque moribus inclaruiſſent) nomina in Miſſis recitanda inſcribebantur. Hujuſmodi uſum non ſolum IX., quo Rampertus floruit, ſed etiam XI. ſeculo, fortaſſe etiam XII. obtinuiſſe, ex probatis Scriptoribus in eruditiſſimo Opere *de Sacrificio Miſſæ* (1) Benedictus XIV. Romanus Pontifex jure ac merito affirmat. Aucto deinde Epiſcoporum numero, ne diutius liturgica operatio protraheretur; aut cum ea diſciplina XII. ſeculo eſt introducta, ut Sacerdos non alta, ſed ſubmiſſa voce Nomina, quæ Deo commendata volebat, recitaret, ea conſuetudo in deſuetudinem abire cœpit.

III. Profecto Brixianæ Eccleſiæ gratulandum maxime eſt, quod non ſolum in Rampertiano Indice veluti illud ipſum oſtendere poſſit Diptychum, in quod ſuorum Epiſcoporum nomina ſeculo IX. relata erant (quod decus, vereor, ut alia Italica Eccleſia, ſi Romanam excipias, jactare poſſit): verum etiam ex eo validum deſumere poteſt argumentum, ſi minus de Sanctorum cultu ſuis Epiſcopis tributo, certe de eorum orthodoxia, caſtiſque moribus. Etenim apud Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimos certa res eſt atque explorata, in hujuſmodi Diptychis eos dumtaxat conſcriptos fuiſſe Epiſcopos, de quorum Catholica doctrina, boniſque moribus conſtabat; eos vero prætermiſſos, qui in hæreſim, vel in aliud grave crimen inciderant, ex quorum numero, ſi forte aliquis irrepſiſſet, continuo, re deprehenſa, expungebatur. Quam conſuetudinem in Rampertiano Indice vidimus obſervatam; quippe in eo deſideratur Berticanus, quem inter Dominatorem, & Paulum ſediſſe liquet, quemque D. Gregorii Magni teſtimonio innixi, labe ſimoniaca vitiatum ex improviſo diem extremum morte confeciſſe, ſuo loco oſtenſuri ſumus.

IV. Poſt Rampertum, plures habemus, qui noſtrorum Epiſcoporum, ſive catalogis contexendis, ſive rebus illuſtrandis in-

(1) Sec. I. num. 139.

incubuerunt. Eorum nos, qui vita decesserunt, labores, ut suus cuique honos constet, utque, quid a nobis præstitum sit, intelligatur, paucis hic recensebimus.

V. Primus itaque occurrit Jacobus Malvetius ex illustri inter Brixianos, fortasse etiam Mutinenses & Bononienses familia prognatus, qui in Patria historia, quam a condita Urbe ad annum MCCCXXXII. perduxit, haud pauca eam in rem posteritati conservavit (2). Sequitur Elias Capreolus nobilibus itidem inter Brixianos parentibus natus, qui breviorem, quam Malvetius, Patriæ historiam concinnavit a prima origine deducens ad annum MDX.

VI. Post hunc, Marinus Georgius unus ex Brixianis Episcopis commemorandus est. Cum enim Sanctus Carolus Borromæus inter alias, quas ad veterem ecclesiasticam disciplinam restaurandam leges accomodatissimas præscripserat, eam tulisset (3), qua unicuique ex sua Mediolanensi Provincia Episcopo præcipiebatur, ut eorum, qui eum præcesserant, nomina, genus, & Pastorales actiones diligentissime conquiri, atque, ut in Atrio Episcopii pingi curaret eorum Nomina, si minus omnium, eorum saltem, qui sanctitatis, aut doctrinæ, aut rerum Episcopalium gestarum laude clari erant: Marinus utrumque Seculo XVII. ineunte sua hac in Ecclesia exequutus est; namque in majori Episcopii Aula singulorum Præsulum, cura Antonii Gandini pictoris, imagines effingi curavit, cujus rei memoria posteris consignata fuit hac inscriptione, quæ in vestibulo januæ orientalis legitur.

Marinus Georgius Episcopus
Aulam hanc
Ære suo extructam, atque ornatam
D. Anathalonis, & Successorum
Memoriæ dicavit
Anno Dñi M. D. C. X.

 Eorum-

(2) Malvetium, cum anno MCCCCXII. contagiosa lues Urbem invasisset, ad placidas Benaci lacus undas se contulisse, consiliumque cepisse conscribendæ Patriæ Historiæ, narrat ipse in proœmio: exorsus autem ab Urbis origine narrationis filum perduxit ad annum Christi MCCCXXXII. Anno autem MCCCCXL. repentino obiit: Vvossio innotuit hoc Opus, de quo tulit judicium Libro de Historicis Latinis III. cap. 9. Muratorius autem omnium primus edi curavit Tom. XIV. Rerum Italicarum.

(3) In Concilio Provinciali III. Tit. de Episcopis pag. 86.; & in Concilio Provinciali IV. Tit. de Episcopis pag. 227.

Eorumdem vero Episcoporum gesta ut simul colligerentur; demandavit Francisco Florentinio Gottalengi primum, deinde Sajni Parocho, qui ex duplici Tabulario, Brixiano & Vaticano, nostrorum Episcoporum Indicem contexuit, in quo præter rerum gestarum summam, ordinem quoque inter ipsos, gestique Sacerdotii tempus notavit. Prodiit hic Indiculus Brixiæ apud Bartholomæum Fontanam anno MDCXIV. Alium deinceps paraverat Florentinius Catalogum copiosiorem, quem tamen morte, qua functus est anno MDCXX., interceptus edere non potuit: is tamen Sociis Bollandianis, ad quos miserat apographum Bernardinus Faynus, usui fuit ad dies XXII. Aprilis in S. Cypriano Tom. II. Aprilis pag. 849.: XXVII. ejusdem mensis in Theophilo pag. 494.: & XX. Maji in S. Anastasio Tom. V. Maji pag. 226. Asservatur etiamnum in Chartulario Patrum Oratorii S. Philippi Nerii Brixiæ, qui germanæ pietatis, bonarumque literarum seduli sunt cultores. Eum Indicem haud parum mox ostendemus profuturum Patriis illustrandis memoriis, præcipue sacris, quibus e tenebris obscuræ antiquitatis eruendis atque colligendis plurimum ipse adlaboravit, unde non solum apud Brixianos, verum etiam apud nonnullos aliarum Urbium doctos Viros haud exiguam consecutus est nominis gloriam. Aliud etiam Opus conscribendum sibi sumserat alter Brixianæ Sacræ Militiæ alumnus, ejusdemque Urbis civis Bernardinus Faynus, *in quo omnium Brixianæ Sedis Episcoporum in Lombardia quascumque memorias abs pene innumeris Scriptoribus, variis monumentis, libris Civitatis, Scripturis publicis, Archiviisque diversis uno volumine congesserat;* verum magnum hoc Opus lucem non vidit, sed illius quoddam veluti specimen publico exhibere voluit Volumine, quod ita inscripsit: *Cælum Sanctæ Brixianæ Ecclesiæ*; atque dicavit Petro Ottobono Cardinali, ejusdemque Ecclesiæ Episcopo; editum fuit Brixiæ ann. MDCLVIII. typis Antonii Rizzardi: paucis deinde elapsis annis, publici juris fecit eisdem typis Martyrologium S. Brixianæ Ecclesiæ, Marino Joanni Georgio Urbis Episcopo nuncupatum, in quo Sanctorum gesta recensentur, quibus Brixiana Ecclesia specialem habet honorem. Obiit Faynus pridie Idus Januarii anno MDCLXXIII. Quo vero tempore Faynus Ecclesiæ Brixianæ

res illuſtrare toto animo contendebat, eodem Ferdinandus Ughellus Tom. IV. Italiæ Sacræ ſuam in Epiſcopis noſtris illuſtrandis poſuit curam.

VIII. Silentio prætereo Aſcanium Martinengum, Joannem Baptiſtam Nazarium, & Leonardum Coſſandum, alioſque multos, quorum Catalogum contexuit Faynus in tertio ex indicibus, quos poſuit ad calcem Martyrologii Brixiani; propterea quod licet ad res Patrias ſuam quique ſymbolam contulerint, de Epiſcopis tamen pauca, eaque omnia, ſive a Malvetio, ſive a Florentinio hauſta, referant. Prætereo quoque Galeſinium, Baronium, Ferrarium, de Aſte, Caſtellanum, Socioſque Bollandianos, cum eadem prorſus attulerint, quæ in ſupra commemoratis obvia ſunt.

IX. Noſtris tandem temporibus Paulus Galeardus principis hujus Eccleſiæ Canonicus, vir cum politioribus, tum ſacris literis peritiſſimus, morum caſtimonia, rerumque agendarum prudentia ornatiſſimus, eorumdem Epiſcoporum geſtis egregiam lucem affudit. Nupero inprimis Italiæ Sacræ Ughelli Veneto editori uberes notas, novaque monumenta anno MDCCXIX. ſuppeditavit, quibus Brixianorum Epiſcoporum geſta in IV. Ughelliani Operis Tomo jam recenſita, fuerunt correcta, ſuppleta atque aucta: anno vero inſequenti S. Gaudentii Epiſcopi geſta recenſuit in editione Sermonum ejuſdem Sancti, quos ad fidem mſs. Codicum recognitos, eruditiſque notis aſperſos juſſu Joannis Franciſci Barbadici, eodem tempore ex Veronenſi ad Brixianæ Eccleſiæ regimen translati, edi curavit nitidiſſimis typis Patavinis Joſephi Comini: Venerabilium quoque noſtrorum Epiſcoporum Ramperti & Adelmanni nomina meliori luce in eodem Volumine, plurimi a Sociis Bollandianis facto, donavit.

X. Præſtantiorem deinde operam collocavit in Collectione Operum quatuor ejuſdem Eccleſiæ Patrum & Epiſcoporum SS. Gaudentii & Philaſtrii, B. Ramperti, & Ven. Adelmanni. Etenim cogitans Epiſcopus noſter Angelus Maria Quirinus S. R. E. Cardinalis & Bibliothecarius, in ſuo munere majori cum laude Epiſcopos non poſſe verſari, (4) *quam ſi conatus*

 ſui,

(4) Eminentiſſimus Epiſcopus noſter Angelus Maria Quirinus in nuncupatione ad Summum Pontificem Clementem XII. Collectionis quatuor Veterum Patrum atque Epiſcoporum Brixianæ Eccleſiæ.

ſui, atque labores eo colliment, ut priſcis Eccleſiarum monumentis lux magis accedat ac veneratio, illud cepit conſilii, ut in unum Volumen collecta repræſentaret quatuor ſuorum Anteceſſorum, ſimul & Doctorum ſcripta, quibus Religionis noſtræ dogmata & mores mirum in modum muniuntur atque illuſtrantur. Ad tantum opus obeundum, quod publicæ expectationi atque utilitati reſponderet, ſelectus provide fuit Galeardus, qui cum accurata Codicum collatione, tum eruditis præfationibus atque notationibus, in provincia ſibi demandata ita feliciter verſatus eſt, ut ſplendidiſſimum Volumen in lucem emiſſum Brixianis formis Jo: Mariæ Rizzardi anno MDCCXXXVIII., Eminentiſs. Epiſcopo pecuniam omnem ſuppeditante, omnium laudibus commendatum ſit. Hinc occaſionem ſumſit Galeardus non ſolum ea retractare atque augere, quæ de Gaudentio & Ramperto in Patavina editione literis conſignaverat, verum etiam Sancti Philaſtrii, & Vener. Adelmanni geſta in bona luce collocare.

Poſt hæc in Martyrologium Brixianum, inque Brixianorum Epiſcoporum indicem ad exactioris criticæ, hiſtoriæque Eccleſiaſticæ regulas exigendum incumbebat, jamque ad menſem Julium Martyrologium perduxerat, cum ecce undecimo Auguſti die anni MDCCXLII. acuta febri correptus poſt triduum e vita eripitur maximo literarum detrimento, Bonorumque omnium mœrore.

XI. Præter hæc, ſunt & alia nondum typis edita Brixianorum ingeniorum in eamdem rem ſcripta. Octavius Rubeus nobili genere apud Brixianos natus, haud pauca de noſtris Epiſcopis habet in Patria Hiſtoria, quam ad umbilicum perducere, nedum publica luce donare non potuit ereptus e vivis anno MDCXXX., de quo illud memoratu dignum arbitramur, quod cum hiſtoriam ad annum uſque MCCXXIII. perduxiſſet, manuſcriptum Opus ſubreptum eſt ſibi, neque ſedula adhibita indagine, quibus in manibus eſſet, comperire unquam potuit. Factum ejuſmodi narrat ipſe in hiſtoria, quam rurſus aggreſſus eſt: nam ea de re non excidens animis novam concinnavit ex iis, quæ apud ſe fuiſſe monumenta credibile eſt, ſed tamen in ea contexenda non eſt annum MCX. prætergreſſus. Hujus exemplaria non admodum rara: autographum eſt apud Nob. Virum Teſeum Lanam. Nihilominus

ſer-

ſervatur adhuc, faventibus ſuperis, illud, quod Rubeus ſubreptum ſibi eſſe conqueſtus eſt, quodque hactenus, dolo fortaſſe occultatum latuit, nunc demum pervenit ad manus Abbatis Conſtantii Zinelli Juris utriuſque periti, qui optimæ notæ libros ſumma cura & ſtudio conquirit. Hoc aliud non eſſe fidem faciunt, cum ea, quam ipſe Scriptor Rubeus facit, ejuſdem deſcriptio, tum mutationes emendationeſque eadem manu exaratæ, tum conſtans, quæ inter hoc primum & alterum ſuprамemoratum Scriptoris fœtum intercedit, rerum convenientia, tum denique numerus Librorum ſeptem ſupra triginta, quibus conſtat mſ. Zinellianus Codex. Eodem quippe numero conſtabat primus ejus labor, cui ultimam adhibuiſſe manum annos pariter natum ſeptem ſupra triginta ille ipſe auctor eſt in Epiſtola Petro Paulo Tozzio data, quæ legitur pag. 173. Collectionis ſuarum Epiſtolarum. Sunt etiam apud Patres Oratorii Sancti Philippi Nerii, quos modo laudavimus, chartæ & codices non pauci, recentioris tamen ætatis, a Fayno partim collecti, partim elucubrati, ultimaque voluntate Oratorianis Patribus donati, ex quibus memoria dignus eſt Catalogus Epiſcoporum Brixianorum per Alexandrum Tottum Brixianum Congregationis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, manu conſcriptus, notulis quibuſdam aſperſus, atque deductus ad annum MDLIX., quo Dominicus Bollanus Brixianæ Eccleſiæ regimen iniit. Haud parvo in pretio habendum eſſe hunc catalogum arbitramur, propterea quod intruſi non legantur Antigius & Evaſius; neque exordiatur a S. Barnaba, quod argumento eſt, effictum fuiſſe & expreſſum, vel ex Rampertiano, vel ex noſtro Indice, quo de mox dicturi ſumus. Præter hunc Indicem alia ab eodem Alexandro, viro ſua tempeſtate docto & celebri, collecta fuiſſe eamdem in rem, liquet ex Sociis Bollandianis, qui ex ejuſdem mſs. per Faynum acceptis Tom. III. April. pag. 619. Acta referunt translationis SS. Evaſii Martyris, & Cypriani, Pauli, & Deuſdedit noſtrorum Epiſcoporum in Eccleſiam S. Petri in Oliveto. Obiit Tottus anno circiter MDLXX. (5). Sunt & apud Canonicos Lateranenſes S. Aphræ miſcellanea multa, quæ Theodoſius Burgundius (6) Abbas ejuſdem S. Congregationis confecerat, in qui-

a 4 bus

(5) Coſſandus *Libreria Breſciana* pag. 18.

(6) Obiit Burgundius die 8. Martii 1716.

bus tamen præter magnum exantlatum laborem in exſcribendis ex Baronio, Bollandianis, Tillemontio, Fayno & Rubeo locis quamplurimis, præter laudandam erga Patrias res voluntatem, pauca ad Epiſcoporum Brixianorum geſta illuſtranda invenies. Etenim eorum geſta diſcutiuntur, qui quatuor duntaxat, aut quinque prioribus Eccleſiæ ſeculis floruerunt. Nec mirum; caruit enim hic vir, ceteroquin eruditus, ea librorum ſupellectili, qui ad ſequiorum ſeculorum hiſtoriam pertinent, quibus nunc poſt ſuſceptos a Gallis, Italis, Germaniſque labores, feliciter abundamus, & ſine quibus nihil laude dignum in ejuſmodi ſtudiis afferri poteſt.

XII. Tot autem Scriptorum labores ſatis noſtrorum hiſtoriæ Epiſcoporum conſuluiſſe, ut nihil addi, nihil emendari poſſit, neminem fore credo, qui hoc facile affirmet. Omitto enim, aliquos ex ſupralaudatis Scriptoribus nihil, ut ante indicatum eſt, aut parum publici feciſſe juris: multa in Bibliothecarum forulis jacere, quæ niſi manus amica prodat, Epiſcoporum geſtis illuſtrandis inſervire nequeunt: nonnulla ex iis, quæ præſto ſunt, utilia quidem eſſe poſſe cuicumque allaborare ac progredi cupiat, at per ſe manca & imperfecta ſitim extinguere legentis non poſſunt. Talis eſt Index Florentinii, talis Fayni Catalogus. Illud etiam omitto, eoſdem Scriptores multas ex veteribus chartis latuiſſe, quas docti noſtra tempeſtate Viri ex Tabulariis & Bibliothecis pene univerſi Orbis eductas publicarunt, magnum ipſas profecto ſubſidium, ut docet experientia, Hiſtoriæ cum generali, tum ſpeciali. Hæc omnia inquam, omittens, in celebriores ex memoratis Scriptoribus ſolum aliquid inquiram; unde, puto, fiet ut quiſque fateatur, eum non opera & tempore abuti, qui eamdem ac illi tundere incudem aggrediatur. Malvetius enim quantumvis ſcrutatus ſit cum publica, ut vocant, Regeſta, tum aliquot ex Patriis Chronographis, quorum memoriam, ſive temporis edacitas, ſive alii caſus obliterarunt; nihilo tamen minus ad conficiendum indicem, atque ad illuſtranda geſta eorum Præſulum, qui ante ſeculum X. hujus Eccleſiæ regimen tenuere, non ſolùm parum ille contulit: verum etiam, ſi in figenda chronologia non alium adhibebimus ſponſorem & arbitrum, ad ſingulos ferme paſſus prolabemur. Octavius autem Rubeus nimiæ creduli-

dulitatis arguitur, apochrypha monumenta, futilesque populares traditiones secutus; nulla præterea in eo excusatione dignus, quod seriem Episcoporum confuderit, a tutissima Ramperti auctoritate recedens. Quorum sphalmatum hæres Bernardinus quoque Faynus, ejus assecla factus est. Constat etiam, Faynum vetera documenta aut male percepisse, aut negligenter transcripsisse. Ceterum magna ejusdem laus est, quod de publico benemereri maxime studuit nulli parcens labori; ideoque titulum *studiosissimi* nactus apud Bollandianos (7).

XIII. In Florentinio judicium & diligentia sese produnt. Hujus labores valde commendarunt Joannes Petrus Puricellus, aliique in Epistolis ad ipsum datis (Brixiæ asservantur mss. in Bibliotheca Patrum Oratorii): eidem tamen ipsi amici auctores fuerant, ut sua diutius premeret, nec tam cito ad prælum properaret: quæ tamen reliquit adversaria, haud parvæ futura sunt conscribentibus Brixianam Ecclesiasticam Historiam utilitatis, quippe chartæ multæ in iis exscriptæ sunt ex vetustis, quæ tunc Brixiæ erant, monumentis, ex Archivo potissimum, quo de frequens occurret in nostro Opere mentio, S. Petri in Oliveto: dummodo tamen diligenti studio Chronicæ notæ animadvertantur, in quas menda aliquando irrepsisse, dubium nobis haud raro subortum est. Ne ipsi quidem Capreolo, quod spectat ad nostrorum gesta Episcoporum, satis acquiescere possumus. Quamvis enim in Antiquitatibus Brixiæ profanis, quas collectas primus omnium prodidit, acris igniculos judicii identidem ostendat, vetustasque haud raro adhibuerit chartas, rem tamen Episcoporum sua in Historia confusam admodum reliquit; in quo profecto excusandus, utpote qui ea incidit in tempora, in quibus ratio sat probe callendi res accurateque scribendi desiderabatur. Præterquamquod experimento certi sumus, Malvetium magna adeo ex parte ab eo exscribi, ut verisimile sit quod affirmat Rubeus in Elogiis, & ex eo Cozzandus in libello de Plagiariis pag. 210., ejus Opus esse Breviarium Historiarum Brixianarum, quas elucubravit, sed publico non dedit citatus Malvetius: quod tamen si verum est, de XII. prioribus Capreoli libris certum est intelligi debere.

Quod vero ad seriem spectat Episcoporum, quam postrema Ughelli editio exhibet, additamentaque & adnotationes Ca-

nonici

(7) Tom. III. Aprilis in S. Paulo primo hujus nominis Episcopo nostro pag. 628.

nonici Galeardi multum commendabiles, præterquamquod constat, festinatas festinante prælo fuisse, illud satis erit meminisse, quod mihi haud semel ipse fassus est ultimis vitæ suæ annis, se de nova emendatiori & ampliori editione paranda cogitasse. Quod consilium indicabat, aliquid, ejus judicio, in Episcoporum historia desiderari. Neque huic multum subsidii afferunt, quæ ad eam de novo texendam quædam veluti stamina reliquit. Nihil enim in hanc rem hactenus consequi potuimus præter nonnullas ejus adnotatiunculas manu exaratas in marginibus Martyrologii Brixiani, cujus auctor est Faynus, existentis in laudato Oratorii Chartulario, ac præter quasdam chartulas volantes. Unde facile colligitur, nostrorum gesta Episcoporum nova cura & majori diligentia indigere.

XIV. Ego tamen nihil minus cogitabam, quam de hoc onere suscipiendo, quippe studiis diversi omnino generis intentus. Sed *autographum* nactus, quod complectitur ineditum Brixianorum Episcoporum Catalogum, quo non alter (quod sciatur) vetustior, si eum Ramperti excipias, quippe anno MCLXXXV. primo conscriptus; hujusmodi, inquam, autographum nactus, mihi temperare non potui, quin humeros oneri subjicerem: quamdam vim mihi fieri sentiens, ut ne tam pulchram occasionem illustrandæ Brixianorum Pastorum historiæ ignaviter abire sinerem. Laudatus Catalogus oculis legentium in quarto Dissertationis Procemialis Capite exponetur: additasque illi manu recentiori notas appingemus suis quasque locis in paginarum margine, minutiori charactere distinctas, paucas nos subnectemus arabicis numeris indicatas.

XV. Itaque edita atque inedita Brixianorum Scriptorum, quibus multum me debere profiteor, Opera percurrere ac expendere sedulo curavi. Deinde ad inspicienda Urbis tabularia me contuli, quæ meis votis satis responderunt; meque hujus perquisitionis haud pœnitet, propterea quod hinc varias notitias, & non spernenda medii sequioris ævi monumenta haurire contigerit. Eadem inemendata plerumque dabimus, fidelitati potius quam grammaticæ obsequentes, plurimum nihilominus habitura & auctoritatis ad probandum, & jucunditatis ad legendum. Cum autem in Illmi ac Rmi Cathedralis Capituli Archivo deprehenderimus mss. pretiosæ antiquitatis Monumenta & nostram & universam sacram rem mire illustrantia,

tia, gratum perinde ac utile Lectoribus futurum existimamus, si integrum eorumdem Indicem, Appendicis loco, iisdem tradamus. Insignes, quas potui, Historiarum, Chronicorum, & documentorum Collectiones, quæ in Italia, aut extra prodierunt, volvere, ac consulere non prætermisi. Immo quoties datum fuit, non prætermisi conferre cum mss., quæ ab aliis edita fuere ad hanc Ecclesiam spectantia. Accidit autem (de quo summopere mihi lætandum), ut scribenti obvenerit Brixianarum rerum quædam Historiola nondum edita complectens ea, quæ ab anno DCCLXXIV., ad exitum sequentis seculi evenerunt. Ipsa pretiosissima est, tum ob rara documenta, quæ continet; tum quia magno adminiculo esse potest generali eorum temporum historiæ, quacum optime consentit: inscriptum in fronte gerit nomen auctoris sui, qui est *Ridolfus Notarius*. Diligentia, qua hic utitur in rebus narrandis & notandis Indictionibus, fidem manifestam facere videtur, ea quæ narrat, sibi a Majoribus fideliter esse tradita. Contexta fuit, ut probabile videtur, seculo XI., uti notabimus in Comment. de Udulrico. Eumdemque crederem illum Ridolfum, qui scripsit quamdam stipulationem, relatam in Librum *Poteris*, de quo in Udurico. Vetustius de Brixianis rebus monumentum non habemus; autographum latet: apographum sat vetustum est. Hoc integrum a Joanne Maria Biemmio Sacerdote Brixiano in Patriis rebus versatissimo proferetur Tomo secundo suæ de Brixia Historiæ. Tantus Amicus tantum monumentum nactus nobis communicavit (8). Aliam præterea breviorem ipse mihi dedit Biemmius historiolam hactenus incognitam, quam acceperat ab erudito Trombellio Abbate S. Salvatoris Bononiæ diligenter exscriptam ex Charta pergamena, quæ Bononiæ asservatur in locupletissima Bibliotheca sui Monasterii. Laconica est, & plerumque agit de profanis. Quocirca modicæ quidem, sed nonnullius utilitatis fuit: quippe apta ad commode adscriben-

(8) His scriptis in lucem prodiit ea historiola in fronte alterius Tomi Brixianæ Historiæ ab ipsomet Biemmio conscriptæ, cujus primus Tomus lucem viderat eo ipso anno, quo nostrum hoc Opus ms. pene ad finem deductum erat, teste Clar. Doneda in Opere anonymo, cui titulus. *Osservazioni istorico-ecclesiastiche sopra il Tomo primo dell' Istoria di Brescia ec.* typis Brixianis edito anno 1749., pagina enim 27. hæc habet de nostro Alberto loquens: *come averà da dimostrare il . . . . . P. Giangirolamo Gradenigo Teatino nell' Istoria de' nostri Vescovi, che ha quasi condotta al fine*. Quod ea de caussa significavi, ut omnibus compertum fieret, siquid est in meo Opere, quod iis, quæ ab ipso scripta sunt, advertetur, non me, qui jam Opus elucubraram, ab ipso, sed potius ipsum a me dissensisse.

bendum factis, quæ narramus, suos dies, & ad confirmandum aliqua ex iis, quæ recentiores Scriptores literis consignarunt. Ipsa complectitur annos quinque supra nonaginta; exorditur enim ab anno MCXVII., desinit autem in anno MCCXIII.

XVI. His subsidiis conatus sum res Episcoporum non solum concinnare, verum etiam illustrare obscuras interdum & dubias, aut ob potiorum defectum monumentorum, aut ob Scriptorum discrepantiam. Meam addere sententiam non peperci, quotiescunque id me non temere facturum putavi. Ubi tamen lento gradu incedere placuit: malui sæpius alieno judicio deferre, quam meo quidpiam tribuere. Ubicunque sine veri detrimento fieri potuit, cavi ullis ex Scriptoribus adversari: frequentius vero conjecturis quam assertionibus usus sum. Pleraque enim (vetera inprimis), quæ tractanda suscipimus, illius sunt generis, de quibus dicere possumus: nos probabilia multa habemus, quæ sequi facile, affirmare vix possumus. Res Urbis Civicas raro admodum & tunc solum quando Episcopales attingunt, commemoravi, propterea quod ad eas diligenter tractandas, & alta profanæ antiquitatis cognitio, & otium nobis defuerit. Veteres quas habere potuimus chartas, suis quasque locis inseruimus, eorum non prætérita mentione, qui in eam rem alicujus nobis fuere subsidii.

XVII. Quibus omnibus rebus nobiscum actum feliciter putabimus, si illud ab Eruditis testimonium consequi poterimus, quod Antipatro, qui Romanam historiam majori diligentia, quam superiores historici, scripserat, Cicero tribuit: Scriptores admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent; quem sane laborem jure ac merito postulat amplissima *Diœcesis hæc, quæ*, teste S. Carolo Borromæo (9), *cum amplitudine sua, tum etiam Parochiarum numero Diœceses Italiæ omnes (Mediolanensi duntaxat excepta) facile superat*. Reipsa Pontifices ad ejus gubernacula sedere prudentia & dexteritate conspicui, scientia & eruditione ornatissimi, pietate & sanctitate celeberrimi. Ex istis triginta a Fayno, viginti vero novem ab Ubertino Pusculo in Oratione ms., de laudibus Brixiæ (10), & Florentinio numerantur: nos tamen viginti duntaxat & octo recensebimus, ne a probatissima auctoritate recedamus Catalogi Ven. Ramperti,

(9) S. Carolus in Actis Visitationis hujus Ecclesiæ, quæ asservantur in Tabulario Episcopali.

(10) In Oratione, quam de laudibus Brixiæ habuit, quamque in lucem emittere cogitamus.

perti, & nostri ms., nec non a sententia peritissimi Canon. Galeardi, ut suo loco constabit. Ii omnes, quorum series ad Seculi septimi inclinationem producitur, universalis Ecclesiæ honoribus donati, utpote Rom. Pontificum auctoritate in Baronii Martyrologium relati, quatuor tantum si excipias, nimirum, duos Paulos, Cyprianum & Rusticianum.

Illud ultimo loco Lectores monitos esse velim, hunc me laborem lubentius aggressum esse, ut Brixianis (quorum sacris commodis multis ab hinc annis, quantum ingenii viriumque mearum imbecillitas patitur, inservio, quos unice, tot velut meos conterraneos atque amicos, amo, quorum denique plurima erga me amoris argumenta experior) publicum hoc mei erga illos obsequii, mutuique amoris perenne monumentum exhibeam.

DIS-


DISSERTATIO PROŒMIALIS
IN QUINQUE CAPITA DISTRIBUTA

Quæ hactenus enarrata sunt satis viam muniisse videntur ad id, quod nobis in hoc Opere propositum est. Verum ut iis, quæ de singulis quibusque Episcopis dicturi sumus, lux major accedat operæ pretium arbitramur, etiam aliqua præfari in quinque Capita dispertita.

Caput I. De primo Brixianæ Ecclesiæ capite ac Fundatore.
Caput II. De quatuor Sanctis Patronis.
Caput III. De antiquissimo hujus Ecclesiæ statu.
Caput IV. De antiquitate & usu nostri Catalogi, quem edimus.
Caput V. De Fragmento Martyrologii Adoniani ex Cod. Vaticano.

CAPUT I.

De primo Brixianæ Ecclesiæ capite ac Fundatore, idest, an S. Barnabas Evangelii lucem huic Ecclesiæ affuderit, & de tempore quo in Sacris Brixianorum Ephemeridibus, vulgo Calendariis, cœptus sit vocari ejusdem Ecclesiæ Fundator.



Elix profecto est magnumque decus; posse evolvere ordinem Episcoporum suorum, ita per Successores ab initio decurrentem, ut pristinus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis Viris, qui cum Apostolis perseveraverint, habuerit Auctorem. Utinam decus hoc, quod a Tertulliano (1) jure ac merito vocatur magnum & invidendum, Venerabili Brixianæ Ecclesiæ, cujus Episcoporum seriem & gesta præclara e monumentis, quantum fieri potuit, probatæ fidei & antiquitatis eruta, recensere aggredior, tribuere certo possem. Laboris hujus initium mihi contigisse feliciter gloriarer, quod fieret, si quæ de Apostoli Barnabæ verbi Divini prædicatio-

(1) De Præscriptionibus num. 132.

catione in hisce Cisalpinæ Galliæ partibus , deque metropolitico jure ab eodem Mediolani fundato, Scriptores aliqui literis consignavere, firma & inconcussa haberentur ab iis, quos literaria Respublica sedulos veritatis historicæ indagatores suspicit; Cujusmodi sunt, inter alios, Papebrochius, Tillemontius, Mabillonius, Bacchinius, Muratorius, Fogginius, utque alios taceam, Gaieardus, & Astezatus, uterque Brixianus. Sed illa apud hoc hominum genus tanti non sunt, ut nullus reliquus fiat dubitandi locus. Instar omnium sint proxime laudati Galeardus, & Astezatus; primi sunt ista verba in mss. adnotationibus ad Martyrologium Fayni ad diem XI. Junii, qua Faynus sibi sumserat statuendam Epocham adventus S. Barnabæ Apostoli in Italiam : *O curas hominum ! illud prius erat probandum firmioribus argumentis , atque ex antiquitate petitis , utrum Barnabas unquam in Italiam appulerit , antequam tam operosus sermo de adventus chronologia haberetur . Scimus quid de hoc narretur in Recognitionibus Clementis , at cujus auctoritatis ea sint norunt eruditi*. Astezatus autem inquit (2) *hanc* (Religionem Christianam) *Brixiæ primum invectam, ac promulgatam primo Seculo Ecclesiæ , sive a Barnaba Apostolo , ut Brixianis , Bergomatibus , ac Mediolanensibus historicis persuasum , sive ab Anathalone , aut Apollinari , quod melioris notæ emunctiorisque naris Scriptores probant , satis compertum est* .

Neque aliquid gloriæ illi scriptores detrahere sibi videntur inclytæ Mediolanensi Urbi ; multorum enim est opinio , quam probabilibus rationibus defendit Benedictus Bacchinius ex Urbium dignitate (3) non accessisse Episcopis titulum sublimiorem . Ad id confirmandum, præter alias urbes , Brixiam quoque proponit Antonius Caracciolus (4) .

Porro de prærogativa successionis Episcoporum, ab Apostolis ipsis ductæ , licet gloriari certo non possimus , nihilo tamen minus gloriari certo possumus , adeo vetustam esse nostram de Apostolo Barnaba traditionem , ut prorsus vero sit simile , nullo unquam tempore obsolevisse illius Apostoli apud Brixianos cultum , utpote qui hujus Ecclesiæ Mediolano quamproximæ Conditor habitus sit & Parens. Cum enim ex altera parte nihil sit ab adversariis usque ad hanc diem productum, quo anti-

(2) Astezatus in prolegom. ad Evang. Manhelm. pag. LX.

(3) De Eccles. Hierarch. Origine Par. II. pag. 341.

(4) De sacris Ecclesiæ Neapolitanæ monumentis Cap. 1. Sec. 10. pag. 4.

antiquissima traditio ne enervari quidem possit: ex altera vero, cum eadem res argumentis non adeo certis innotescat, ut certiora ad eamdem pro certo statuendam non cupiamus, hinc sperare licet, fore ut nullius nos reprehensionem incurramus, dum eam sequimur methodum, qua Brixianæ Ecclesiæ neque vera laus detrahitur, neque falsa appingitur. At vero hujus Ecclesiæ monumenta, cum nihil suppeditare nobis potuerint, quo rationes confirmaremus a Cl. Saxio propositas in Vindiciis de adventu Mediolanum S. Barnabæ Apostoli (5), iccirco ab hujus concertationis discussione nosmet cohibere maluimus, contenti Lectoribus auctores esse, ut laudatum Saxii Opus perlegant, quo nihil doctius & moderatius arbitramur in lucem emissum, quod pertineat ad S. Barnabæ in hasce Galliæ Cisalpinæ partes Apostolatum.

Quod vero a nobis minime esse prætereundum putamus, illud est, traditionem hanc publicas in Tabulas Brixianæ Ecclesiæ cœptam fuisse referri inter annos MDLXXXI., & MDXCV. quod circiter tempus, Divinorum Officiorum Ordines putamus cœptos fuisse formis imprimi (6). Etenim neque in nostro, neque in eo, quem Tottus descripsit, in præfatione commemoratum, neque in aliis mss. Episcoporum catalogis, neque in hujus Ecclesiæ Ordinibus Divini Officii (qui vulgo Calendaria dicuntur) quorum plerosque ante artis typographicæ ortum conscriptos, nos in Cathedralis Archivo animadvertimus, nulla occurrit fundationis Brixianæ Ecclesiæ per Apostolum Barnabam factæ mentio. Verum quidem est, in additionibus ad Martyrologium ms. Bartholomæi Peregrini, quod teste Galeardo (7), Brixiana Ecclesia ante Baroniani Martyrologii usum legebat, nonnulla de Barnaba Apostolo inveniri: at nihil omnino de disputata fundatione haberi, testis est idem Galeardus; ex editis vero tabulis primam ejusdem Fundationis mentionem offendimus in ea, quæ pro anno MDXCV. impressa est a Vincentio Sabbio Brixiano impressore, ubi die XI. Junii hæc exstant verba: *Barnabæ Apostoli & Ecclesiæ Brixianæ Fundatoris*: in alia vero, qua antiquiorem ex editis videre non contigit, impressa apud citatum Sabbium pro anno MDLXXXI. ita eodem die legitur: *Barnabæ Apostoli duplex* sine ulla

(5) Editæ sunt Mediolani ann. 1748.

(6) Cl. Canonico Mazochio eadem est de prima Ordinum Divinorum Officiorum impressione opinio pag. 71. de Sanctorum Neapolitanæ Ecclesiæ Episcoporum cultu.

(7) In Schedis mss.

ne ulla Fundationis Ecclesiæ memoria. Ex quibus cave ne colligas, Barnabam ante eum annum MDXCV. minime fuisse a Brixianis habitum hujus Ecclesiæ Parentem; namque decus illud de S. Barnaba apud Mediolanenses quoque prætermittitur in Calendario Mediolanensi, jussu S. Caroli Borromæi edito anno MDLXXXII.: nihilo tamen minus in lectionibus Breviarii ejusdem Ecclesiæ, eodem anno eodemque Auctore, in lucem emissi ita est: *Barnabas..... Mediolanum venit. Cujus Civitatis Episcopus primus illam Christianæ fidei mysteriis imbuit*. Illud itaque unum ex tabularum Ecclesiæ silentio inferri posse putamus, quod supra observatum est, labente duntaxat Seculo XVI. consuetudinem in hisce Ecclesiis obtinuisse, vocandi Barnabam earumdem Parentem, etsi nulla esset apud easdem de prima illius prædicatione dubitatio: ita enim in citatis lectionibus subjungitur: *Postea Anathalone in locum suum suffecto, Bergomum, Brixiam, aliasque Urbes in Christiana fide instituit*. Quibus positis, antiquitati, consuetudini, pioque zelo nostratum erga Barnabam Apostolum, satis nos consuluisse speramus.

CAPUT II.

De quatuor Sanctis Brixianæ Ecclesiæ Patronis.

Vetustissimam esse, ipsique Ecclesiæ coævam pietatis christianæ consuetudinem sibi apud Deum deprecatores adoptandi, quos inter Sanctorum album colebat, luculentis ostenditur D. Augustini testimoniis IV. & XVIII. Capite Libri *de Cura pro mortuis gerenda*, Ambrosii lib. X. in Luc. Cap. XXI., Eulogii Episcopi Toletani & Martyris lib. II. Cap. VII. *Memorialis Sanctorum*. Hunc honorem Civibus suis Martyrii palma decoratis Faustino Jovitæque Fratribus, Brixianos antiquitus tribuisse, Apollonio deinde & Philastrio Confessoribus & Urbis Episcopis, luculentissimis monumentis ostensuri sumus. Etenim eos inter Codices in præfatione commemoratos Bibliothecæ Cathedralis unum inspeximus Liturgicum (8) ad hujus Ecclesiæ, sive potius ad alicujus Brixiani Benedictino-

 rum

(8) Formam Sacramentarii exhibet. Nonnullum ex eo fructum cepimus in Commentario præsertim ad S. Philastrium. Præmittitur Calendarium, cujus ope Ecclesiastica hujus

rum Monafterii ufum, Seculo XI. facile confcriptum, inter alia continentem Miffæ Canonem, ubi poft SS. Cofmæ & Damiani, nomina SS. Fauftini & Jovitæ invocantur, quod claro eft argumento, hos populos, ex veteri licentia, fupremi Numinis opem poftulaffe, deprecantibus inprimis duobus illis Martyribus, velut præcipuis Tutelaribus, quibus eadem de cauffa duo templa voluere nuncupata, alterum S. Fauftini ad Sanguinem, alterum S. Fauftini majoris.

De eodem honoris cultu, S. Apollonio Epifcopo & Confeffori tributo, etfi antiquior, quæ reperiri potuit, memoria fit ab anno MCCXVII. in charta mox citanda Alberti noftri Epifcopi: nihilo tamen minus inter Divos Brixianorum Tutelares longe ante adfcriptum fuiffe, locupletiffimam fidem facere poteft vetufta & conftans traditio, cum de Templis prope Orientalem Urbis portam, & a Populis Triumpilinis ejus nomini dicatis, (9) tum de publica in graviffimis Civitatis difcriminibus invocatione (10): nec non cufus, quo de mox loquemur, cum ejus imagine nummus.

De S. Philaftrii nomine, eodem honoris loco habito, nullum reliquum faciunt dubitationis locum graviffimi duo, iique antiquiffimi noftri Pontifices, S. Gaudentius Venerabilifque Rampertus: ex quorum primo difcimus, diem obitus ejus fuiffe ftatim huic populo facrum: ex altero vero, ab omni fervili opere eodem die omnes ceffaffe; qui plane facri honores iis tribui folent, quos veluti Patronos venerari etiamnum folemus; eodemque *Patroni* nomine appellabatur Philaftrius, fi minus Gaudentiano tempore, Seculis faltem XII. & XI., quibus

jus Ecclefiæ hiftoria illuftrari poffet. Manu recentiore addita funt nonnullorum nomina Sanctorum, quorum cultus celebris eft apud Monachos tranfalpinos, nimirum S. Brictii, S. Medardi, S. Galli &c. Si conjecturæ locus, ex iis regionibus huc translatum crederem, propter eam confuetudinem, quæ cum Monafterio Augiæ Majoris prope Conftantiam noftra habuere Benedictinorum Cœnobia, ut fuis hujus Operis locis conftabit. Hæc ut olim fcripferamus, contigit videra in *Excurfu Litterario* doctiffimi Francifci Antonii Zachariæ impreffum pag. 353. Liturgici hujus Libri Calendarium ipfi communicatum, atque accurate defcriptum a laudato Doneda.

(9) Templum D. Apollonio in Valle Triumpilinorum facrum plurimis antiquitus abundabat donariis; anno enim DCCC. horrida fame vexatis finitimis Tridentinorum populis, *ex iis exierunt fupra decem millia hominum in unum collecta, & perrexerunt in Vallem Trompianam, ut expoliarent muneribus Bafilicam S. Apollonii*, verba funt Ridolfi Notarii, cujus num. XV. Præfationis meminimus. Porro hodierna quoque die in montana illius Vallis parte meridiem verfus, amplam vidimus ipfi facris fupellectilibus egregie ornatam Parœcialem Ecclefiam Divo Apollonio nuncupatam, cujus honorem augere in dies nititur Parœciæ Archipresbyter Francifcus Lollius iis omnibus excultus virtutibus, quæ verum decent animarum Paftorem.

(10) Ex Malvetio ad annum 1191.

bus ſcriptus eſt uterque codex Gaudentianos Sermones complectens, quibuſque laudatus Galeardus uſus eſt in ſua Veterum Brixianæ Eccleſiæ PP. Collectione (11) .

Qua graviſſima Gaudentii & Ramperti auctoritate, totiuſque erga tantum Pontificem populi veneratione innixos, arbitror, eorumdem temporum Præſules PATRONI voce Philaſtrium erga Deum ſibi deprecatorem invocare non dubitaſſe in Miſſæ Collecta, quam recurrente obitus Philaſtrii die, recitatam eodem Seculo XI. fuiſſe, ſupracitato liturgico Codice edocemur (12) .

His accedit, eorumdem Patronorum nomine vim & robur publicis Monumentis addere noſtros Epiſcopos cœpiſſe ſub initium Seculi XIII. Nullum enim hujus conſuetudinis eſt veſtigium in Monumento Ramperti dato anno DCCCXLI., quod eſt omnium, quæ hactenus ad nos pervenere hujus Eccleſiæ Monumenta, vetuſtiſſimum; nullum in chartis Udurici anno MXXXVIII., nullum in illis Raymundi anno MCLVI., & Joannis Flumicelli ann. MCLXXVIII. & MCLXXXVIII. Prima autem mentio occurrit in charta Alberti, data anno MCCXVII., inlata in literas Honorii Papæ, eodem anno ſignatas, ubi ita loquitur Albertus: *Siquis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Martyrum Fauſtini & Jovitæ, atque Confeſſorum Apollonii & Philaſtrii, ſe noverit incurſurum*. Verum animadverſione dignum eſt, in poſterioribus ejuſdem Alberti Monumentis, ſignatis anno MCCXXIII., MCCXXVI., atque in uno Guallæ anno MCCXXXVII., & in alio Azzonis anno MCCL., Fauſtino & Jovita prætermiſſis, unam Apollonii & Philaſtrii auctoritatem invocari. Rurſus in Epiſtola Lambertini, data Brixiæ die xxiv. Februarii anni MCCCXLVI. Noſocomio S. Jacobi Placentiæ, iiſdem San-

 ctis

(11) Adverto, vocem *Patroni* in utroque citato Codice reperiri, *ſed eamdem in utroque Codice opus eſſe poſteriorum temporum*, ut ait Galeardus cit. Collect. pag. 374. nota (e). Ideo ſubdit: *De hoc autem, Deo dante, plura proferemus in Adnotationibus ad Martyrologium Brixianum*. Fayni Martyrologium notis Galeardi aſperſum exſtat in Chartulario laudatorum PP. Oratorii Brixiæ; ejuſdo verba ex pag. 100.: *Patronum vocat etiam Gaudentius ſermone de Philaſtrio, ſed cum ea verba deſint in vetuſtiori Mſ. Brixiano, ideo ſuſpicionem prabent interpolationis. Recentior Codex exhibet lectionem a nobis editam*. Si ea verba deſunt in vetuſtiori manuſcripto, non itaque in utroque codice ſunt opus poſteriorum temporum. Codicibus iſtis a nobis minime inſpectis, aliis relinquimus de iſta Galeardi ſuſpicione judicium.

(12) Eam, duabus reliquis adjectis, dabimus in Commentario ad eumdem Philaſtrium.

ctis Confessoribus, SS. etiam Martyrum nomen præfixum est hisce verbis: *Nos de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Apostolorum Petri & Pauli, ac BB. Martyrum Faustini & Jovitæ, nec non BB. Confessorum Apollonii & Philastrii Patronorum Nostrorum meritis* (13). At in charta Thomæ Vicecomitis anno MCCCLXXXIX. signata, Martyrum nomina rursus omittuntur, recitatis tamen nominibus Apollonii & Philastrii; in charta vero Francisci de Marerio, data anno MCCCCXXXVI. die XXIX. Aprilis, post Dei, Beatæque Virginis, & Apostolorum Petri & Pauli invocationem, ita est: *Beatorum Confessorum Apollonii & Philastrii, nec non Beatorum Martyrum Faustini & Jovitæ, Patronorum Nostrorum*. Sub Paulo quoque Zane, ii omnes quatuor Sancti eo titulo fruebantur, ut discimus ex ejus Decreto, quo Presbyterum quemdam ideo exuit Beneficio Ecclesiastico, quia *Residentiæ* legibus se esse obstrictum negabat. Particula lati Decreti die XXII. Decembris ann. MCCCCLXXXV. hæc est: *Christi ejusque Matris Beatissimæ atque gloriosissimæ Virginis Mariæ, sub cujus nomine & vocabulo Ecclesia antedicta* (Duomo) *dedicata est, nec non Beatissimorum Martyrum Faustini & Jovitæ, & Confessorum Apollonii & Philastrii, Patronorum nostrorum Brixiensium, nominibus & suffragio humiliter invocatis &c.* (14)

Tantæ autem vicissitudinis caussam, qua scilicet, allatis chartis modo SS. Martyres tantum, modo soli SS. Confessores: modo, Martyribus additis Confessoribus, quatuor omnes isti Sancti invocentur, nos prorsus ignorare, ingenue fatemur. Eam fortasse nobis compertam fecisset Galeardus in notis ad Brixianum Martyrologium, quas morte præventus perficere & edere non potuit. Etenim de hoc loquens honoris titulo in notis ad ultimum S. Gaudentii Sermonem ait (15): *De hoc autem, Deo dante, plura proferemus in annotationibus ad Martyrologium Brix.*

Ceterum erga Faustinum Jovitamque Martyres, & Apollonium Confessorem suam Brixiani voluere testatam voluntatem maxime piam, cusis signatisque in eorum honorem nummis; horum duos, quos acceperat a laudato Galeardo, exhi-

(13) Apud Campium Tom. III. Hist. Placent. pag. 292.

(14) Ex Archivo Capituli Cathedralis, ex quo integræ chartæ supra commemoratæ suis quæque locis producentur.

(15) Pag. 374.

exhibuit Muratorius (16), in quorum altero Crux visitur cum epigraphe BRISIA, literis per angulos dispertitis; in aversa vero parte imagines repræsentantur, literis circumductis, eorumdem Martyrum nomen referentibus: Jovitæ quidem, Crucem oblongæ hastæ impositam manu gestantis: Faustini vero dexteram elevantis in modum benedicentis populo; erat enim Faustinus Sacerdos, Jovita Diaconus. Alter Crucem exhibet, per angulos dispertitis his literis, I II PP, quibus una cum Cruce circulo clausis, BRISIA legitur in nummi limbo; effigies vero laudatorum Martyrum eadem ac in priori nummo, cususque fertur in honorem Innocentii II. Pontificis, Brixiæ commorantis (17). Tertium ex Musæo Schiaviniano edidit Ferdinandus Schiavinus Cremensis, ex Ordine Eremitarum S. Augustini; argenteus est (18), in parte antica Episcopus sacris indutus, sedens in Cathedra, capite mitra tecto, radiis illustrato, dextera elevata instar benedicentis seu concionantis, sinistra tenente pedum pastorale, in speciem litui (19), verba circumducta hæc solum leguntur SIA, nempe BRISIA (tribus prioribus literis corrosis) S. APOLONIUS: imagines Martyrum Jovitæ & Faustini visuntur in parte postica: dexteram habet Faustinus, perinde ac in superioribus nummis; Jovita vero dextra librum tenere videtur, facile Evangeliorum, pectori admotum, sinistraque Crucem, circumductis literis, SIOVITA FAUST. Citato Schiavino acceptus referri debet nummus iste, a Rubeo (20) in Italica commemoratus Vita SS. Faustini & Jovitæ, ab eodem Schiavino in lucem primo typis emissus cum effigie S. Apollonii, qui unus ex nostris Episcopis hoc honore donatus fuit, vel ut-

 po-

(16) De Monetis Italiæ Differt. XXVII. Tom. II. pag. 670. Antiq. Italiæ.

(17) Muratorius loc. cit. de hoc loquens nummo, *suspicabar ego*, inquit, *an e literis diligentius inspectis exurgere possit Imperator, ut est in Nummo Ticinensi*. Quid roboris habeat hæc Muratorii conjectura prorsus ignoramus, propterea quod ipsum intueri Nummum datum nobis non sit. Sed cusum eum fuisse Innocentii II. tempore nobis improbabile reddit Chronologia hujus Pontificis, namque *MCXXXII. anno venit Domn' Innocentius pp Brissiam* scriptum est post nostrum catalogum eadem, ut videtur, manu, quæ primam condidit ejus partem, quam nos epocham firmabimus in Villano: neque verisimile fit, ut recte animadvertit Muratorius, factam fuisse a Pontifice Brixianis monetæ cudendæ facultatem. Hanc igitur difficultatem solvendam cum eodem Muratorio relinquimus doctis Brixianis.

(18) Tom. I. pag 289. Collectionis Argellati de Monetis Italiæ.

(19) Hoc de lituo aliqua adnotabimus in Commentariis ad SS. Apollonium, & Philastrium.

(20) Pag. 58.

pote Philastrio antiquior, vel in grati animi Monumentum, eo quod eos inter Brixianos, quos ad fidem Christi converterat, Faustinus & Jovita inprimis recenseantur, eosdemque sacri initiaverat Ordinibus, vel propter victoriam a Brixianis contra Cremonenses partam die Apollonio sacra. Chronicam percussionis notam ex iis nummis nullus exhibet. Citata Bon. Chronica (21) habet MCCV. *Paganus Runzinus de Luca potest. a Festo S. Petri ad alias Fest. & moneta Brisfie facta est*: at iis verbis licet anno MCCV. Brixiæ cusam fuisse monetam pateat, inferri tamen non potest, antea minime fuisse cusam: hinc inficias non iverim, vetustiores versantibus Brixianas chartas vetustiorem occurrere non posse hujus rei memoriam, unde ostendatur, saltem ante Seculi XIII. initium obsignatam fuisse a Brixianis pecuniam. Verum quo tandem anno illud sit factum, maxime piam evincit Brixianam erga suos illos Divos Tutelares pietatem, quam ad hanc usque diem cum in laudatos Martyres læti efflorescere videamus, maxime dolemus, eamdem in Episcopos Apollonium & Philastrium, egregie de christiana re apud Brixianos meritos, refrixisse; cum eorum titulus vulgo *Patronus* ducentum & amplius ab hinc annis obsoleverit, quique ut restituatur enixe optamus.

CAPUT III.

De antiquissimo hujus Ecclesiæ statu.

BRixianam Ecclesiam jam inde ab ortu suo Mediolanensi fuisse attributam, asserere non est veritus Ferdinandus Ughellus (22), neque alii unquam Ecclesiæ paruisse, constans fuit & vulgata sententia. Verum anno MDCCXXVIII. Andreas Astezatus omnium, quod ego sciam, primus rem in ancipiti posuit, & an Aquilejensi Cathedræ aliquando paruerit, *merito quem dubitare posse*, tribus hisce rationibus affirmavit (23).

I. Se-

(21) De Bononiensi hac Chronica vide num. XV. Præfat.

(22) Tom. IV. Ital. Sac. sub initium notitiæ Brixianæ Ecclesiæ.

(23) In Præfat. ad Evang. Manhel. pag. XX. Brixianus erat Astezatus Monachus & Abbas Benedictino-Casinensis, Tabularia Monialium sui Ordinis Brixiæ S. Juliæ, & SS. Cosmæ & Damiani in ordinem redegit, bonoque Indice utilia reddidit.

I. Seculo namque VIII. Aquilejensis Patriarcha; uti apud Margarinum (24), suo Diplomate plurima cavet pro Monasterio S. Juliæ Brixiæ, unde jurisdictio apertissime evincitur.

II. Observat, Malvetium (25) Venetiæ terminos a Pannonia, ubi Ungari habitant, usque ad Adduam flumen proferre: ac, Jacobum Cavatium (26) ex Paulo Diacono, aut quicumque ille sit, qui Eutropium exscripsit, sic habere: *Concordiam, Altinum, atque Patavium, vicinas Aquilejæ Civitates, illius instar demolitus solo æquavit* (Aquilejense excidium exequitur) *exinde per universas Venetiarum Urbes, hoc est, Vicentiam, Veronam, Brixiam* (quæ proinde suberat Aquilejensi Ecclesiæ, cui parebat Venetiæ provincia) *Bergomum, & reliquas, nullo resistente, Hunni bacchantur*.

III. Accedit, Voldaricum Brixianum Episcopum, teste Ughello Tom. V. col. 54. A., donationi a Patriarcha Aquilejensi Popone Ecclesiæ suæ factæ anno MXXXI. subscripsisse, in cujus documento Popo ait: *donare se de consilio & voluntate Advocati Ecclesiæ ipsius, ac de consilio duorum Romæ Pontificum, Joannis scilicet, & Dudonis S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac de consilio cæterorum Coepiscoporum*: hi vero sunt, qui subscripsere, *Patavinus*, scilicet, *BRIXIANUS; Civitatis-novæ, Venetensis, Tarvisinus, Bellunensis, Feltrensis; Polensis, ac Tergestinus*; nec de mendo ibi suspicandum, quod *Brixiensis* pro *Brixinensi irrepserit*; nam & eo tempore in Brixiana Cathedra sedebat Voldaricus ipse, & in ejus elogio Ughellus Tom. IV. col. 539. D. ait: *Voldaricum Poponianæ donationi subscripsisse*.

Nihilo tamen minus, momenta hæc tanti non esse æstimanda putamus, ut a recepta communique opinione recedere cogamur. Namque ad primum, quod spectat, promptam & expeditam responsionem suppeditare videtur eximius vir Jo: Mabillonius. Illud enim Aquilejensis Patriarchæ Diploma ab Astezato productum cum in Annales Benedictinos retulisset, tantum abfuit, ut ex illo occasionem sumserit ambigendi de subjectione Brixianæ Ecclesiæ, ut de suffraganeis ne verbo quidem habito, in eam descenderit

(24) Constitutione XIX. Tom. II. & ex Tabulario S. Juliæ apud cit. Astezatum.

(25) In Chronico cit. pag. 15.

(26) In Historia Cœnobii S. Justinæ Patavii Lib. I. pag. 23.

rit opinionem, Brixianum S. Juliæ Monasterium ex eorum numero fuisse, *quæ ex voluntate Conditorum alieno, seu extraneo Episcopo subjecta erant* (27). Quæ interpretatio nostra, eorum etiam temporum consuetudine posset facili negotio, si ratio Operis postularet, confirmari. Quamobrem expertissimus in hujusmodi Monumentis interpretandis Bernardus de Rubeis (28), præ illa Astezati, feliciorem putat Mabillonii interpretationem. Certum quippe est, hocce Monasterium nulli Episcopo, sed proxime S. Sedi fuisse subjectum. *Cœnobium hoc amplissimum*, inquit ipse Astezatus pag. xiv., ubi Monasterii hujus historiam attexit, *Sedi Romanæ Paulus Papa I. immediate subjecit*. Quam rem Regia & Pontificia Diplomata, sexcentaque alia præclara Monumenta, in ejusdem Monasterii Tabulario asservata prorsus evincere, testis est idem Scriptor.

Neque majus negotium nobis facessit alterum difficultatis caput, ex Paulo Diacono depromtum, ad quod refellendum satis esset animadvertisse, eum Scriptorem VIII. Seculo scribentem, sive quicunque sit, qui Eutropium auxit, non Ecclesiasticam, sed civilem Orbis divisionem præ mente habuisse, quod sane apud veteres Scriptores insolens non est neque inauditum. Eo pacto, quo Episcopos ex provincia veluti Sicula, Arelatensi, Appula, vel quavis alia in publicis Actis se ipsos vocantes, non ecclesiasticum, sed civilem Imperii typum spectasse, vel ex eo optime evinci potest, quod Metropoliticum jus, provinciam constituens, tributum fuerit vel longe post hujusmodi subscriptiones, uti Ecclesiæ Siculæ, & Arelatensi, vel nunquam, uti Appulæ.

Sed præstat e re ipsa luculentissimum, mea quidem sententia, argumentum proferre. Hanc Hunnorum ab Astezato ex Paulo Diacono adductam (quæque prima fuit in Italiam ex Pannonia) irruptionem, circa medietatem V. a Christo nato Seculi accidisse, concors est Scriptorum fama & traditio. Casum miserabilem, Brixianisque in hanc usque diem lacrymandum (propterea quod, sævissimo Attila jubente, altissimis flammis Brixia succensa fuit) refert Malvetius

(27) Lib. XXIV. Tom. II. Annal. pag. 209.

(28) In Monumentis Eccles. Aquilejen. pag. 327. ubi emendandum typothetæ sphalma in Mabillonianis numeris citandis & loco: ad annum DCCLXXIV. legendum DCCLXXII.

vetius (29). Jam vero licet in magna versemur caritate Monumentorum ejus Seculi, ex quibus vetera depromi possint Brixianæ Ecclesiæ jura, unum tamen posteritati mandatum fuit atque conservatum, ex quo mihi certissime deduci posse videtur, hanc Ecclesiam, Hunnis primo Brixiam evertentibus, Mediolanensis Præsulis suffraganeam fuisse. Illud est unus ex Sermonibus S. Gaudentii Brixiani Episcopi, cujus mortem paucis annis Attilæ in Italiam irruptionem præcessisse, suo loco ostensuri sumus. Habitus fuit a S. Episcopo hic sermo die *suæ Consecrationis* primo; ideoque inscriptus: *De Ordinatione sua*. Narrat autem sub initium, quod Beatus *Pater Ambrosius*, ceterique Venerandi Antistites Sacramento Brixianorum adstricti, mortuo S. Philastrio Urbis Episcopo, literas ad eum, una cum legatione, Orientis Urbes tunc temporis peragrantem, miserunt, quibus hæc ei Ecclesia non solum offerebatur, verum etiam invitus & reluctans, Orientalium Episcoporum ope implorata, ad eamdem trahebatur. Igitur *auctoritate Sanctorum*, ut ipse ait, *subjugatus* ipso initiationis die sermonem habuit coram multis Episcopis, sed inprimis coram Ambrosio Mediolanensium Præsule, quem vocat *Patrem*, quemque precatur; ut post *exiguum rorem sermonis sui irriget corda audientium divinarum mysteriis literarum, atque ipse erit os universorum circumstantium Sacerdotum*. Enim vero quis inficiari potest, Brixianos putasse, suam Ecclesiam subjectam fuisse Mediolanensi, dum videt, eosdem Pastore destitutos, ad Ambrosium, non vero ad Valerianum, Aquilejensem Cathedram tenentem, confugientes? Accedit etiam, inter Metropolitarum jura, jam inde ab eorum ortu ad VIII. usque Seculum, illud potissimum fuisse, quod Metropolita in Episcopi electione & consecratione primas habebat: *ut Episcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circum circa sunt, promoveantur ad ecclesiasticam potestatem*; ita fuit decretum Can. 12. Conc. I. Laodiceni, habiti anno CCCXX., Silvestro Summo Pontifice (30). Quapropter prima Œcumenica Synodus, Niceæ habita anno CCCXXX. Can. 6. definierat: *Siquis præter sententiam Metropolitani factus fuerit Episcopus, hunc magna Synodus definit, Episcopum esse non oportere*. Factum

(29) Tom. XIV. Rer. Italic. pag. 811. (30) Tom. I. Concil. Labbè pag. 1514.

ctum hinc esse arbitror, ut Metropolita ab aliis *Pater* appellaretur.

Quapropter Ambrosius, ob partam adversus Auxentium, Arrianæ hæreseos in Italia patronum, victoriam, Metropolitici honoris jure insignitus, Gaudentium cum elegerit & consecraverit Episcopum, cumque *Pater* a novo Episcopo dictus, atque ad concionem habendam pro Episcoporum instructione excitatus fuerit, præcipua, quæ Metropolitarum erant, exercuisse munera dicendus est.

Neque paucis illis annis, qui a Gaudentii initiatione ad Brixianæ Urbis eversionem per Hunnos factam, interfluxere, aliqua in sacris juribus mutatio contigit; namque, præterquamquod nullum apud Scriptores legere liceat mutationis vestigium, certum est, Optatianum nostrum Episcopum subscripsisse Concilio Mediolani habito anno CCCCLI. ab Eusebio Mediolanensi Præsule, ut rectam de Verbi Divini Incarnatione doctrinam, apud Orientales contra Eutychen propugnandam, hujus Synodi Patres recipere, testaretur.

Cum vero inter ejusdem Concilii subscriptiones nulla exstet Episcoporum Aquilejensis Ecclesiæ suffraganeorum, ne ipsius quidem Veronensis, licet Mediolano haud multum dissiti, sed sint Episcoporum Mediolanensi Præsuli subjectorum, consequitur, Optatiano quoque in Brixiana Cathedra sedente, hanc Ecclesiam inter Mediolanensis suffraganeas habitam fuisse, quæ subscriptiones animadversæ a Baronio, eum fortasse moverunt ad hæc scribenda: verba: *convocans ille* (Eusebius) *Mediolanensi Ecclesiæ subjectos Episcopos*, *Provincialem Synodum egit* (31).

At a Paulo Diacono descripta Hunnorum invasio secunda fuit, inquiet Astezatus, quæ Langobardis Italiam moderantibus accidit. Etenim certum est ex Paulo Diacono, Regem Avarorum, quem Hunni (vulgo dicti *Tartari*) & Avares *Cacanum* sua lingua appellabant, cum innumerabili multitudine *venientem*, *Venetiarum fines* ingressum esse, cujus rei nuntio permotus Sisulphus, Alboini Italiæ Regis nepos, atque Dux Forojuliensis, collecto Langobardico milite, *Cacano* obviam ivit, commissoque certamine, ipse
una

(31) Baronius ad ann. 451. num. 451. Tom. VI. pag. 157.

una cum suis ferme omnibus internecioni ab Hunnis datus fuit, qua victoria parta, Langobardorum regnum incendio Avares devastarunt.

Sed primum responderi posset, ex nullo seu veteri, seu recentiori Scriptore colligi posse, Brixiam usque excurrisse Hunnos, victo ac cæso Sisulpho, anno juxta probabiliorem Sigonii calculum DCXV., cui assentitur Muratorius in Annal. Ital. ad eumdem annum.

Deinde, ea tempora si memoria repetantur, intelliget Lector, non fuisse hoc loci a Paulo spectata. Joannes enim Gaspar Beretta Sect. III. Dissertationis de Tabula Chorographica Italiæ medii ævi (32) nos docet, a Paulo Langobardicam historiam conscribente habitam fuisse rationem divisionis Italiæ, ut antiquitus fuerat ante Regnum Langobardicum.

Quibus positis, fateor ego, Brixiam in Venetiæ Laterculo collocatam fuisse, etiam in Italiæ descriptione per Constantinum Magnum Seculo IV. factam; quandoquidem provincia Veneta, quæ una erat ex decem & septem provinciis, quibus Adrianus & Constantinus Augusti universam Italiam contineri jusserunt, a finibus Pannoniæ, usque ad Adduam porrigebatur: sed in Langobardici Regni ditione Brixiam Seculo VI. collocatam fuisse ajo. Namque Langobardi, sive Narsetis consilio, ut vulgo creditum est, sive loci amœnitate & divitiis excitati, ut est nonnullis persuasum (33), ex Pannonia, duce Alboino, anno DLXVIII. Italiam ingressi, provincia Venetia sine bello eodem anno, sequenti vero universa Liguria potiti, Romanæ politiæ formam turbare cœperunt. Hinc deletis Romanorum nominibus, mutatis provinciarum appellationibus, regionum quoque terminos mutatos fuisse, probat erudite laudatus Beretta. Quare neque amplius sub una Vicarii Italiæ jurisdictione Venetiæ Liguriæque Urbes continebantur, sed partim specialibus Ducibus, sive Dominis attributæ, partim a regiis Ministris administratæ: Brixiam vero singulari Domino concessam fuisse, nullum reliquum facit dubitandi locum Paulus Diaconus, ab eodem Scriptore animadversus; Li-

(32) Exstat sub initium Tom. X. Rerum Italicarum.

(33) Apud Muratorium in Annalibus Italiæ ad ann. 567.

Libro quippe V. Cap. 36. Histor. Langob. narrat, quod ubi Cunipertus factus a Bertrando patre socius Regni, veniam Alais Tridentino Duci rebelli impetravit, non destitit apud Patrem obtinere, ut ei Ducatum etiam Brixiæ contribueret. Quocirca Alais primus Brixianorum Dux recensetur a Malvetio, qui tamen rem aliter evenisse scribit. Quæ omnia, ceteris prætermissis, satis ostendere mihi videntur, Pauli verba ad alteram per Hunnos factam Italiæ invasionem referri non posse, atque ideo nullam præbere occasionem dubium injiciendi, Brixiam Aquilejensi olim Ecclesiæ paruisse. His accedit, Paulum Episcopum nostrum hujus nominis III., aut alium ejusdem proximum Successorem, qui per hæc tempora, sexto nimirum inclinante Seculo, huic Ecclesiæ præerat, petiisse a Constantio in Mediolanensem Præsulem electo, ut si vellet a se in communionem recipi, eos damnaret, qui reprobabant tria celeberrima Capitula anno CCCCLI. in Œcumenica Chalcedonensi Synodo, ut ferebatur, approbata. Rem fusius in Commentario de Paulo III. Episcopo nostro sumus ostensuri. Interim illud conficitur, Ecclesiam Brixianam habuisse commercium cum Ecclesia Mediolanensi ratione subjectionis, nunquam vero cum Ecclesia Aquilejensi, quæ tunc temporis, ob illa Capitula, fœdo schismate laborabat. Ac de secundo objectionis Capite hactenus.

Tertium vero eludi facile potest, si animo repetantur tempora, quibus facta dicitur Aquilejensi Ecclesiæ per Poponem Patriarcham donatio, cui, inter alios, Episcopus Brixianus subscripsit; eodem enim ipso anno, quo donationis Monumentum signatum est, supremo Numini sacratum fuit Templum, quod Patriarcha elegantissimum, ædibusque magnificis erigi curavit, teste supra relato de Rubeis. Quid autem mirum, si ad reddendam solemniorem splendidioremque novi Templi consecrationem, vel etiam ad complendum duodenarium Episcoporum, quos liquet solemnitati interfuisse, numerum, Voldaricus Episcopus noster, aliquo nomine probabiliter Poponi carus accersitus fuit? Plane in numero eorum, qui anno MCCCLXV. oblationes obtulerunt Marquando Patriarchæ Aquilejensi, sacrum solemniter facienti, recensentur post septemdecim Episcopos *Domini Mediolanenses*; ergo conficiet aliquis, Mediolanenses Suffraganeos fuisse? nemo sane in tantum

erro-

errorem cadere poteſt . Recte citatus de Rubeis advertit in eum locum : *Dona tamen ferunt plures Italiæ Principes ac Dynaſtæ, amicitiæ ac pacis fœdere conjuncti* (34) ; quidni aliquid ſimile in objecto caſu contingere potuit ?

Ceterum Lectores volumus admonitos , hæc a nobis ſolum ut conjicientibus fuiſſe propoſita . Utrum vero conjecturæ noſtræ , an illæ , quæ ab Aſtezato allatæ fuerant , vero magis acceſſiſſe dicendæ ſint , aliorum eſto judicium . Illud equidem pro certo affirmare poſſum , Aſtezati dubia adeo pauci fieri a de Rubeis , ut , licet totus ſit in juribus explicandis Aquilejenſis Eccleſiæ , cujus præclara monumenta accuratiſſimo labore collegit , eruditiſſimiſque notis illuſtravit : id tamen , quod eſt ab Aſtezato propoſitum , arripiendum ſibi non judicaverit. Sane quæ vetera ad nos pervenere monumenta , illud ipſum teſtantur ; hæc inter animadverſione dignum eſt depictum , licet Seculo XII. non vetuſtius opus , quod in Odeo Ambroſianæ Mediolanenſis Baſilicæ exſtat , in quo decem & octo olim Epiſcopi conſpiciebantur , qui erant Mediolanenſis Eccleſiæ ſuffraganei , atque eo diſtributi ordine , ſive quo ad Provincialem Synodum convenire ſolebant , ſive quo hebdomatim per vices adeſſe debebant ad celebranda Officia divina , ex Provinciali Decreto , per S. Simplicianum conſtituto , ſi fides Puricello (35). Quamvis autem temporum injuria characteres pene fuerint obliterati , aliquos tamen intellexit Puricellus , quos in Monumenta Baſilicæ Ambroſianæ Mediolanenſis num. 20. & 99. retulit , noſque ipſi inſpeximus ; inter iſtos in latere ſiniſtro primus eſt *Epiſcopus Brixianus* , quem locum in Mediolanenſibus Synodis Provincialibus noſtri Epiſcopi tenere cœperunt , ſub Federico Madio Epiſcopo noſtro , cum antea dextrum locum occuparent , uti innixi Privilegio Alexandri III. in favorem Raymundi Brixiani Pontificis expedito in Commentario ad eumdem Raymundum dicturi ſumus . Accedunt quotquot ad nos pervenere , Conciliorum ſive Generalium ſive Provincialium laterculi , quibus Epiſcopi noſtri ſubſcripſerint ; quotquot exſtant Provinciarum notitiæ , cum veteres (cujuſmodi eſt illa ante annum MCXXXIII. ſcripta , atque ex Codice Capituli Metropolitani Mediolanenſis publici juris facta a Mura-

(34) Loc. cit. pag. 947.
(35) Apud Puricellum in Differt. Nazariana Cap. 54. pag. 317.

Muratorio (36); atque alia ex Codice Vaticano edita ab Emanuele Schelestrate, quæque Seculo XIII. fertur (37) exarata): tum recentiores, ut est illa apud Ughellum: Brixianam Ecclesiam Mediolanensis suffraganeam semper fuisse, ubique legere licet. Quod luculentius confirmabunt Acta in ipsis commentariis referenda. Aquilejensis contra Ecclesiæ monumenta hactenus detecta, in quorum pleraque septem supra decem suorum suffraganeorum injicitur mentio, Brixianum Præsulem nulla commemorant. Immo in laterculo suffraganeorum Aquilejensium ipso tempore, quo citatum Poponis Decretum conditum fuit (quod maxime faciendum) atque jubente R. Pontifice Joanne XIX., qui anno MXXXIII. obiit, elaborato, de Brixiano Episcopo ne vestigium quidem invenire licet; cujus rei probatam fidem facit accurata Urbis Aquilejensis notitia per Jacobum de Utino Canonicum Aquilejensem in Epistola circiter annum MCCCCXLVIII. Francisco Barbaro data, in qua ita est (38) *Idem Pontifex* (Joannes XIX.) *Aquilejensi Patriarchæ Metropolitanam potestatem dedit supra XVII. Episcopatus, qui hujusmodi sunt Tergestinus, Emonensis, Petenensis, Parentinus, Pollensis, Justinopolitanus, Concordiensis, Cenetensis, Pheltrensis, Bellunensis, Tarvisinus, Paduanus, Vicentinus, Mantuanus, Tridentinus, Cumanus*; cum hac & alia convenit Aquilejensis Patriarchatus notitia antiqua, apud Carolum a S. Paulo (39).

CAP. IV.

De antiquitate & usu nostri Catalogi, qui in lucem emittitur.

Subsequens Catalogus, qui nos induxit (40), ut huic Operi conscribendo incumberemus, descriptus est in Codice pergameno octo foliorum. Omnes Episcopi a primo, qui est Anathalon, usque ad Raymundum, qui obiit an. MCLXXIII. descripti sunt eadem manu. Characteris genus XII. Seculo congruens indicio est hanc, quam vocare placet primam partem, eodem tempore fuisse scriptam, quod confirmat annus MCLXXXV. post Raymundi nomen scriptus, literis tamen nunc ferme evanescentibus. Quamobrem tum hac

de

(36) P. II. Tom. I. pag. 218. Rer. Italic.

(37) Tom. II. Antiq. Ecclesiast. pag. 750.

(38) Publici juris facta est Tom. II. Miscellaneæ Venetæ pag. 129.

(39) In parerg. Geographiæ sacræ pag. 67.

(40) Vid. num. XIV. Præfat.

de cauſſa , tum quia ſit omiſſus Berticanus(41), credibile eſt, eam profluxiſſe vel ex Rampertiano Indice , cui apprime convenit , vel ex ipſiſmet hujus Eccleſiæ Diptychis (42) : Succeſſores deinceps additi uſque ad Tiberium de la Turre vita functum anno MCCCXXXIII. , ſed alia manu , ideo alteram veluti Catalogi partem nominare juvat .

Singulis pene Epiſcoporum nominibus additæ ſunt adnotatiunculæ , ut plurimum Chronologicæ alia tamen manu Seculo XIV. non antiquiore . Eas putamus additas ad exemplum Catalogorum Romanæ atque Mediolanenſis Eccleſiæ , quarum prima III. Chriſti Seculo , altera vero ante VII. hujuſmodi ſibi fecit Catalogos , ubi ad nomina e Diptychis tranſcripta notabatur annorum, menſium, ac dierum numerus , quibus quiſque e ſuis Epiſcopis vixerat . Dici etiam poteſt, Paulum Diaconum ſibi fuiſſe ab Adnotatore noſtri Catalogi propoſitum ad imitandum : cum multorum ſit opinio, Paulum eo Opere , quod VIII. Seculo de Metenſium Epiſcoporum Vitis conſcripſit , Italis exemplum præbuiſſe ad hujuſmodi Opera elucubranda .

Citatum noſtrorum Epiſcoporum Catalogum antecedit Catalogus Romanorum Pontificum conſcriptus & ipſe manu diverſa : primæ ſiquidem manus veſtigia deſinunt in Lucio II. , qui obiit ann. MCXLV. Alii deinde , atque alii eumdem perduxere uſque ad Innocentium VIII. creatum ann. MCCCCLXXXIV. Tandem adduntur , præter cetera , nonnulli Eccleſiaſtici calculi Canones , & formula abſolutionis in *Capitulo* proferenda , ſic enim exorditur : *Hæc eſt formula abſolvendi Fratres in Capitulo* . Indicatur ibi quænam Benedictinæ Regulæ Capita legenda ſint tribus diebus ſanctioris Hebdomadæ . Exſtant inſuper Litaniæ , at communibus & vulgatis longe breviores . In ipſis invocantur inter martyres SS. Fauſtinus & Jovita : inter Epiſcopos SS. Apollonius & Philaſtrius , Honorius & Antigius : ex Sanctis Monachis nemo præter S. Benedictum nominatur. Igitur credibile eſt, noſtrum Codicem fuiſſe olim Liturgicum , deinde additam illi partem alicujus Libelli Eccleſiaſtici ad uſum Benedictinorum Cœnobium incolentium S. Fauſtini Majoris Brixiæ .

Sed ipſummet Lectorum oculis ſubjiciamus noſtrorum Epi-

(41) Vid. num. IV. Præf.

(42) Vid. num. III. Præfat.

piscoporum Catalogum non æneis, sed typis formis expressum, uti in negotio propemodum simili doctus fecit Episcopus Novariensis Carolus a Basilica Petri (3), qui e suæ Ecclesiæ Tabulario Catalogum edidit Episcoporum Novariensium in multis nostro similem. Eas, quarum supra meminimus, adnotationes edemus nunc simul, ut jacent in Codice: denuo separatim cudendas ad singulos quosque Episcopos, perutiles eas reputantes; propterea quod validam suppeditant rationem, & pro numero & nomine eorumdem Episcoporum usque ad Seculi XIV. exitum, & pro antiquitate cultus, quo XXVIII. priores (44) veneramur, & ad locum indicandum, in quo jacent reliquiæ eorumdem fere omnium usque ad Guallam, ut ea omittamus, cum pauca sint, quæ ad ipsorum vitam illustrandam usui esse possunt. Quo loco illud prætermittendum non est, harum Scriptores notarum, cum addiderint Ecclesiarum nomina, in quibus ætate sua singulorum Præsulum corpora credebantur haberi, prudenter abstinuisse a verbo *Sepultus* usque ad Guallam, eo quod primæ sepulturæ locus, aut foret ignotus, aut certo definiri non posset. In quibus tamen si hallucinatos aliquando recentes Collectores dixero (nec enim omnia Librariis imputari possunt) non tamen nihil fidei relinquetur antiquæ adeo originis Monumento, quando nulla gravior auctoritas ab eo recedere cogat, nec quicquam ipsius pretio detrahi debere, æqui judicabunt talium Monumentorum æstimatores. Collatum tandem cum illo Totti in Præfatione commemorato, exhibemus Catalogum, & brevibus ut plurimum Topographicis notis illustratum, quas arabicis distinguemus numeris.

Hęc

(43) Pag. 598. Novariæ Sacræ.

(44) Pontifices Brixiani, quorum memoriam Divorum cultu hæc celebrat Ecclesia, XXVIII. admittuntur a Galeardo in notis ad Ughellum, quorum complet numerum S. Deusdedit, ut in commentario de hoc Episcopo ostensuri sumus. Quamobrem gratulandum est maxime Brixianæ Ecclesiæ, quod nulli ex Italicis concedit, unam si demas omnium Matrem Reginamque Romanam. Suorum enim Sanctorum Præsulum numero probatissimis rationibus sancito, nullam novimus locupletiorem.

Hęc sunt nõa omĩũ Epõrum Brixiensis ecclesię .

(1) qui iacet mediolani ;	Primus domnus natalon eps.s.
	Clateus eps. scs.
(2) qui iacet pergami	Viator eps. scs.
(3) qui iacet ad scm. faustinum ad sanguinem .	Latinus eps. scs.
(4) qui iacet in ecclesia sancti petri maioris	Apollonius eps. scs.
qui iacet ad sanctum apollonium extra civitatem	Vrsicinus eps. scs.
ad sanctum faustinum ad sanguinem	Faustinus eps. scs.
in eccla sancte Marie maioris	Filastrius eps. scs.
(5) ad sanctum iohannem de foris.	Gaudentius eps. scs.
(6) ad sanctum eusebium ,	Paulus eps. scs.
(7) ad concilia sanctorum .	Theophilus eps. scs.
ad sanctum petrum io monte .	Silvinus eps. scs.
ad sanctum alesandrum .	Gaudiosus eps. scs.
ad sanctum laurentium	Optatianus eps. scs.
ad ysee (8)	Vigilius Eps. scs.
ad sanctum Gosmam .	Titianus eps. scs.
(9) ad sanctum petrum in oliveto :	Paulus eps. scs.
(9)	Ciprianus eps. scs.
(10) in campilione ia materno ,	Herculanus eps. scs.

(1) Qui jacet Mediolani) Tottus ait , & quidem recte *Brixia* .

(2) pergami) juxta veterem scribendi rationem , quæ nonnisi labente seculo XV. omnino desiit , unde apud Tottum *Bergomi* .

(3) ad sanguinem) at deleto per atramentum tò sanguinem substitutum est manu ducentis circiter annis non antiquiore tò carcerem , quod ut aperte suppolititium neglеximus ; nam & in Totto *ad sanguinem* .

(4) in ecclesia S. Petri maioris) Vetustissimum S. Petri majoris Templum dirutum fuit , ut in ejus area nova princeps Ecclesia B. V. M. assumptæ dicata inædificaretur , cujus fundamenta anno MDCIV. quarto nonas maij poni cœperunt . Ecclesia vero S. Mariæ majoris ea est , quam antiquam Cathedralem, vulgo *Duomo Vecchio* appellare solemus. V. Faynum *Cali Brix* pag. 160

(5) ad S. Johannem de foris) S. Joannis de foris vocabatur Ecclesia , quam in præsentiarum possident Canonici Regulares S. Salvatoris , quia ante Civitatis ampliationem extra Urbis pomeria sita erat. V. Faynum loc. cit. pag. 173.

(6) ad S. Eusebium) hæc Ecclesia duobus abhinc seculis eversa surgebat prope Urbem extra mœnia in declivio collis *Gollethi* . V. Faynum loc. cit pag. 191.

(7) ad Concilia Sanctorum) Jacet Theophilus una cum Gaudentio in prædicta S. Joannis Ecclesia , neque uspiam proditum est aliunde in eam fuisse translatum , proinde vera mihi videtur opinio afferens , antiquam Ecclesiam *Concilia Sanctorum* nuncupatam non aliam fuisse a sacra Æde D. Joannis . Consonat & Tottus his verbis : *Jacet* (Theophilus) *ad Concilia Sanctorum , idest in Ecclesia S. Joannis de foris Brixiam* .

(8) ad ysee) Tottus , *qui jacet ad Ysaum* .

(9) Locus sepulturæ S. Cypriani hic omissus innotescit ex Totto , qui ait : *qui jacet ad Sanctum Petrum in Oliveto* . De quo plura adnotabimus in Commentario ad hunc Episcopum .

(10) in Campilinne) Hæc vox difficilime legitur literis evanescentibus . Illud *in Materno* additum videtur manu diversa. Tottus habet , *qui jacet in Campilione ad lacum Be-*

na-

ad monasterium scōrum mart. faustini & iovite	Honorius eps. scs.
(11) ad scm. zenonem de .... foris	Rusticianus eps. scs.
(12) ad scm stephanum .	Dominator eps. scs.
ad sem. stephanum .	Paulus eps. scs.
ad scam. euphemiam	Paterius eps. scs.
ad scm. stephanum .	Anastasius eps. scs.
ad scm stephanum .	Dominicus eps. scs.
ad scm. faustinum ad sanguinem	Felix eps. scs.
ad scm. petrum in oliveto	Deusdedit (13) eps. domnus
	Gaudiosus eps. domnus
(14) ad scm. gervasium iuxta scm. endream.	Rusticianus eps. domnus
qui iacet mediolani	Apollinaris eps.
	Andreas eps.
(15) ante regiam sancti iohannis bāpt.	Theodaldus eps.
	Vitalis eps.
16) ante regiam sancte marie .	Benedictus eps.
(17) ante vestigiam sancti petri in oliveto	Ansoaldus eps.

Cu-

---

nacum. A Campilione (vulgo *Campione*) ad Maternum ejusdem riperiæ benacensis oppidum, ubi nunc quiescit, fertur Herculanus translatus.

(11) ad Sanctum Zenonem de .. . foris) Quid scriptum sit in pergamena, ubi lacune aperitur, certo affirmare non audeo evanescentibus literis; videtur nihilominus legi posse *de mercato*. Tottus habet *jacet ad Sanctum Zenonem*, præterea nihil. Verbum illud *foris* cur additum sit, vel quid innuat, non satis assequor; etenim Ecclesia Parochialis S. Zenonis ad plateam vulgo *del Novarino*, quæ etiam nunc D. Rusticiani sacra Ossa possidet, solemnique pompa diem festum agit, vocari nulla ratione potuit S. Zeno de foris; si illud *de foris* accipiatur eo sensu, ut indicet prædictam sacram Ædem intra Urbis mœnia non comprehendi; quod fusius in Commentario ostendetur.

(12) ad Sanctum Stephanum) Tottus addit *in arce*, quia huic Protomartyri sacra est vetusta ædes, ubi sacra fiunt pro militibus ægrotis. & qui stipendia confecerunt.

(13) Epūs Domnus ad S. Petrum in Oliveto) Cur Deusdedit omnium primus vocetur *domnus*, cum omnes ejus antecessores donati sint prænomine *Sancti*, & cur Brixiana Ecclesia ipsum quoque Deusdedit Sanctorum cultu veneretur, suo loco exponere conabimur. Tottus ad S. Felicem adnotavit: *hactenus appellantur Sancti in libro veteri bibliotheca S. Petri in Oliveto*. Ad Deusdedit vero: *qui domnus appellatur in libro S. Petri in Oliveto*. De titulo Domni aliqua adnotabimus in Commentario ad hunc Episcopum. De S. Petro in Oliveto V. not. 9.

(14) ad Sanctum Gervasium juxta Sanctum Andream) *Ecclesia vetustissima princeps olim Urbis S. Andreæ sacra surgebat extra Urbem orientem versus e regione Monasterii S. Juliæ*. An autem proxime extiterit Ecclesia S. Gervasio dicata, quemadmodum hic innui videtur, mihi prorsus incompertum. Ad Hermannum quoque in nostro Catalogo ponitur: *ad S. Gervasium*, nil tamen addito plura dabimus in Commentario ad Rusticianum II.

(15) ante regiam S. Joannis Baptistæ) *Ecclesia S. Joannis Baptistæ, in qua vetustis temporibus extabat commune Civitatis Baptisterium .... erat in platea Cathedralis e regione Basilicæ S. Petri majoris, quæ readificatur*. Faynus in *Cœl. Brix.* pag. 187. Regia hoc loco principem portam significat, quo sensu non raro apud medij ævi Scriptores usurpatur, ut videre licet apud Macrum in Hierolexico & Cangium in Glos. Lat. V. *Regia*.

(16) ante Regiam Sancte Marie) idest Sanctæ Mariæ majoris, quam Ecclesiam intelligere semper debemus, quoties absolute Ecclesia Sanctæ Mariæ nominatur.

(17) ante vestigiam) Tottus: *ante vestigia*

ad scm. faustinum, ad sanguinem	Cunipertus eps.
in monasterio scōrum mart. faustini & iovite	Afredus (18) eps.
(19) ad scm. faustinum in monasterio	Petrus eps.
	(20)
(21) ad scm. faustinum maiorem	Rampertus eps.
(22) in civitate papia.	Notingus eps.
	Antonius eps.
(23) ante posterulam sancte marie maioris	Ardingus eps.
	Landulfus eps.
(24) in ecclesia sancti grisanti	Antonius eps.
	Gotfredus eps.
	Ato eps.
	Adelbertus eps.
ad scām eufemiam	Landulfus eps.
ad scām mariam maiorem	Vduricus (25) eps.
(26) in monasterio sancti faustini	Adelmannus eps.
qui a romana ecclesia excomunicatus mortuus est	Vdulricus (27) eps.
qui a romana ecclesia excomunicatus mortuus est	Cono eps.
	Johs (28) eps.

(18) Afredus) omittitur Antigius, & merito, utpote qui seculo duntaxat XVI ab imperito quopiam intrusus. Tottus: *Aphridius vel Anfredus, & Anfridus*.

(19) ad sanctum faustinum &c.) Tottus: *Qui jacet ad sanctum Faustinum*.

(20) Post Petrum Tottus Antonium collocat ex quodam privilegio (ut ait) S. Juliæ de anno DCCCXXXVIII. Verum Antonium hunc esse explodendum suo loco demonstrabimus.

(21) ad sanctum faustinum) V. supra.

(22) in civitate papia) Tottus: *qui jacet in Civitate Papia*.

(23) ante posterulam &c.) Tottus *Post Posterulam S. Mariæ Majoris*. Posterula ex Cangio in Glossario est porta minor, qualis revera aderat in Templo S. Mariæ majoris ad latus aquilonare, atque in S. Petrum aditum præbebat.

(24) in ecclesia sancti grisanti) Tott. S. Chrysanti. Extabat olim hæc Ecclesia prope Cathedralem; solo deinde æquata, ejus titulus translatus fuit ad Capellam ejusdem Sanctis consecratam in Ecclesia vetustissima S Joannis ad Baptisterium.

(25) Uduricus) Tott. *Uduricus, vel Valdericus, sive Udalricus & Odalricus*.

(26) in monasterio sancti faustini) Tott. addit: *Majoris*; ut distinguatur ab Ecclesia S Faustini ad Sanguinem, quæ impræsentiarum S. Aphræ vulgo nuncupatur, quam Canonici Regulares Lateranenses possident; illa vero S Faustini Majoris est PP. Benedictinorum Congregationis Casinensis.

(27) Udulricus) Fayno Odalricus, alias Udalricus.

(28) Joannes Eps.) Totius habet: *Johannes, qui excommunicatus a Rom Ecclesia mortuus est*; citatque quendam librum Bibliothecæ D. Petri in Oliveto, de qua Ecclesia ejusque mss. V. notas 9. & 13.

Herimannus eps. Hic fuit tantum a clero & populo electus. Ad scm. Gervasium

(29)

Vilanus eps. In ecclesia sancti petri maioris

(30) Maifredus eps. ⊖ non. ian. (31) in ecclasia sancti petri maioris iuxta altare sancti ambrosii.

Raimundus eps. domnus in (32) ecclesia sancti petri maioris i i. nõn. aug. Mil. Cent. LXXIII.

(33) Johs. eps. iacat in ecclasia sancti petri maioris (34) in uno sepulcro cum Raimundo epo. qui migrauit ex hoc seculo. quarta idus novembris A. D. M. C. XC. V.

Johs. Brixien. eps. qui dicebatur de (35) palazio. die tercio intrante augusto. migravit de hoc seculo. Ann. Dom. M.CC.XII. Indict. XV.

Albertus eps. qui fuit de regio. eps. civitatis brix. & electus fuit patriarcha de antiocia. M.CC.XIIJ.

Guala eps. qui fuit de bergamo. eps. civitatis brix. M.CC.XLIIIJ. et fuit de ordine fratrum predicatorum. & fuit sepultus ad monasterium de astino de Bergamo.

(36) Azzo de turbiato eps. civitatis brixie, & sepultus ast die sabati XIIIJ. (37) . . . . octubris in ecclesia maioris sancti petri de domo. M.CC.LIIJ.

(38) Cavalcacanus de Salis venerabilis eps. brix. sedit an. VIIIJ. qui fuit eiectus a pessimo Ecelino, & iacet in ecclesia sancti Georgii de loare. (39)

(40)

Martinus eps. brix. qui iacet in ecclesia sancte maria maioris.

Berardus de Madijs venerabilis eps. bxñ. Marchio dux & Comes migravit ex hoc seculo XVIJ. Kal. novamb. millõ. CCC. VIIJ. Indict. sexta. Et sepultus est in Ecclesia sancte marie maioris de brixia in monumento pulcerimis laboribus decorato.

Federicus de Madijs subsecutus eps.

(41)

Tiberius de la ture de mediolano venerabilis eps. bxñ. Marchio dux & comes. Migravit ex hoc seculo die IIIJ Kal. januarii M CCC. XXXIII. & sepultus ast in ecclasia sancte marie maioris in capela sancte trinitatis in eadem ecclesia maiore.

C A P.

---

(29) Herimannum inter & Villanum occurrunt in Totto Odericus, & Obertus.

(30) Maifredus) Tott. Maifredus, vel Manfredus: altera nostri Catalogi pars hic terminat.

(31) ⊖) scilicet obiit.

(32) in ecclesia sancti Petri majoris) Tottus addit: *apud Pusterulam Sancta Maria*. V. num. 23.

(33) Johannes Eps.) Tott. *Johannes Flumicellus*.

(34) in acclasia sancti petri maioris) Tottus addit: *apud Pusterulam sancta Maria*, V. not. 23.

(35) de palazio) Tott. *de Palatio*.

(36) Azzo de turbiato) Tott. *Azo Turbiatus*.

(37) Spatium, quod punctis signavi, in membrana occupat compendiaria quædam nota, quam existimo reddi debere per verbum *exeuntis*. Tottus habet: *Sepultus in Ecclesia S. Petri majoris in Festo S. Luciæ*. Sed mendum inest, ut suo loco ostensuri sumus. Itaque legendum ut in nostro Catalogo.

(38) Cavalcacanus &c.) Tott. *Cavalcanus Salius Brixianus*.

(39) de loara) Tottus addit: *anno* 1263. *mense Januario*.

(40) In Totto medius inter Cavalcanum & Martinum scriptus est Ubertus Placentinus anno MCCLX. quo de agemus suo loco.

(41) Tottus hic Jacobum inserit, aliis tamen incognitum. Manu omnino recentiori additus est Federicus, eo in spatio, quod vacuum ejus continuator reliquerat Berardum inter & Tiberium, quo devenit.

CAP. V.

De Fragmento , quod hic exhibetur Martyrologii Adonis , ex Bibliothecæ Vaticanæ mſ.° depromtum .

CUm laudatus Burgundius ex Bollandianis in commentario ad SS. Fauſtinum & Jovitam martyres Brixianos die xv. Februarii , & ex commentario ad S. Calocerum die xviii. Aprilis cognoviſſet , inter alios Martyrologii Adonis Archiepiſcopi Viennenſis Codices , quos Vaticana ſervat Bibliotheca , unum eſſe , quem Enſchenius putabat uſui olim fuiſſe Brixianæ Eccleſiæ , id omne ex illo accuratiſſime exſcribi curavit , quod ad eamdem ſpectaſſet , quam operam Carolus Majella Bibliothecæ Vaticanæ tunc Præfectus poſuit , Burgundioque miſit , qui commentario eam Martyrologii partem adornavit . Hoc opportunum viſum mihi fuit ad illuſtranda ea , quæ ad nonnullos ex noſtris Epiſcopis ſpectant . Cum igitur fragmenta ſuis quæque locis attulerimus , juvat hic totam rem integre exhibere . Me autem ſpero , id facientem , non inutiliter laboraſſe viſum iri , cum de rebus agatur , quas Codex ſuppeditat , vetuſtiſſimus , ut arbitramur , omnium Adonianorum , qui hactenus detecti ſunt , quemque (ſi partem excipias allatam a Bollandianis , quos jam citavimus in SS. Apollonio , Fauſtino & Philaſtrio) nemo , quem ſciamus , conſuluit ; ne ipſe quidem poſtremus illius Editor Cl. Georgius ; ſibi enim rem incognitam fuiſſe faſſus eſt literis , quas mihi vir ingenuus ſcripſit . Æquum autem & utile cenſemus publicare ſimul doctas ſolidaſque animadverſiones , quas manu exaratas reliquit laudatus Burgundius . Habe igitur , Lector , Burgundianum ſcriptum , ex Italica lingua in latinam verſum , & quam maxima fieri potuit brevitate compactum .

Primum igitur Auctor ſcripta exhibet elogia , cujuſmodi proſtant in citato regio mſ. de SS. Fauſtino & Jovita martyr. die xv. Febr. , de S. Apollonio Epiſcopo die vii. Jul. , & de S. Philaſtrio die xviii. ejuſdem menſis . Præterit commemorationes martyrii & translationis S. Caloceri die xviii. Aprilis , translationis ſupradictorum SS. Fauſtini & Jovitæ die ix. Maji , & tandem mortis & translationis

Episcopi Antigii die xiv. Novemb. Hæc enim ex eodem regio ms. jam ediderat Enschenius.

Progrediens inde probat, prædicta Sanctorum elogia, excepto illo in Antigium, legitimum esse Adonis fœtum, contra quam sentiunt Enschenius & Sollerius, in hoc Rosvveydum secuti. Hinc diluit, quæcumque nominati Scriptores objiciunt, generalia & particularia argumenta.

Scripserat in Commentario de SS. Faustino & Jovita die 15. Februarii num. xv. Enschenius, in dicto Martyrologio contineri *multa per totum annum de Sanctis Brixianis;* & suspicabatur, illud Brixiæ adauctum talia hinc additamenta traxisse: *apud ipsos Brixienses*, inquit loco supra citato, *auctum olim suspicamur, quod accuratissima de SS. Brixiensibus encomia complectatur:* die vero xviii. Aprilis in commentario prævio ad S. Calocerum num. 2., remoto dubio, affirmat: *apud Brixienses olim auctum, dein pro Ecclesia Tolonensi in Provincia circa annum MCLXX. sub Petro ejusdem Urbis Episcopo transcriptum*. At Burgundius hujusmodi suspicionem oppugnat. Revera quod pertinet ad elogium SS. Faustini & Jovitæ, negat se videre, quare abjudicari debeat Adoni; ejusmodi enim elogium editum est a Lyppomano ex veteri ms. Bononiensi: editum est a Mosandro in suo Adone publicato ex quatuor pervetustis Codicibus mss. sibi mutuo correspondentibus; ac demum inventum a Bollandianis in Codice ms. Reginæ Svecorum. Hæc momenta adducunt laudatum Abbatem, ut credat, dictum elogium esse germanum Adonis fœtum. Rosvveydus, qui hoc ad appendicem amandavit, se tuetur tribus Codicibus, ubi Sancti, de quibus sermo est, desiderantur. Licet autem eorum Codicum ætatem non statuat, Mosandrianis tamen vetustiores esse contendit. Reponit Burgundius inter cetera: ex tribus hisce Codicibus Rosvveydianis, eum, qui majorem ceteroquin jactat antiquitatem, utpote mancum ab initio usque ad mensem Martium, nullo jure citari posse, ubi agatur de Sanctis, quorum festum cadit in Februarium, cujusmodi est illud SS. Faustini & Jovitæ. Præterea si Rosvveydus ætatem suorum trium Codicum indictam præterit, ut Mosander illam suorum quatuor, quo jure illis supra hos, antiquitatis prærogativa est concedenda? Præterquamquod Rosvveydiani Codi-

Codices quomodo antiquiores Mosandrianis habendi, si primus inter Rosvveydianos unus ex illis est, quibus est Mosander ipse usus? Nonne Rosvveydus ipse sua in præfatione illud ipsum diserte hisce verbis fatetur? *Primus fuit S. Pantaleonis Coloniæ, quem suppeditavit Chartusia Coloniensis, ex qua Ado, curante Mosandro, prodierat. Secundum nactus sum ab Everbodiensi Abbatia, juxta Sichemium. Tertium e Petro Scriverio, qui etsi singuli se vetustate sua probarent, tertius tamen eminebat, nisi quod huic prima omnia deerant usque ad Martium, & pars in Junio Julioque;* alibi autem, scilicet in monito ad Lectorem, fassus est, vetus Romanum Martyrologium se deduxisse ex eodem Codice msf. S. Pantaleonis, *ex quo Jacobus Mosander Chartusiæ Coloniensis Religiosus, ante annos aliquot, Adonis Martyrologium expressit*. Porro illud est animadvertendum, quatuor Mosandri Codices perfecte sibi constare, quartum si excipias: *quartus a Monacho Ordinis Benedictini* (verba sunt Mosandri) *conscriptus, aliquot Sanctorum nomina continebat, quæ in ceteris tribus non habebantur, quorum nomina, sua in editione, asterisco jussit signari ad evitandum omnem errorem & scrupulum*, ait ipse Mosander. Quatuor itaque Codices videntur sibi in reliquo congruere, ideoque vis Rosvveydiani argumenti prorsus corruit. Utcumque vero Faustini & Jovitæ elogium in aliquibus desideretur Codicibus, non ideo tamen illegitimum habendum, contendit noster Abbas, innixus auctoritate Mabillonii, qui eadem de caussa videns, a celebri Martyrologio exulare expunctos S. Maurum, S. Scholasticam, totque alios, canonem proposuit, quo omnes hi Sancti proscripti apte vindicari possunt. *Quod enim alia atque alia desint in diversis membranaceis Codicibus id provenit ex duplici Capite. Primum quod cum istud Martyrologium in divinis Officiis per varias Ecclesias legeretur, alii ipsum contrahebant; alii quosdam Sanctos Provinciæ aut Ecclesiæ suæ ignotos recusabant. Alterum quod auctor ipse multis vicibus Martyrologium suum auxit, alios atque alios addendo Sanctos, qui in eo primo non exstabant. Unde contigit, ut qui primarium exemplum transcripsere, non tot habebant, quam qui secundariis exemplaribus usi sunt.* Hunc canonem approbat Sollerius. *Prudentem* (ait) *conjecturam; quippe qui eam nonnunquam admittere coactus sum*; quamvis autem eumdem, ubi Mabillonius valere affirmat, ibi circumscribat

ajens : *At vero ubi primigenia simplicitas quaeritur, non conjecturaliter, sed certo decernimus, eam non ex unius, aut alterius Codicis, sed ex plurium aeque probatorum collatione decernendam*, verba sunt Sollerii praefat. ad Martyrol. Usuardi T. VII. SS. Julii. Rem tamen aliter esse, asserit Burgundius de Elogio SS. Faustini & Jovitae; siquidem existimat, hoc perperam a Bollandiano abjudicari Adoni, cum non in uno alterove Codice inveniatur, sed in multis, & praesertim in Regio supradicto, cui nescit, an quisquam alius hactenus comparari queat & opponi.

Aliud quoque objectum Sollerii Burgundius non dissimulat: *Aloysius, & Mosander ambos Sanctos*, (verba sunt Sollerii) *Adoni constanter adscribunt, cum prolixo elogio, sed id a Rosvveydo recte in appendicem rejici, vel inde probabilissime suspicor, quod ex tota ea historia ne verbum in Notkero, qui tamen Faustini meminit, reperiatur, nec quidquam etiam ab Usuardo extractum sit, adeo ut non satis constet, unde eos acceperit, praesertim cum Jovita a nemine ante ipsum virginis titulo insignitus sit: vix dubito, quin faeminam existimaverit, nusquam solitus lauream viris tribuere*. Deinde Sollerius Martyrologia Usuardi, & Notkeri tanquam filios Adoniani habet iis verbis; *cum enim ii duo* (sunt ejus verba loc. cit.) *priorem passim aut contrahant, aut describant, certiori indicio explorari nequit, quid proprie Adoni, quid multiplicibus ejus interpolatoribus sit adscribendum*. Respondens noster Abbas animadvertit, Sollerium quaedam Sanctorum monumenta, quorum nullum in Usuardo, & Notkero vestigium, nihilominus existimasse Adonis, *praecipue circa Episcopos Viennenses, quibus cum Usuardus saepe careat, verisimile existimo*, ait Sollerius, *Adonem ipsos Martyrologio suo Lugduni perfecto, Viennae postea addidisse*. Addit Burgundius, ex silentio Usuardi & Notkeri male argui, hunc, vel illum Sanctum non esse Adonis, nisi antea ostendatur, ultimum hujus exemplar, omnia ejusdem additamenta continens, ipsis ob oculos fuisse. Potuit enim, in accessione ab eodem Adone facta illud esse, quod iidem in solo exemplari vetusto non deprehenderant.

At ex ipsis Regii ms. verbis, quae prostant in Elogio SS. Faustini & Jovitae die xv. Februarii, ut & in illo S. Caloceri die xviii. Aprilis, sapiens Abbas colligit, verum elogii Auctorem Adonem fuisse. Ubi enim edita apud Surium, Lippomanum,

num , & Rosvveydum die xv. Februarii ajunt de S. Calocero (cujus passio conjuncta est cum illa Martyrum Fratrum proxime laudatorum) : *qui obtruncatus Albingano fuit, ibi..... multo tempore quievit; quamvis postea Angilbertus...eum inde transtulerit*: in Regio mf. legitur *ibi.... usque ad hoc nostrum tempus quievit: quamvis nunc Angilbertus.... Eum inde transtulerit*. Eademque formula apparet in altera, quæ fit, Caloceri mentione, die XVIII. Aprilis, *in Albingano Civitate truncatione capitis Christi Dei Omnipotentis Martyr effectus est, ibique prius sepultus, & nunc in Monasterio præfato Clavadis nostro tempore conditus requiescit*. Qui loquendi modus (inquit Abbas) ostendit, Scriptorem fuisse sincronum Angilberto, & translationi, quam hic fecit, S. Caloceri. Obiit Angilbertus Archiepiscopus ann. DCCCLX. postquam Mediolanensem Ecclesiam annos XXXV. administrasset. Adon vero suum scripsit Martyrologium ann. circiter DCCCLVIII., aut paullo ante : cui accessiones facere potuit usque ad DCCCLXXV., quo decessit. Quare igitur, subdit, elogium quamlibet interpolatum, in pluribus aliis Adonis exemplaribus existens, auctorisque ætati tam bene consonans, ad alium Scriptorem potius, quam ad ipsum referendum est? Multum profecto ei, quisquis fuerit, debemus, qui hoc Martyrologium transcripsit circa annum MCLXX. (juxta Enschenium) ad usum Ecclesiæ Tolonensis, propterea quod primi dictatum Auctoris fideliter servavit : contra quam alii fecere Transcriptores, ipsi pariter longe dissiti ab Adonis ævo. Hi ore suo loqui volentes Auctoris sensum mutarunt substituentes : *multo tempore, & postea*. Hinc pretium nostri mf. Regii facile colligitur, quod vel unum laudatus Abbas in rem nostrorum Martyrum, præferre non dubitat cunctis aliis Adonianis, hactenus productis ab Eruditorum turba. Unde autem factum fuerit, ut Bollandiani veram mf. lectionem prætererint, fatetur, se nescire, & aliis investigandum relinquit.

Eamdem manum (postea subjicit) quæ dedit Elogium SS. Faustini & Jovitæ, redolent aliæ Sanctorum Brixianorum memoriæ, in Regio Adone descriptæ, si unam Antigii excipiamus. Æquum enim erat, ut Auctor, qui se tam propensum erga hos Sanctos exhibuerat, memoraret eorumdem translationem die IX. Maji.

Quod pertinet ad Elogium D. Caloceri, verba (de quibus su-

supra) : *nostro tempore conditus* indicant & produnt stilum & sensum alibi scribentis : *usque ad hoc nostrum tempus* . De S. Apollonio mentio videbatur ab auctore facienda etiam die propria; quippe qui magna pars historiæ Sanctorum Fratrum fuerit, non minus ac Sanctus Calocerus. Tandem elogium Sancti Philastrii (ut & illud Sanctorum Faustini & Jovitæ) cujusmodi repræsentat regius Adonianus codex , purum ac genuinum dicas , talis color est : contra in Codicibus Lyppomani, Mosandri , & Rosvveydi interpolatus occurrit .

Denique subjungit Burgundius unde Adon Acta nostrorum Sanctorum comperire potuerit , quæque caussæ ad ipsos memorandos eumdem moverint; fuit , inquit, natione Gallus ex Ordine Benedictino : quinque annos Romæ degit , unde profectus denuo in Galliam martyrologium scripsit. Circa eadem tempora noster Episcopus Rampertus cultum erga Sanctos Faustinum & Jovitam excitaverat , nam sub eorumdem auspiciis insigne Cœnobium Brixiæ erexerat, præficiens eidem religiosissimos Monachos Ludgarium & Ildemarum , quos ab Angilberto Archiepiscopo ex Gallia accitos obtinuerat, ad fundamenta regularis observantiæ denuo jacienda. Hoc autem (concludit Burgundius) latere debuit Adonem Monachum Gallum , quique aliquamdiu in Italia commoratus erat? Credibile nunquid est , eum , re comperta , hos Sanctos præterire voluisse, quos norat, & ab hac Urbe , & a Monachis sui ordinis, suæque nationis præcipuo cultu honorari? Hactenus Burgundius, cujus observationes licet certissime non evincerent , hunc Adonis codicem manuscriptum ipsum esse auctoris vel autographum vel apographum ; illud tamen, nostra sententia , luculenter ostendunt, ipso saltem Adonis ævo conscriptum fuisse. Ex altera enim parte , in eo conscribendo incumbebat auctor anno DCCCLVIII. Angilberto Præsule Mediolanense in vivis agente, ex altera vero, ejusdem obitum anno septuagesimoquinto supra octingentesimum accidisse , Mabillonius parte secunda Seculi IV. Benedictini pag. 237. certo demonstrat. Neque referret, etiamsi probaretur, fieri aliquorum Sanctorum commemorationes, quorum memoria post illud tempus cœpta sit celebrari, cujusmodi est illa translationis S. Antigii; nam tantum monumentum rejiciendum non esset, *sicut nec omnino rejicitur* , teste viro omnium laudibus cumulatissimo , Ven. Josepho

pho Maria Thomasio in præfatione ad Codices Sacramentorum, *tamquam fucatus Sancti Gregorii Sacramentarius*, *etsi in illo legas Missam in Dedicatione Sanctæ Mariæ ad Martyres*, *quam instituit aliquot post eum annis Bonifacius IV. Constat enim*, *hujusmodi sacros libros non ad meram eruditionem conscribi*, *sed ad usum potissimum Ecclesiarum*, *unde novas semper accessiones pati oportet*, *prout ipsa consuetudinis*, *temporisque ratio tulerit* (45) .

Quibus constitutis, speramus, fore ut in nullius reprehensionem incurramus, dum auctoritate hujus manuscripti Martyrologii Adonis vetustissimum cultum eorum nostræ Ecclesiæ Pontificum, quorum memoria ibi continetur, suis locis confirmavimus. Porro citatum Adonis fragmentum sic se habet .

Fol. 28. a tergo sub linea 45.

XV. Kal. Martij

Brixiæ Natalis Sanctorum Martyrum Faustini, *& Jovitæ*, *qui nobili progenie in Civitate Brixiana orti. Nam Parentes eorum in predicta Civitate Caput Senatus fuerunt. Jubente Adriano Imperatore a quodam italico Comite Reciarum in jam dicta Brixiana Civitate comprehensi*, *& in carcere sunt retrusi. Postea vero Adriano jubente post multa*, *& diversa tormenta traditi sunt immanissimis feris*, *idest Leonibus*, *Leopardis*, *Ursis*, *atque superbissimis Tauris ad dilacerandum; sed ipsæ feræ Domino mitigante veluti Agni in mansuetudinem Sanctis Dei conversæ sunt*, *ita ut ipsorum pedibus prostratæ illorum vestigia lingerent; Inimicos autem Dei una cum ipso italico Comite facto impetu interficerent. Novissime autem in æquuleo*, *& alligati in igne missi sunt*, *positi super Locellam æneam*, *in qua erat hinc inde plumbum liquatum*, *sed ipse ignis nihil Sanctis Dei nocuit*, *inimicos vero illorum quotquot attingere potuit una cum Pompejo fratre Adriano Imperatori exussit. Quo viso Sanctus Calocerus*, *qui tunc curam Palatij habebat credidit cum officio suo usque ad duodecim millia hominum. Unde iratus Adrianus ipsis omnibus excepto Calocero capita amputari jussit. Deinde admonentibus Sanctis Angelis Beatus Appollonius Brixianæ Ecclesiæ Episcopus Sanctum Faustinum consecravit Presbiterum*, *& Beatum Jovitam Diaconum ordinavit. Post hec autem jubente Adriano Imperatore*, *Beatus Faustinus*, *& Jovita una cum Sancto Kalocero vincti ferro Me-*

(45) Tom. VI. Opp. Thomasii p. VI.

Mediolanum ducti sunt. In qua Civitate Adrianus plumbum fervescens, & liquescens per fistulas in ore ipsorum trium mitti precepit, sed nihil Sanctos Dei nocuit. Insuper, & oculos Beato Faustino, & Jovitæ jussit auferri, sed altera die eis Dominus suos oculos restituere dignatus est. deinde traditi sunt ipsi tres sevissimis bestiis, idest Tigribus, Ursis, atque superbissimis Tauris, sed ipsæ feræ sicuti priores Domino operante Sanctos Dei in mansuetudinem conversæ sunt. Ex Paganis autem maximam multitudinem interfecerunt. Post hæc, & alia tormenta jussit Adrianus cuidam Simplicio Primicherio scolæ Candidatorum Kalocerum in Albinganum Civitatem duceret, & ibi si non præceptis ejus obtemperaret eum interimeret; nam ibi amputatione capitis post multa tormenta Martyr Christi effectus, usque ad hoc nostrum tempus quievit. Quamvis nunc Angilbertus Archiepiscopus Mediolanensis Ecclesiæ eum inde transtulerit, & in Monasterio quod vocatur de vadis suæ Diocesis summa cum diligentia, & honore collocare curavit. Ipse vero Beatus Kalocerus cum in custodia Albinganum tunc iret, devenit in Civitatem Astensem, & ibi invenit Sanctum Secundum ipsius Civitatis illustrem, & cum eidem secundo Christum predicaret, & multa de Beato Faustino, & Jovita diceret, & qualiter in Mediolanum pro Christi nomine plurima passi in vinculis detinerentur, credidit ipse, & summa cum festinatione venit Mediolanum, & a Sanctis Dei Faustino, scilicet & Jovita baptisatus, & postmodum in civitatem suam Astensem iterum reversus est, & ibi amputato capite āp. dictos Apricio Christi Martyr effectus est. Post hæc Sancti Martyres Faustinus, & Jovita vincti ad urbem omni sub cujusdam custodia Antiochi Presidis ducti sunt, & ibi diversis pœnis afflicti, multos ad fidem converterunt ibidem, & in aliis locis plurima Domino per eos faciente miracula. ibi etiam invenerunt Sanctum Linum Episcopum Urbis Romæ inter sepulcra Martyrum latitantem, quem rogaverunt, ut faceret Beatum Kalimerum, qui per eorum predicationem inter plurimos Romanos credidit, in Civitate Mediolanensi Episcopum. Quo facto iterum sub custodia Aureliani Comitis ducti sunt ad Neapolitanam Civitatem, & ibi multa, & varia tormenta perpessi, multis miraculis ostensis Domino juvante multos ad fidem converterunt. Postea vero māōnsque ligatis in mare demersi, & ab Angelis liberati, & ad litus deducti sunt. Novissime autem jussu Adriani in Civitatem Brixianam deducti sunt; & in ipsa civitate a præfato Aureliano Comite post multa vero tormenta capitibus Christi Martyres effecti sunt, quorum Missa

sa

ſa in Gelaſio continetur ſolummodo. Item Sancti Fauſtini Confeſſoris Brixienſis, qui corpora Sanctorum Fauſtini & Jovitæ collegit.

Fol. 44. linea prima.

XIV. Kal. Maij

Natalis Sācti Kaloceri Martyris, qui ut ſuperius in quinto decimo Kalendarum Martiarum diximus predicantibus beatiſſimis Martiribus Fauſtino, & Jovita in civitate Brixiana ſub Adriano Imperatore videns eorum conſtantiam, atque virtutes, quas adjūante Domino coram Adriano Imperatore faciebant per predicationem eorum baptiſatus eſt cum ſuo officio uſque ad XII. millia ab Sancto Appollonio Epiſcopo Brixienſe, & precipiente eodem Imperatore multa, & varia tormenta paſſus eſt, & in Albingano Civitate truncatione capitis Chriſti Dei omnipotentis Martyr effectus eſt ibique prius ſepultus, & nunc in Monaſterio præfato da Uadis noſtro tempore conditus requieſcit.

Fol. 55. a tergo linea prima.

VII. Idus Maij

Initium Æſtatis, quod & verius eſt, eo quod magis in hoc ſicut Beda dixit eſt ſequenda auctoritas Grecorum, & Latinorum qui ita conſentiunt, quam Iſidori, qui dicit initium æſtatis eſſe octavo Kalendarum Juniarum. Habet enim hoc tempus Dies nonaginta uno, & trāslatio Beatorum Martyrum Fauſtini, & Jovitæ in civitate Brixiæ facta a Domino Ramperto ejuſdem civitatis Anno Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti DCCCXLIII. Indictione VI.

Fol. 86. a tergo ultima linea.

Nonis Julij.

Item Sanctorum Palladij, Appollonij Brixienſis Epiſcopi.

Fol. 89. a tergo, & ſequenti linea XIV.

XV. Kal. Auguſti.

In Brixia civitate Depoſicio Filiaſtro ipſius civitatis Epiſcopi, qui cum fuiſſet Presbiter ordinatus ductus amore Dei relictis omnibus univerſum pœnæ ambitum circuivit urbis quatenus ſequutus veſtigia Pauli Apoſtoli per ſingula loca Animas fraude Diaboli deceptas de ſempiterno ſuis predicationibus liberaret interitu. Unde non ſolum contra Judæos, atque Gentiles verum etiam contra omnes pene hæreſes, & maxime contra Arianam perfidiam, quæ tunc nimium

mium pravalebat fidei vigore pugnavit; & ob hoc verberibus castigatus Stigma Domini nostri Jesu Christi suo portabat in corpore. Nam, & in Mediolanensi urbe idoneus custos Dominici gregis fuit, & Auxentio arriano perfidie Episcopo prius quam Beatus Ambrosius eligeretur divina gratia fultus nimium repugnavit. Romam etiam non exiguo tempore demoratus multos, & publica, & privata disputatione est in fide lucratus, & quia valde hereticos impugnabat voluit de eorum singulis sectis, atque doctrinis nefandissimis librum componere quatenus singularum hæresium errore patefacto, nullus ab eis saltem simplex in Ecclesia constitutus, veluti musca a telis aranearum comprehendi possit, de quo Beatus Augustinus in Epistola sua quam cuidam vult Deo Diacono de singulis generibus herejorum scripsit ita dicit. Filiaster autem Brixianus Episcopus in prolixissimo libro, quem de heresibus condidit, centum viginti herejes arbitratus est computandas. Item inferius dicet Filiaster esse alios hereticos, qui cum hominibus non sumunt escas.

Fol. 163. a tergo linea decima tertia.

XVIII. Kal. Decembris

Lingonis civitate Galliæ. ibi territorio magno montense. transitu Sancti Antigii confessoris, & Episcopi, qui primo ibidem sepultus, postea vero inde translatus, & in cairiaco villa in Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & Sancti Martini a domno haymone venerabili Sacerdote honorifice reconditus est; deinde post non plurimos annos ob metum Nortmannorum, qui tunc maximam partem Franciæ, a. Burgundiæ vastaverant ab ipso Sancto Sacerdote perlatus, & in Italiam adductus, atque in civitate Brixiæ in monasterio Sanctorum Martyrum Faustini, & Jovitæ, quod ipse jam dictus venerabilis abba postea per annos octo, menses IV., dies XXIII. honorifice rexit. venerabiliter collocatus quiescit.

Suprascripta excerpta sunt ex vetusto Codice M. S. membranaceo Bibl.æ Vaticano-Alexandrinæ, in cujus prima pagina ad calcem alia manu hæc verba subscripta sunt: *Martirologium antiquum, quod fuit Ecclesiæ Cathedralis Tolonensis*. Signatur autem Codex num. 435 cum quo collata concordant. Salva semper &c. In quorum fidem &c. Romæ pridie Kal Junias MDCCXVIII.

Carolus Majellus Bibl.æ Vat.æ Præfectus &c.

Nihil alid invenitur de Sanctis, aut Civitate Brixiæ, nisi quod superius descriptum est.

Joseph Beghier.

PON-

PONTIFICUM BRIXIANORUM
TABULA CHRONOLOGICA

AB ANNO CHRISTI CIRCITER LV. AD ANNUM MDCCLV.

I.	Anathalon Episcopus Sanctus	circiter ann. Christi	LV.	Pag. 1.
II.	Clathæus Episc. Sanct.	circiter ann.	LX.	8.
III.	Viator Episc. Sanct.	circiter ann.	LXX.	11.
IV.	Latinus Episc. Sanct.	circiter ann.	XC.	15.
V.	Apollonius Episc. Sanct.	circiter ann.	CXIX.	18.
VI.	Urlicinus Episc. Sanct.	ann. Christi	CCCXLVII.	23.
VII.	Faustinus Episc. Sanct.	circiter ann.	CCCXLVII.	32.
VIII.	Philaster Episc. Sanct.	circiter ann.	CCCLXXX.	34.
IX	Gaudentius Episc. Sanct.	circiter ann.	CCCLXXXVII.	51.
X.	Paulus I. Episc. Sanct.	circiter ann.	CCCCXI.	65.
XI.	Theophilus Episc. Sanct.	circiter ann.	CCCCXXX.	67.
XII.	Silvinus Episc. Sanct.	circiter ann.	CCCCXL.	69.
XIII.	Gaudiosus I. Episc. Sanct.	circiter ann.	CCCCXLIV.	70.
XIV.	Optatianus Episc. Sanct.	ann. Christi	CCCCLI.	71.
XV.	Vigilius Episc. Sanct.	circiter ann.	DVI.	73.
XVI	Titianus Episc. Sanct.	circiter ann.	DLXXVI.	75.
XVII.	Paulus II. Episc. Sanct.	circiter ann.	DLXXX.	76.
XVIII.	Cyprianus Episc. Sanct.	circiter ann.	DLXXXV.	77.
XIX.	Herculanus Episc. Sanct.	circiter ann.	DLXXXVIII.	78.
XX.	Honorius Episc. Sanct.	circiter ann.	DXC.	81.
XXI	Rusticianus I. Episc. Sanct.	circiter ann.	DXCIII.	82.
XXII.	Dominator Episc. Sanct.	circiter ann.	DXCV.	84.
XXIII.	Paulus III. Episc. Sanct.	circiter ann.	DC.	85.
XXIV.	Paterius Episc. Sanct.	circiter ann.	DCIV.	89.
XXV.	Anastasius Episc. Sanct.	circiter ann.	DCX.	91.
XXVI.	Dominicus I. Episc. Sanct.	circiter ann.	DCXV.	92.
XXVII.	Felix Episc. Sanct.	circiter ann.	DCXVII.	93.
XXVIII.	Deusdedit Episc. Domnus	ann. Christi	DCLXXIX.	95.
XXIX.	Gaudiosus II. Episc. Domnus	circiter ann.	DCXC.	98.
XXX.	Rusticianus II. Episc. Domnus	circiter ann.	DCC.	99.
XXXI.	Apollinaris Episcop.	circiter ann.	DCCXXX.	100.
XXXII.	Andreas I. Episc.	circiter ann.	DCCXL.	102.
XXXIII.	Theodaldus Episc.	circiter ann.	DCCL.	103.
XXXIV.	Vitalis Episc.	circiter ann.	DCCLX.	104.
XXXV.	Benedictus Episc.	ann. Christi	DCCLXI.	ibid.
XXXVI.	Ansoaldus Episc.	circiter ann.	DCCLXXIV.	105.
XXXVII.	Cunipertus Episc.	circiter ann.	DCCXC.	107.
XXXVIII.	Amphridus Episc.	circiter ann.	DCCC.	108.
XXXIX.	Petrus I. Episc.	circiter ann.	DCCCX.	109.
XL.	Rampertus Episc.	ann. Christi	DCCCXIX.	112.
XLI.	Notingus Episc.	circiter ann.	DCCCXLIV.	124.
XLII.	Antonius I. Episc.	ann. Christi	DCCCLXV.	135.
XLIII.	Ardingus Episc.	ann. Christi	DCCCCI	139.
XLIV.	Landulphus I. Episc.	circiter ann.	DCCCCXXII.	144.
XLV.	Antonius II. Episc.	ann. Christi	DCCCCLII.	145.
XLVI.	Gotfredus Episc.	ann. Christi	DCCCCLXX.	148.
XLVII.	Atho Episc.	circiter ann.	DCCCCXCV.	150.
XLVIII.	Adalbertus Episc.	ann. Christi	DCCCCXCVI.	151.
XLIX.	Landulphus II. Episc.	ann. Christi	MVIII.	153.
L.	Udalricus Episc.	ann. Christi	MXXXI.	157.
LI.	Adelmannus Episc.	circiter ann.	MXLVIII.	164.
LII.	Udulricus Episc.	circiter ann.	MLIII.	177.

LIII.

PON-

(a) Vide addenda & mutanda,

PONTIFICUM BRIXIANORUM SERIES

Commentario Historico illustrata.

I.
ANATHALON EPISCOPUS SANCTUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI LV.
QUI JACET MEDIOLANI (1).



Nathalon primus (2) est sanctæ Brixianæ Ecclesiæ Pontifex, qui in nostro Indice occurrit, quemque communis est opinio Græcum fuisse, Athenisque natum, aut in Cypro Insula. Baronius (3), quem Brixiani Scriptores sequuti sunt, eum facit S. Barnabæ Apostoli discipulum, quod hausisse videtur ex quodam Myroclis vetustissimi Præsulis Mediolanensis epitaphio, sequioribus tamen seculis compacto, cui hoc est initium:

D. Anathaloni Attico secundo Episcopo.
Petri hospes, sanctèque Anathalon, Domne probate,
Atque idem socius Barnabæ Apostolici.

Baronii sententiæ accedit Ughellus in Episcopis Brixianis, ubi Anathalonem vocat: *Barnabæ Alumnum* (4), quamquam

A Fran-

(1) Hanc notam posuimus, ut est in nostro Indice mſ., quam tamen sub finem commentarii hujus Episcopi corrigemus.

(2) Canonicus Galeardus in notis mſſ. ad Martyrologium Fayni pag. 123. quod exstat in secretiori Bibliotheca PP. Oratorii Brixiæ, animadvertit Anathalonis mentionem fieri VIII. Cal. Octob. in Martyrolog. Peregrini, a quo vocatur: *primus Brixiæ Episcopus*. Hoc autem Martyrologio utebatur Brixiana Ecclesia ante usum Martyrologii Baroniani.

(3) In notis ad Martyrol. Rom. die 25. Septembr.

(4) Tom. IV. Ital. Sacræ pag. 523.

Francisco de Aste (5) placuit adversus Baronium ex eodem Myroclis loco inferre Anathalonem fuisse S. Barnabæ socium, suamque confirmat opinionem auctoritate gravis & vetusti Auctoris Pauli Varnefridi, qui *Anathalonem a Petro* (6) *Apostolo Mediolanum missum fuisse* scripsit in Chronologio Episcoporum Metensium; ex quibus Pauli verbis mihi videtur colligi posse, Anathalonem in istas Galliæ Cisalpinæ partes missum fuisse a Rom. Pontifice, in quam sententiam, aliis tamen ductus rationibus, ita Bacchinius scripsit (7): *Mihi aptius ad priorum Christianorum ingenium concludendum videtur, primum Mediolanensem Episcopum (sive ille Calimerus fuerit, sive Anathalon) a Rom. Episcopo ordinatum, missumque. Ita ab initio nullum ibi Metropolitici juris vestigium, sicut nec alibi per Occidentem.*

Quonam autem Christi anno missus fuerit divinare potius, quam probabili conjectura assequi licet. Quis enim tacentibus primorum seculorum hominibus, de tanta antiquitate spondere potest? Quamobrem nihil est mirum, si Scriptores in subducenda chronologia mirifice inter se discrepent. Ughellus in Episcopis Brixien. tradit a S. Barnaba destinatum fuisse Brixianum Episcopum anno æræ vulgaris LIII. (8). Dum vero Cyprum proficisci cogitaret Apostolus, Anathalonem Brixia evocatum in Cathedra Mediolanensi ab eodem relictum esse, sui successorem. At ipse Anacronismi nota jure vapulat a Galeardo (9) in notis ad Episcopos Brixien. *Si jam* (inquit) *anno a Christi nativitate LI. Mediolanensem Cathedram conscendit D. Anathalonus, ut vult in Mediolanensibus Ughellus, ... quomodo constitutus est a S. Barnaba Brixiensis Antistes anno LIII. ut hic asserit Auctor?* Papebrochius in Exegesi de Episcopis Mediolanensibus (10) nihil certi statuit. Ex Catalogo tamen pervetusto Episcoporum illius Ecclesiæ ibidem edito colligi posse arbitratur, sedisse Anathalonem annis tredecim, depositumque VIII. Cal. Octobris, ab anno scilicet VII. Claudii, ad VIII. Neronis, idest ab anno æræ vulgaris 47. ad annum usque 60. Alias recensere opiniones nec vacat, nec juvat. Cl. Abbas Burgundius probabilius putabat Ana-

tha-

(5) In Disquisitionibus ad Martyrol. Rom. die 25. Septemb. pag. 439.

(6) Tom. VIII. Bibiloth. Colonienf. PP. pag. 315. Scripsi *Petrum* nam quod *Paulus* eo loci legatur, omnino erratum fuit.

(7) De Ecclesiast. Hierar. pag. 345.

(8) Loc. cit.

(9) In notis ad Episcopos Brixianos Tom. IV. Ital. Sac. pag. 523.

(10) Edita in fronte Tom. VI. Maii Bolland. pag 111.

thalonem noſtros inter Epiſcopos recenſeri non poſſe , niſi lata quadam ſignificatione . Burgundio favet Canonicus Galeardus hac ductus ratione: Rampertus IX. Seculi Scriptor, & Epiſcopus noſter S. Philaſtrium vocat VII. Brixianum Epiſcopum (11) , cum vero alius ex ejus Anteceſſoribus dubius eſſe nequeat, conſequitur S. Anathalonem e noſtrorum Epiſcoporum numero eſſe expungendum , ut conſtet Ramperti auctoritas, quæ ſine temeritatis nota elevari in hac re non poteſt . Nullum enim hujus Eccleſiæ Epiſcoporum ſeriem commemorantem Ramperto habemus probabiliorem, fideque digniorem, tum propter vitæ ſanctimoniam, unde in eo mendacium ſuſpicari , quod ad poſterorum memoriam ſcribendo transferre voluerit, piaculum eſt : tum propter certiſſimam Dypthicorum auctoritatem, de quibus in Præfatione actum eſt . Hinc veroſimilis fit Burgundii conjectura quam habet in mſſ. in Præfatione citatis, ab Anathalone Chriſtianæ fidei ſemina in agro Brixiano diſſeminata fuiſſe munere fungente non Brixiani Epiſcopi , ſed *Apoſtolici* , ut vocant , *Miſſionarii* , unde appellari poteſt Epiſcopus *Apoſtolicus* .

Abſonam porro non eſſe , neque inſolentem hanc vocem Epiſcopi *Apoſtolici* putabat doctus ille Abbas , poſtquam ab expertiſſimo Tillemontio eam viderat uſurpatam . Tillemontius enim recenſitis, confutatiſque variis de S. Clementis I. Pontificatu Rom. opinionibus , eam ſibi magis placere ſcribit , quæ diceret S. Clementem a D. Petro Epiſcopum ordinatum fuiſſe tamquam Epiſcopum *Apoſtolicum* , cum nulla ſpeciali Eccleſia conjunctum , ſed deſtinatum Apoſtolorum miniſtrum ad fidem prædicandam , ad Eccleſias ſive fundandas , ſive conſolidandas in diverſis regionibus (12) . Enim

 vero

(11) Cap. 2. Sermonis de Translat. Philaſtrii pag. 391. ſic ait : *Hic ſeptimus Epiſcopus Brixienſem Eccleſiam Chriſto tunc prædicando congregans , ſanctum dogma cuſtodivit* , quibus conſonat alphabeticus Rythmus ſub finem PP. Brixianæ Eccleſiæ editus , quem ab Adelmanno Epiſcopo noſtro concinnatum fuiſſe probat ibidem Galeardus pag. 423.

(12) Tillemontium prævenerat Godefridus Henſchenius ſub initium Diatribæ præliminaris ad Tom. I. Aprilis Bolland. *Traditur uſque ad tempora S. Evariſti ſuperfuiſſe S. Clemens , ſed privatus , aut Apoſtolicus Epiſcopus , ideſt nulli Cathedræ adſtrictus* . In eumdem finem S. quoque Philaſtrium a Romano Pontifice initiatum fuiſſe in ejuſdem vita dicturi ſumus . Cujus diſciplinæ ratio ea probabiliter erat , quod vexante Chriſtianorum Religionem Perſecutorum rabie , nulla Præſulibus , nulla Fidelibus tuta ſedes foret . Data poſtmodum exercendæ Religionis libertate per Coſtantinum Magnum Decreto Mediolani primum condito , aut ſaltem confirmato anno CCCXIII. tunc demum Epiſcopis ſedes ſta-

vero hunc fuiſſe morem primorum Chriſti Apoſtolorum, Diſcipulorumque teſtem habemus accuratum IV. Seculi Scriptorem Euſebium Pamphilum: *Apoſtolorum diſcipuli* (inquit lib. Hiſt. Eccleſ. 3. cap. 37.) *relicta patria peregre proficiſcentes munus obibant Evangeliſtarum, iis, qui fidei ſermonem nondum audiviſſent, Chriſtum prædicare, & ſacrorum Evangeliorum libros tradere, ambitioſe ſatagebant. Ii poſtquam in remotis quibuſdam, ac barbaris Regionibus fundamenta fidei jecerant, alioſque Paſtores conſtituerant, & novellæ plantationis curam iiſdem commiſerant, eo contenti ad alias gentes, ac regiones comitante Dei gratia, ac virtute properabant.* Hoc igitur pacto doctus ille Abbas Canonicus Lateranenſis ſuſpicabatur Anathalonem fuiſſe ab Apoſtolis conſignatum Epiſcopum: hujuſmodi rationes an ab eruditis Mediolanenſibus, ad eorum Eccleſiam quod attinet, aſſenſum extorquere poſſint, noſtrum non eſt inveſtigare. De Brixiana vero Eccleſia alieni non ſumus ab ea conjectura, cum ob certiſſimam ſupra expenſam Rampertiani Catalogi auctoritatem, tum ob præclara Burgundii, Galeardi, aliorumque Brixianorum nomina. Jam vero eo in ſenſu S. Anathalon primus recenſetur, & in noſtro vetuſtiſſimo, & in aliis recentioribns Pontificum Brixianorum elenchis, cum omnium primus (13) utpote Apoſtolorum Miniſter Chriſti vexillum in Brixianis oris fixerit, omniaque exercuerit Epiſcopatus munera. (14) Hæc opinio firmis nec ne argumentis nitatur Lectorum eſto judicium.

Ceterum *Brixienſes in ſuorum Idolorum cultibus perſeverantes Anathalonis doctrinam contempſerunt*, ſi fides Jacobo Malvetio ſub initium patriæ hiſtoriæ, (15) ipſeque ad Mediolanenſium regimen deductus, atque a S. Barnaba in ſuum locum ſuffectus, ut eſt in Lectionibus Breviarii Ambroſiani, juſſu S. Caroli Borromæi editi.

Ad Anathalonis cultum quod attinet, ex noſtro Catalogo compertum habemus, quinque ab hinc ſeculis maximum

ei

ſtatuta fuit. Id tamen non continuo ubique uſurpatum, ſed pedetentim, nam adulto eodem ſeculo IV. S. Philaſtrium fuiſſe a Rom. Pontifice initiatum in eundem modum ſuo loco dicturi ſumus.

(13) Etiam Ubertinus Puſculus Civis Brixianus, qui floruit medio ſeculo XV. in Oratione de Laudibus Brixiæ, quam primi Deo dante edemus Anathalonem vocat primum noſtrum Epiſcopum.

(14) Claudius Caſtellanus in Martyrol. Baronii, gallico ſermone reddito, brevibuſque notis aſperſo Mediolanenſis dumtaxat Eccleſiæ Præſulem facit Anathalonem die 25. Septembr. pag. 484.

(15) Tom. XIV. Rer. Italicar. pag. 793.

ei fuisse habitum ab Ecclesia Brixiana; utrum vero ejus cultus aliquando desierit, nostrave Ecclesia præiverit Mediolanensi, investigare non vacat. Illud tamen adnotasse non pigebit, ab Ecclesia Mediolanensi nullum fuisse præstitum, nisi post multum ab ejus obitu tempus, ex eo colligere Tillemontium (16), quod in antiquo illius Ecclesiæ Antiphonario per Mabillonium edito (17) nulla sit huic Sancto indicta festivitas. Ego vero seculo saltem IX. aut X. speciali ab eadem celebratum fuisse cultu his contendo verbis, desumptis ex Auctore libelli de situ Civitatis Mediolani (18): *His ita sancitis* (sunt hæc illius verba) *migravit* (Anathalon) *ad Christum perpetua laborum suorum præmia recepturus, depositusque est VIII. Kal. Octob., quo etiam die venerabiliter colitur sancta depositio ipsius ad Concilia Sanctorum.*

Hunc ejus natalem diem Ecclesia Brixiana Officio solemni colit; Mediolanensis vero diem proxime sequentem, quia priorem solemniori Festo sibi vindicavit S. Thecla Urbis Patrona, Principisque Ecclesiæ Titularis, ob reliquias capitis Mediolanum allatas, sub quo etiam die Anathalon recensetur in Martyrologiis Galesinii, Baronii, Ferrarii (19), Castellani, de Aste (20). Colebatur olim (21) Officio Martyris: verum S. Carolus Borromæus hujus martyrii testimonia prorsus desiderari animadvertens, Officio Confessoris, Majorum sequutus exempla, ut veneraretur, præcepit in actis Visitationis Apostolicæ, ubi hæc leguntur: *S. Anathalonem Episcopum primum Brixiæ martyrium obiisse non apparet, neque ex Annalibus Civitatis: at in numero Confessorum esse constat ex ritu Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanensis, imo & ex tabulis antiquis Brixien.*

De loco ubi sacra Lypsana quiescebant anceps fuisse videtur citatus Mediolanensis Anonymus; nam ita loquitur loco supra commemorato: *De Sacratissimi ejus Corporis gleba, quia nihil certiusque ad præsens comperi, Dei solius, cui cuncta patent, relinquo notitiæ.* Sed ne dubitemus apud Brixianos eo quoque tempore ea requievisse, facit auctoritas illius, qui

(16) Adnot. 4. in S. Barnabam Tom. I. pag. 657.

(17) Tom. I. Musæi Italici pag. 109.

(18) De Operis hujus antiquitate Vid. Muratori. Tom. I. par. 2. Rer. Italic. pag. 200. & 207.

(19) In Catalogo generali Sanctorum die 25. Septemb. pag. 378.

(20) Desideratur tamen in Martyrologiis Maurolici, & Molani.

(21) Faynus in Martyrol. Brix. die 24. Septemb. pag. 125.

ſeculo X., teſte Papebrochio (22) depoſitionis Epiſcoporum Mediolanenſium loca notavit in vetuſtiſſimo Catalogo Epiſcoporum Mediolanenſium, per eumdem Papebrochium edito. Imo in Ordine antiquo ejuſdem Eccleſiæ, quem Muratorius (23) e tenebris eruit, quemque intulit conſcriptum fuiſſe circa annum 1251. ita ſcriptum eſt: *S. Anathalon ſedit annos XIII. depoſitus VIII. Kal. Octob., & jacet apud Brixiam in monte S. Floriani*. Hoc loci relictum fuit Anathalonis Corpus uſque ad annum 1472., quo Dominicus de Dominicis hujus Urbis Epiſcopus tranſtulit in Altare SS. Crucis in Cathedrali vulgo *Rotonda*, deinde anno 1572. ſedente Dominico Bollano, relicto uno ex Brachiis in priori loco, deductum fuit in Altare S. Martini ejuſdem Eccleſiæ, poſita hac marmorea Epigraphe:

Divi Anathalonis primi Brixiæ Epiſcopi Corpus
Huc ex alio hujus Templi loco
Anno ejus Inſtaurationis translatum
Sedente Dominico Bollano ejuſdem
Civitatis Epiſcopo
MDLXXII.

Cum vero ſacra hæc oſſa ſitum ibi ducerent, ne indigne putreſcerent III. Non. Septemb. anni MDCCXIX. in novæ Cathedralis Sacellum D. Antonio Patavino dicatum, confluentibus ex tota (quam late patet) Diœceſi, finitimiſque Urbibus populis, ſolemni peracta ſupplicatione, translata ſunt, hac brevi appenſa Epigraphe:

DIVUS
ANATHALON PRIMUS
BRIX. EP.

ibique ſub Altaris menſa, marmorea patentique in arca condita coluntur; ejuſdemque translationis recurrens dies, non ſine ſolemni ornatu & cultu, quotannis religioſiſſime celebratur.


Porro veterem Cathedralem Eccleſiam (quod ſemel adnotatum velim) ſub titulo Deiparæ Virginis Aſſumptæ jampridem ſacratam fidem facit Rampertus Sermone de transl. S. Philaſtrii, ubi ejus Corpus an. 838. dicit translatum *in Matrem*

(22) Tom. VI. Maji Bolland. ſub initium pag. 3.

(23) Tom. I. par. II. Rer. Italic. pag. 200. & 228.

trem Ecclesiam hyemalem nostram Brixiensem, penes Altare Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ubi .... Pontificum erat sedes. Florentinius putabat huic Templo hyemali postmodum superædificatam fuisse Ecclesiam, quæ *Rotonda* vulgo dicitur: at Galeardo Florentinii conjectura minus probabatur, cum præter subterraneum Sacellum, in quo Philastrii Corpus depositum fuit, quodque etiamnum subterranea Philastrii *Capella* vocatur, aperte indicet Rampertus jam eo in loco extitisse *Matrem Ecclesiam Brixiensem, ibique Altare S. Dei Genitricis Mariæ, ubi....Pontificum erat Sedes*, quæ Sacello illi subterraneo convenire nullatenus possunt. Gal. in Schedis Oratorianis, quarum meminimus in Præfat. n. XIII. De eadem Ecclesia iterum sermonem facturi sumus in S. Felice.

Cum autem Mediolanenses nusquam reclamarint adversus hujusmodi translationes, dicere licet notulam nostro Catalogo appictam, Scriptoris fortasse hallucinatione, Anathaloni fuisse positam, cum tribuenda sit Clathæo proxime sequenti, cui nulla est in eodem Catalogo nota.



II.
CLATHÆUS EPISCOPUS SANCTUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI LX.

Historia primorum Mediolanensium Episcoporum seculo circiter sexto composita, quæ in eodem Ambrosiano Codice post Catalogum sequitur, indicat quod S. Anathalo duos sibi Successores ordinarit, alterum pro Mediolanensi Urbe, alterum pro Brixiensi, videlicet S. Clathæum die 4. Junii recolendum. Ex illa igitur Mediolanensi historia, cui negatam video (1) eam antiquitatem, quam tribuit Papebrochius, cujus sunt recitata verba (2) profluit traditio, Clathæum Anathalonis jussu (3) ad Ecclesiæ Brixianæ clavum admotum fuisse. Natione traditur Græcus. Cognatos autem habuisse ex stirpe libertina, uti est ab Octavio Rubeo scriptum nullo erui potest probabili monumento. Quod si verum est, illud etiam adfirmari debet accessisse sui domini assensum, sine quo neque liberti, neque libertini ecclesiasticæ militiæ adscribi poterant (4). Quod scribit Ferrarius die 4. Junii assiduis prædicationibus populum Brixianum magna ex parte ad fidem ab eo fuisse conversum, pugnat aperte cum iis, quæ tradit Malvetius (5), tres nimirum ante S. Apollonium Episcopos, nullos, aut paucissimos ad Christi

(1) *Ego Papebrochium alienum potius judicium, quam suum heic secutum reor, eorum scilicet Mediolanensium, a quibus ejusmodi monumenta collata cum antiquis codicibus accepit. Ceterum nihil, in his occurrit, quod tantam Auctoris antiquitatem vel tantillum innuere, nedum persuadere possit; & contra sunt quæ longe recentiores suadeant.* Ita Murator. in præfat. cit. Opusculi de situ Civitatis Mediol. Tom. I. p. 2. Rer. Italic. pag. 203.

(2) Loc. cit.

(3) Ex hoc loco confirmari potest eorum opinio; qui scribunt fuisse olim in more positum, ut Episcopi sibi Successores designarent, quod postea interdixit I. Synodus Oecumenica Nicæna celebrata anno 325. Integrum deinde jus delatum fuit Populo, & Clero, ut fusius in S. Gaudentio.

(4) Can. 80. ex illis, qui circumferuntur nomine Conc. Elliberitani habiti in Regno Granaten. anno 305. *Prohibendum est ut Liberti, quorum Patroni in Seculo fuerint ad Clerum tamen promoveantur.* T. I. Con. Labbe p. 1001. Cujus legis rationes adducit Albaspinæus in notis ad eumdem Canonem p. 1029. libertini autem licet sensu non adeo stricto ac liberti, tamen inter servorum numerum & ipsi ponebantur unde libertinus & ingenuus contraria erant nomina si fides Hotomanno L. I. tit. V. Institut. Justiniani.

(5) Tom. XIV. Rer. Italic. pag. 793.

sti fidem reducere potuisse. Cum pervenisset Mediolanum, Viatore in Successorem sibi electo, comprehensus jussu Anolini Præfecti, cum Christo post multa verbera nollet renunciare, capite truncatus fuit, si fides Petro Galesinio.

Galesinium exscripsere Ferrarius, & Faynus loc. cit. Horum narratio scrupulum injecit, neque temere, Sociis Bollandianis: *Circa Anolinum Judicem, aut Præfectum*, inquiunt comment. de S. Clathæo die 4. Junii (6), *aliquis scrupulus est, quod Anolinus Præfectus Prætorio temporibus Maximini Imp. desævierit Mediolani, Veronæ, & vicinis locis .... & in Indice, sive Idea Rom. Historiæ ab Andrea Scotto adjuncta Annalibus Stephani Pighii, ad ista tempora non reperitur gens, seu familia Anolina*. Unde opinantur Martyrem factum fuisse Seculo III. aut IV., ex sola autem vetustatis præsumptione adscriptum postea persecutioni Neronis. Reipsa Anolinus Prætorii Præfectus commemoratus invenitur circa medietatem Seculi III. sub Maximino Imp., quocum internecioni datus fuit a militibus anno æræ vulgaris 238. juxta Tillemontii calculos (7). Verum incredibile non est, Anolinum aliquem sub Nerone Judicis munere functum fuisse: *non enim omnia*, ut verbis utar laudatorum Sociorum loc. cit. *tam accurate fuerunt conscripta, ut non potuerint missæ fuisse aliquæ familiæ primo Christi Seculo adhuc minus celebres, postea clariores factæ, quæ etiam Rom. Consules dederint*. Præterquamquod, missa disputatione de nomine Judicis, sub quo Clathæus dicitur passus, temporum rationes optime congruunt; quippe summam Romanarum rerum fuisse anno LXI. penes Neronem, eumdemque interfectum anno LXVIII. trita est, atque vulgata opinio; quocirca Baronius, qui certe Galesinio, Ferrario, & Fayno Ecclesiasticam historiam diligentius animadvertit, Judicem, seu Præfectum, sub quo Martyr obiit Clathæus, neglexit, unum contentus innuisse Imperatorem his verbis: *Die 4. Junii Brixiæ S. Clathæi Episcopi, & Martyris sub Nerone*. Hinc nulla fulti certiore Chronologia nolumus, Bollandianorum vestigia sequentes, in controversiam vocare Brixianam de ordine Episcoporum traditionem. Castellanus loc. cit. die 4. Jun. pag. 276. affirmat nullam exstare de hoc martyrio certitudinem, quod etsi concederetur, non illud prorsus

(6) T. I. Junii p. 377. n. 3.

(7) T. III. Hist. Imper. p. 242.

ſus inficiandum ; cum a veteribus Eccleſiarum traditionibus tunc ſolum recedendum eſſe putemus , cum vel manifeſta ratio , vel ſaltem probabiliſſima conjectura obſit .

Mirabatur apud Bollandianos loc.cit. Faynus , unicum eſſe ex tot Sanctis Brixianæ Eccleſiæ , qui ſuo ſanguine fidem conſignarit Martyr effectus ; at ſi adhuc in vivis eſſet , gratias ageret Cajetano Merato , quod in Commentariis ad Gavantum in Rubricas Breviarii Rom. ſect. 8. cap. 2. pag. 559. inter Martyres Philaſtrium quoque recenſuerit ; imo Latinus mox referendus , martyr & ipſe a nonnullis dicitur .

Sed ut ad Clathæum redeamus die IV. Junii eum colit Brixiana Eccleſia , Officio tamen ſemiduplici juxta Decretum , quod S. Carolus Borromæus hanc viſitans Eccleſiam tulerat , quod ex actis Viſitationis in Cancellaria Epiſcopali cuſtoditis , ſemel retuliſſe non pigebit . *Officium Epiſcoporum Brixienſium . . . . inter Sanctos relatorum , ne ita crebro Dominicale impediat , ſemiduplex agatur . Eorum tamen duplex ſit , quorum dies feſti longo uſu , & populi devotione , ac publico inſtituto ſolemniter obſervantur coluntur que* . Corpus adhuc in obſcuris jacere ſcribit Faynus in eumdem diem ; verum Mediolani eſſe , incerto tamen loco , conſtanter perhiberi affirmant Florentinius in Catalogo Epiſcoporum , & Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ , quod confirmatur ex cultu , quo eodem IV. die Junii illa Eccleſia eum veneratur ; unde patet notam Catalogo noſtro appictam , quod modo in Anathalone animadverſum , ad Clathæum , minime vero ad Anathalonem ſpectare .



III.

III.
VIATOR EPISCOPUS SANCTUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI LXX.
QUI JACET PERGOMI.

SAnctus inde Viator circa annum LXX. Ecclesiam creditur accepisse, qua septennio administrata, fertur vocatus a Narno suæ Bergomensis Ecclesiæ Successor; cum autem aliquot annis eamdem gubernasset, reliquit moriens anno LXXXVIII. (1). Corpus Bergomi (2) apud ejusdem Narni tumulum humatum Adalbertus Bergomensis Episcopus anno DCCCCVIII. transtulit in principem Urbis Ecclesiam S. Alexandro sacram, unde in templum S. Vincentii deportatum fuit anno MDLXI., & deinceps in aram majorem novæ Cathedralis, ubi ad hunc diem colitur. Brixiani die 14. Decemb., quo fama est ad Superos evolasse, illius memoriam venerati sunt; sed in antiquis Ecclesiæ Bergomensis Lectionibus die primo Januarii obiisse dicebatur, quibus motus ad eumdem diem retulit Castellanus loc. cit., ut ipse innuit in notis ad diem 14. Decemb., ubi iterum de eo tractat, ac si diversis hisce diebus coleretur a Bergomatibus, & Brixianis. Quod etiamsi aliquando factum sit, tamen centum saltem abhinc annis eodem 14. Decemb. die ab utraque Ecclesia celebrari, innotescere potuerat Castellano ex Ferrario (3), & Fayno, qui in Martyrol. Brixiensi die 14. Decemb. pag. 162. ita scripsit ex Sanctorum Italiæ Catalogo Ferrarii: *In antiquis ejus lectionibus, quibus Ecclesia Bri-*

(1) Multa præclare gesta ab hoc Episcopo narrat Cælestinus Historiæ Bergomensis, quam ipse vocat quadripartitam, part. 2. lib. 2. pag. 36., quæ nos silentio præterire malumus, quam incertis agere conjecturis. Recte enim monuerunt Ughellus in Episc. Bergomen. Tom. IV. pag. 412., & ex eo Galeardus in cit. notis marginalibus ad Martyrol. Fayni pag. 151. eam Viatoris vitam piis potius commentationibus, quam rebus, quæ illius gesta prodere possent, refertam esse.

(2) In nota nostri Catalogi scribitur *Pergomi*, juxta veterem, de qua aliqua adnotavimus in opusculo olim edito *degli Italiani Grecisti*, scribendi rationem, quam nonnisi labente sec. XV. omnino desiisse putamus: unde apud Tottum: *Bergomi*,

(3) Idem Ferrarius pag. 2. Topographiæ in Martyrologium Romanum sub eadem die XIV. Decembris Viatorem recenset inter Sanctos Ecclesiæ Bergomensis.

Brixiana utebatur, eum XIX. Kal. Januarii obiisse traditur, at in Lectionibus Ecclesiæ Bergomi Kal. Januarii migrasse legitur, quod si ita est hanc diem Translationis, non Natalis celebrare videretur, quod quidem non est admittendum, nam modo & in iisdem lectionibus, sicuti in Brixianis monumentis legitur XIX. Kal. Januarii.

Baronius in notis ad Martyrologium, & Antonius Guerinus Ecclesiæ Bergomensis Canonicus (4) illum eumdem censent, quem commemorat Beda in Martyrologio, sive potius Florus ad hunc diem his verbis: *Lugduni Galliæ S. Viatoris Episcopi* (5). Suspicor tamen eo loci intelligendum esse Viatorem non Brixianum, sed alium Viatorem Ecclesiæ ne Lugdunensis, ut nonnullis placet, an alius Episcopum, mihi plane incompertum. Illud certo mihi constat, nullum Viatorem occurrere inter Episcopos Ecclesiæ Lugdunensis, uti videre licet in utraque *Galliæ Christianæ* editione; cur vero ab ea Ecclesia colatur, videre nequeo. Plura sunt in hanc rem disputata a de Aste loc. cit. die 14. Decemb. Revocatam ad vitam, Viatoris precibus, quamdam Aureliam ex Nobili inter Brixianos Familia de Maggi intulit ex quadam inscriptione Octavius Rubeus; laudatus tamen Canonicus Guerinus ejusdem illationem tribuit Canonico Galeardo; verum Guerini animus peregrinatus est: Galeardus enim loco a Guerino cit., qui est in notis ad Ughel. Tom. IV. pag. 523., Fayni, qui ex Rubeo exscripserat, verba dedit, præterea nihil. Idcirco mirari satis non possumus Guerinum, virum cætera doctum, sibi persuasisse Galeardum, quem vocat, *eruditissimum Antiquarium* loc. cit. pag. 11., in tantam credulitatem, ut levissime dicam, potuisse labi. Quis enim vel leviter eruditione instructus non cognoscet, nihil tale ex illa inscriptione posse colligi, quod ut omnibus perspectum fiat, eamdem referre integram placet, una cum alia. Nam ex nominibus in utraque occurrentibus hanc fabellam Rubeum conglutinasse putamus. Utraque porro est in collectione Brixianar. Inscriptionum per eumdem Rubeum collectarum in libro, cui titulus: *Le Memorie Bresciane*,

pag.

(4) P. 15. Synopsis rerum, & temporum Ecclesiæ Bergom.

(5) T. III. Operum Bed. p. 357. & apud Bolland. T. III. Maji pag. 39.

pag. 252. num. 5.

COLL. FABR.
M. IVVENTIO
MAGIO
QVI FACVLTAT.
COLLEG. RELIQ.

& pag. 258. num. 1.

AVR. FIRMINÆ
FILIÆ DVLCISSIMÆ
QVÆ VIXIT
ANN. XIIII. M. VI. AVR....
ET VAL. AVGVSTA PAREN.


Profecto nihil Christianam sapiens Religionem præseferre mihi videntur istæ Inscriptiones. *Collegium* enim *Fabrorum*, cujus in prima fit mentio, institutum fuisse, aut a Numa, aut a Servio Tullio per Italiæ Urbes, jampridem fuit a Viris doctis observatum; unde & Brixiæ olim fuisse constat, tum ex ista, cum ex aliis Inscriptionibus a Rubeo relatis, quarum aliquas transtulit Murator. in Classem VII. Novi Inscriptionum Thesauri. Ex istis una aperte confirmat consuetudinem, quam habebat Fabrorum Collegium publico signo posteritati consignandi suorum Benefactorum memoriam, non solum viris, sed etiam mulieribus, quæ bene essent aliquo pacto de illo Collegio meritæ (6). Præterquamquod quis ferre potest Familiæ cognomen, sive agnomen primo Christi seculo? Equidem non ignoro, Petrum de Marca in opusculo *de Stemmate Christi* (7) asseruisse jam *a Machabaicis temporibus cognomina quædam gentilitia a casu, vel alicujus rei memorabilis eventu deducta, in Familiis usurpari*, quod apud Romanos potissimum factitatum fuisse norunt Eruditi omnes. At de iis, quæ in præsentiarum sunt in usu, quæ a veteribus Romanorum temporibus ad nos profluxisse scriptores quidam ostendere conati sunt, omnis eruditorum natio clamat, seculo dumtaxat Christi X. cognomina cœpta fuisse in Italia adhiberi. Unde Murator. in Dissertationibus Antiquit. Italiæ Medii Ævi XLI. & XLII. in quibus de ista consuetudine disputat, jure ac merito affirmat (8) *supine falli, qui in remotissimis seculis eadem*

(6) T. I. p. 516. n. 1. & in Classe XVII., quæ inscribitur *Affectuum Conjugum*.

(7) P. 22. Opusculorum.

(8) T. III. p. 722.

dem se adinvenisse putant, ut illustribus nostrorum temporum Familiis thura, & odores incendant; aut somnia, aut impostura sunt, siqua hujusmodi in genealogicis libris nobis propinantur; & prope pro argumento falsitatis statim habendum est, siqua charta ante millesimum exarata eruitur, quam ornent, aut onerent avi nostri cognomina. Quænam vero fuerit de eo monumento a Rubeo, & Fayno relato, Galeardi mens Lectoribus innotescet ex hisce suis verbis in citatis Oratorianis Schedis: *Porro me latet quo jure eum* (Juventium) *Maggiæ Familiæ Faynus adscribat: quandoque bonus dormitat Homerus: Acta hujus Sancti* (Viatoris) *a Fayno laudata ejusdem profecto farinæ crediderim ac cætera antiquitatis Monumenta, quibus passim vir bonus tam facile acquiescit.*



IV.

I V.
LATINUS EPISCOPUS SANCTUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI XC.
QUI JACET AD S. FAUSTINUM AD SANGUINEM.

Viatore ad Ecclesiæ Bergomensis regimen vocato, Brixianam aliquot annis proprio Pastore viduatam jacuisse dicendum est, si a Florentinio, & Ughello loc. cit. calculi sint rite subducti. Etenim collocant Latinum ad annum dumtaxat LXXXVIII. Faynus tamen in Cæl. Brix. dixit, S. Viatorem senectute labascentem Latino Episcopatum cessisse anno LXXXIV. Hunc grassante Domitiani Imp. persecutione, pro Christi nomine durissima quæque sustinuisse, atque Cœmeterium in Via Cremonensi, ubi nunc ædes exstant S. Aphræ, ad Martyres sepeliendos consecrasse, ubi & ipse sepulturam accepit, receptissima est apud Brixianos traditio. Ad Episcopatus durationem quod spectat supra XXX. regnasse annis affirmatum est a Florent., & Fayno loc. cit. Verum nonnisi tres concedendos esse sibi visus est rite collegisse Ughellus ex Inscriptione, quam primus edidit Aldus Manutius senior in Ortographia rationali, quamque hic recudimus, ut est emendata in nova Ughelli editione; in veteri enim corrupta est, de qua intelligenda sunt hæc Muratorii verba: *Corruptissimum dedit hoc Elogium Ughellius* (1).

FL. LATINO EPISCOPO. ANN. III. M. VII. PRÆSBYT
ANN. XV. EXORC. ANN. XII. ET. LATINILLÆ.
ET. FL. MACRINO
LECTORI. FL. PAVLINA. NEPTIS. B. M. P.

Ughelli opinionem amplectitur Auctor Martyrol. mſ. Brixiani, quod Sociis Bollandianis Romæ dono dederat Ughellus (2); quodque Martyrologium confectum fuisse post annum MDLXXXXVII. inferunt Bollandistæ (3) ex Encomio S. Olivæ

(1) T. IV. cit. Thes. p. 1873. De Inscriptionis autem antiquitate, & usu mox dicemus.

(2) Tom. I. Martii Bolland. pag. 361.

(3) Tom. III. Martii pag. 475. Occasione ejusdem Inscriptionis affirmat de Aste in laud. ad Martyrol. Rom. Disquisitionibus pag.

Olivæ Virg. & Mart. ad diem V. Martii, atque idcirco haud magnæ auctoritatis haberi oportere. Ascanius tamen Martinengus in Italica S. Latini vita utramque sententiam ita sibi conciliasse visus est apud Faynum, cujus hæc sunt verba in Martyrologio pag. 43. *Cum plurimi Brixiani Scriptores Latino Episcopo annos supra XXX. in Episcopatu tribuant hinc idem Abbas Martinengus occasionem sumpsit explicandi, Monumentum illud, vivente ipso Latino, fuisse a Paulina expositum, grati animi officio, Anno III. Mense VII. sui Episcopatus: Presbyteratus vero Anno XV. & Exorcistatus Anno XII., quæ potestas tunc seorsum a Sacerdotio dabatur, ut ex vita S. Martini colligitur* (4).


Illius translatio recolitur die 12. Martii. Sacri vero cineres IX. Cal. April. coluntur in Ecclesia S. Aphræ, ubi jacet in ara eidem erecta in Ecclesia superiori (5). Officium est

pag. 143., Henschenium, & Papebrochium addixisse eamdem inscriptionem huic S. Olivæ, sed fallitur de Aste; id unum quippe ii Auctores eum die 5. Martii Tom. I. pag. 366., tum die 24. Tom. III. pag. 475., volunt ex encomio S. Olivæ constare, Martyrologium Brixianum, quo fuerant abs Ughello donati, confectum fuisse post annum MDLXXXXV.

(4) Si liquido constaret Latino in vivis adhue agente positam fuisse hanc inscriptionem, atque illum reddere sensum, quem laudati Auctores deducunt, lætari maximopere possemus, propterea quod Minorum Ordinum, quos inter Lectoratus semper fuit habitus, nullus sit hactenus detectus Auctor, qui meminerit ante Tertullianum III. florentem seculo, quod est in causa, cur nonnisi eidem adulto seculo referri soleant ab Eruditis hujusmodi inscriptiones, muneris hujus memoriam facientes; talis est illa apud Donium Classe XX. pag. 27., & apud Cæsarem Malvasiam in marmoribus Felsineis sect. VIII. cap. III. pag. 466., quibus & illa addi potest Florentina apud Foggiam in eruditissimo Opere: *De itinere D. Petri*, Exercit. XIV. pag. 297. Quamquam *Minorum Ordinum functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter fuisse receptas vel ex eo* cum Synodo Tridentina affirmari posse censemus, quod Tertullianus tertio ineunte seculo de Lectoratu, tamquam de Ordine jam satis vulgato, *De Præscriptionibus* cap. 40. loquatur: quamobrem inter pretiosiora antiquitatis Ecclesiasticæ cymelia jure fuit ab Episcopo a Turre habita inscriptio hæc, quam erudito commentario jampridem illustravit, eamque summo in pretio habuere magni viri Grutterus, Baronius, Galeardus, & Muratorius, a quo inlata est in novum inscriptionum Thesaurum p. 1873. extabat olim in ædibus S. Aphræ, hodierno autem die amplius non visitur. Nihilominus accomodatissimum ex ea desumi posse argumentum ad comprobandam Minorum Ordinum contra Protestantes, vetustatem; utpote quia ejus de genuitate ambigi nequeat, ut quadam nostra Italica Epistola ante annos duos Romæ in Ephemeridibus Litteratorum vulgata, ostendere conati sumus.

(5) Ejusdem S. Aphræ, quam maximo splendore exornatam retinent Canonici Regulares Lateranenses. Historicæ narrationi, quam habent Faynus in Cæl. Brix. pag. 171., & Pennotus Historiæ Sacri Ordinis Clericorum Canonicorum l. 2. c. 25. nobis hæc subnectere placet: Malvetius pag. 801. scriptum reliquit, Brixianos sub Philipporum imperio, circa annum reparatæ salutis CCXLVI., in loco ubi Beati Martyres Faustinus, & Jovita carceribus vincti fuerant, Ecclesiam condidisse, eamque *S. Faustini in Carceribus* vocasse, etsi suo ipsius tempore corrupto, ut opinatur, vocabulo, *S. Faustini in Castro* nuncuparetur, atque illam sitam esse scripsit parum infra Montem Castri, non longe ab Ecclesia Omnium Sanctorum. De hujus Ecclesiæ ædificatione eadem fere tradit Capreolus pag. 39., at vocatam fuisse *S. Faustini*

est S. Confessoris, etsi martyr etiam juxta Veterum loquendi morem appellari possit; quamvis enim in ipso Martyrio vitam amisisse non constet, vincula tamen, verbera, aliaque tormentorum genera pro Christo strenue sustinuisse, constans est, vulgataque apud nos traditio (6).



stini in Carcere, aliter *in Castro*, & existere prope Portam vulgo appellatam *Porta Brusata*: nonnullos vero referre eam excitatam fuisse in monumentum Miraculi uni Civium Brixianorum in illorum SS. Translatione præstiti. Quibus Capreolus verbis eam confundere videtur cum illa, quæ S. Faustini *in Riposo* appellatur. Apud Faynum vero Cæl. Brix. pag. 189. hæc leguntur: *Ecclesia SS. Faustini, & Jovita in Carceribus ..... apud Castram, supra ædem sacram Omnium Sanctoram, præterito seculo sita exstabat*. Non defuere duobus ab hinc seculis, ac posterius etiam, qui hujusmodi titulum tribuerent Ecclesiæ, quæ nunc S. Aphræ appellatur, teste etiam in mss. sæpe laudatis Abb. Burgundio. At ego arbitror, nullam antiquitus Ecclesiam *S. Faustini in Carceribus* nomine insignitam fuisse, cum nullum hactenus monumentum in hanc rem proferri viderim. Omnium primus (quem sciam) hujus tituli Malvetius meminit, cujus notitiam acceperat *a quibusdam Civibus*. Abs eo alii deinde ansam arripuere vel huic, vel illi ex pluribus D. Faustino sacris ædibus appellationem *in Carceribus* pro libito affigendi. Quapropter hoc loci, & alibi in hoc Catalogo retineri omnino debet: *ad Sanguinem*; agitur enim de Ecclesia S. Aphræ, quæ antiquitus *S. Faustini ad Sanguinem* vocabatur, quemadmodum plura docent vetera monumenta, inter quæ placet recensere chartam Seculo XIII. exaratam, & quoddam Concilii Generalis Civitatis Brixiæ die 19. Maji 1296. decretum, continentem, in qua ita legitur: *dum Presbiter Savoldeas Præpositus Ecclesiæ SS. Martyrum Faustini, & Jovita ad Sanguinem, quod tam in dicta Ecclesia requiescat Corpus beatissima Martyris Aphra &c.* Ecclesia vero illa, quam Malvetius commemorat, cujusque situm describit revera vetustis temporibus vocabatur: *S. Faustini in Castro, quod etiam* (verba sunt ejusdem Malvetii loc. cit.) *scriptum reperitur in libris Episcopalib. Brixia*. Neque cum eodem mirari debemus cur *in Castro* appellaretur, etenim hæc Ecclesia, quæ etiamnum manet, in edito posita est, & in ascensu ad Castrum ipsum, circa vetro Seculum XVI. nomen mutavit, atque *S. Maria Consolationum* nuncupari cœpit.

(6) Vid. Fayn. in Martyrol. die 24. Martii.

V.

APOLLONIUS EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI CXIX.

QUI JACET IN ECCLESIA S. PETRI MAJORIS.

ETsi plurimum a superioribus Episcopis in agri Brixiani cultu adlaboratum fuisse credatur, exigui tamen collecti sunt fructus. Quamobrem Apollonii (1) eruditionibus Brixianum Populum primum ad fidem Christi pervenisse, litteris consignare loc. supra cit. Malvetius non dubitavit, qui & illud asserit, Adriano Imp. persequutionem Christianis inferente anno CXXIX., Apollonium Episcopum in Brixia constitutum, Christi fidem prædicasse, & multos convertisse. Id autem multo propius ad verum accedit, quam quod tradunt alii Scriptores, Apollonii laboribus factum esse, ut omnes Brixiani Christianam Religionem amplecterentur. Siquidem ex eo, quod Gaudentius IV. Seculi Scriptor pluribus locis, quæ in ejus vita recitabimus, idolorum cultores perstringit, conficitur, sua quoque ætate idololatrici cultus reliquias Brixiæ fuisse.

Cæterum inter eos, quos fidei mysteriis initiasse scribitur Apollonius, duo inprimis commemorantur nobili loco nati Cives Brixiani, Faustinus, atque Jovita, qui eadem persequutione grassante anno CXX. (2), aut anno CXXV. (3) martyrio coronati fuere. Ita narratur in Actis SS. Faustini, & Jovitæ editis a Bollandistis. Verum quidem est Acta illa visa fuisse Tillemontio omnino supposititia (4); at cum celeberrimo Critico mihi convenire hoc loci non potest. (5) Ete-

(1) Quod addit Fayn. Apollonium fuisse de Nob. Familia Cropella, vel Gracchia, ab eorum temporum consuetudine prorsus abesse, satis liquère arbitror ex novissima nostra adnotatione in Viatorem.

(2) Bollandus Tom. II. Febr. pag. 806.

(3) Tillemontius Tom. II. Histor. Eccles. pag. 229.

(4) Loc. cit. pag. 228.

(5) Hæc acta prorsus genuina habuit Bollandus die 15. Febr., cui adhæret Henschenius die 30. Martii, & 24. Maji; atque in Comment. prævio SS. Faustino, & Jovitæ non dubitat, ea fuisse desumpta ex *Præsidialibus Actis*. Recentioribus tamen Bollandistis a Sociorum opinione recedentibus nullatenus sincera videntur, in Comment. prævio S. Apollonio Tom. VII. Julii §. 1. n. 4. No-

Etenim aliquas circumſtantias ibi recenſitas etſi à veritate abhorrere concederemus, non tamen omnes fictitias eſſe habendas dicendum eſt, quando aut conſuetudini, aut hiſtoriæ non repugnant. Profecto quod dicitur de SS. Fauſtino, & Jovita ab Apollonio Diaconatu, & Sacerdotio initiatis, neque a conſuetudine, neque ab hiſtoria eorum temporum abhorret. Sunt autem hæc verba ex Martyrologio Adonis mſ. Reginæ Svecorum (6), de quo haud paucis diſputavimus Cap.V. Diſſer. Proœmialis: *B. Apollonius Brixianæ Eccleſiæ Epiſcopus S. Fauſtinum conſecravit Presbiterum, & B. Jovitam Diaconum ordinavit*. Mirari autem ſubit, hæc verba fugiſſe accuratiſſimum Solerium; quippe ſcribit ad diem 7. Julii (7), S. Apollonium omnibus antiquioribus Martyrologiis, cujuſcumque notæ, vel generis, prorſus ignotum, a Galeſinio ex Tabulis Brixianis omnium primum fuiſſe Martyrologio Rom. aſſutum, Galeſinium autem fuiſſe a Baronio exſcriptum. At enim facultas conceſſa fortaſſe non fuit Solerio Codicis Vaticani conſulendi. Verum cur conſultum ab homine non fuit idem Adonis Martyrologium editum cum Martyrologio Baronii a Roſvveydo Antuerpiæ anno MDCXIII., & deinde recuſum in Tom. XVI. Biblioth. PP. Lugdunenſis, in quo eadem prorſus exſtant verba? Quod ſi regereret Solerius Roſvveydiano Adoni aſſuta hæc verba, & propterea ad Appendicem rejecta, illud ſaltem inficiari non poſſet, multis ante Galeſinium annis inlata fuiſſe. Præterquamquod illud idem innoteſcere ei potuerat ex iiſdem Actis a ſuo Socio Henſchenio relatis Tom. II. Febr. (8), quæque ita ob oculos Solerii verſabantur, ut §. II. ejuſdem loci affirmaverit, totam de vita, & Actis S. Apollonii notitiam ex ſolis Paſſionibus ab Henſchenio pridem ad XV. Febr. illuſtratis accipiendam eſſe, *quæ proinde a nobis hic percurrendæ ſunt*.

 Hu-

4. Nobis tamen Seculo IX. recentiora non videntur; quam ſane vetuſtatem haud flocci faciendam eſſe nullus, credo, cordatus vir denegaturus eſt.

(6) Die, quo colitur, ſeptimo nimirum Julii: ejuſdem S. Apollonii ſit etiam mentio diebus 15. Februarii, & 18. Aprilis.

(7) In citato Commentario.

(8) Eamdem querelam habet de Solerio Galeardus, qui invenerat hujus S. Apollonii mentionem in Martyrologio Peregrini, quo, uti ſupra adnotatum eſt, utebatur Brixiana Eccleſia ante Martyrologii Baroniani uſum; ſunt autem hæc Galeardi verba in mſſ. notis marginalibus ad Martyrol. Fayni pag. 91., quod exſtare diximus in ſecretiori Bibliotheca PP. Oratorii: *De eo* (Apollonio Episcopo) *mentio eſt in Martyrologio Peregrini hac die, quod vehementer Solerium fefellit in Actis SS. Julii 7. hujus, ubi ait: Apollonium noſtrum, ante Galeſinium, Martyrologiis omnibus fuiſſe prorſus ignotum.*

Hujus Episcopi annum emortualem traditio est fuisse CLX. Tanta vero sanctimoniæ, miraculorumque gloria floruisse dicitur, ut prope sepulturæ locum, qui fuerat extra muros in via ad S. Floriani, Orientem versus, exædificata fuerit aliquot post annos ex petra excisa elegans, ut ea tempora ferebant, Ecclesia D. Apollonii appellata (9), ad quam tantus factus est popülorum concursus, ut finitimi Vallis Triumpilinorum incolæ ea fama permoti, ingens & ipsi dicantur ad ejusdem cultum fovendum in Oppido Lumezanarum Templum excitasse, quæ res iis temporibus maxima est admiratione digna. Apollonii fama in dies crescente in caussa fuit, cur Civitas in gravissimis ejus nomen invocaret discriminibus, (10) inque sacras referret Litanias (11), præsidemque sibi ac deprecatorem una cum Philastrio Episcopo, Faustinoque & Jovita MM. apud Deum Optimum Maximum adoptaret, nummosque in ejus honorem cuderet (12). Cur vero ejus titulus vulgo *Patronus* jampridem desierit nos plane latère ingenue fassi sumus altero Dissertationis Procemialis Capite; qui priscus honos, ut ei restituatur maximopere optamus; quippe de Christiana Religione apud nostrates optime meritus, cum ob evangelicæ apud nos doctrinæ pronunciationem, tum quia Faustinum, & Jovitam ad eamdem amplectendam, & ad sanguinem pro illa fundendum fuerit cohortatus. Sacra autem ejus lipsana, quæ apud nos remanent post varias translationes (13) propriis dicatis aris una cum S. Philastrio colimus die 7. Julii; quo die publicæ devotioni in Sacrario Ecclesiæ S. Josephi proponitur baculus, qui Apollonii fertur fuisse pedum, cujus tamen structura a reliquis pedis, de quibus in Philastrio acturi sumus, maxime differt. Sed tanta Apollonii gloria superatis hujus provinciæ limitibus ad exteras etiam oras jamdiu manaverat; etenim Atho celebris olim Oppidi vulgo Canusii in ditione Regii Lepidi Dominus, sive clam, anno CMLXX. a Gothifredo Urbis nostræ tunc Episcopo, Athonisque filio, & Comit.

(9) Ejus Ecclesiæ meminere Malvetius in Chronico pag. 802., & Blondus Forojulien. Decad. III. Lib. IX. Hist. Solo deinde æquata circa annum 1519. pro conficienda ad Urbis securitatem planitie.

(10) Idem maxime contigisse anno MCXCI. auctor est Malvetius ad eum annum loc. cit. pag. 884. vide Cap. II. Disser. Procemialis.

(11) In uno perantiquo pergameno seculo XI. probabiliter exarato, existente in laudato Cathedralis Archivo, quique incipit: *Ordo ad visitandum infirmum*.

(12) Vide Dissertationis Procemialis Caput II.

(13) Eas recensent Faynus, & Bollandiani die 7. Julii.

Comit. Mathildæ Proavo obtinuit (14), five *armatorum*, ut fcribit Malvetius, *comitiva valida præmunitus*, *inopinato Civibus adventu*, *arripuit Apollonii caput*, *& brachium dextrum*; & honorabiliter collocavit in fua Arce (15), ubi Templum ab imis fundamentis fuit poftea conftructum in honorem *SS. Confefforum Dei Apollonii*, *Urficini*, *atque Rufticiani*: *Martyrum quoque Mauritii*, *Alexandri*, *atque Victoris* (16), quo ex loco antiquitas cultus Apollonio tributi luculentiffime comprobatur.

Ecclefia S. Petri majoris, cujus in nota Catalogo noftro appicta, fit mentio, ea effe creditur (quod femel admonuiffe juvabit) quam S. Anaftafius nofter Epifcopus ineunte feculo VI. ob partam adverfus Arianos victoriam inædificandam in honorem S. Petri curavit, fed anno DCCCI. igne combufta fuit. Ita eft narratum a Ridolfo Notario Brixiano in hiftoriola omnium rerum, quæ Brixianæ Urbi acciderunt imperantibus Franchis; quæque ex apographo mf. a laudato

B 3 Joan-

(14) Sigonius de Regno Italiæ id accidiffe narrat anno 945. Verum Faynus pag. 92. Martyrol., & Saxius in notis ad eum Sigonii locum Tom. II. Opp. Sigon. pag. 409. ad annum 970. eam rem collocant.

(15) Præftat rei eventum audire ex Donifone Monacho, Mathildæ Reginæ, cui fuit coævus, Arcifque Canufinæ Ecclefiaftes, vitam metrice enarrante, ut eft editus a Murator. Tom. V. Rer. Ital. pag. 350.

„ Duxit hic hos Atto multos alios quoque Sanctos.
„ Relliquias alias dedit illi Brixia magna.
„ Namque caput ac humerum dextrum, pariter lacertum
„ Hujus Apolloni vehementer honorificandi
„ Offert gratis ei. Gotfredus Epifcopus egit
„ Hoc, quia de lumbis erat ortus Principis hujus.
„ Hic Præful facram referavit corporis arcam,
„ Ac fecuit membra, cruor & mox prodiit extra;
„ Unde bonus Princeps valde miratus eidem
„ Continuo Terræ propriæ, decimamque monetæ
„ Vovit, & hic fecum facra duxit pignora lætus.

Confonat vetus Legenda S. Apollonii vitæ mf. in Archivo Capitularis Ecclefiæ Brixiæ, in qua præterea narratur, reliquum corpus fuiffe intra Urbis pomeris reconditum a Landulpho Epifcopo, uti in eodem Landulpho narrabitur.

(16) Ita legitur in fegmento Bullæ Pontificiæ Benedicti VII. datæ anno 975. aut 976. edito a Murator. loc. cit. pag. 359. Fuere autem eo in Templo facra hæc lypfana ufque ad annum 1392., quo Canufinæ Arcis Præfectus confracta majori Ara, fub qua quiefcebant, Papiam tranfmifit. Rem teftatam reliquit fincronus Auctor Joannes Abbas Monafterii Benedictini S. Profperi Regienfis; monumentum produxit Camillus Aforofi Benedictinus Part. II. pag. 33. Hiftoriæ ejufdem Monafterii. Ubinam vero gentium facra hæc Lipfana in præfentiarum recondita fint, nos plane fugit; namque in Catalogo facrarum Reliquiarum, quæ ex Arce Papiæ in Ædem ejufdem majorem translatæ fuere anno 1499. die 2. Septemb., nullam invenimus S. Apollonii mentionem. Catalogus hic eft in Sanctuario Papiæ per Paulum Guallam confectus, atque Papiæ editus anno 1587., cui fane Catalogo fidendum effe, vel ex eo putamus, quod recenter adhibita diligentia, nullam Papiæ facrorum Apollonii Lipfanorum memoriam haberi, certiores facti fumus.

Joanne Maria Biemmio (17) humaniter nobis communicato, magno nobis usui futura est, quod multarum rerum notitias frustra alibi conquisitas, eas tamen fide dignas, utpote generali Italiæ historiæ apprime consonas, nobis suppeditavit. Postquam igitur Ridolfus narravit Ildoino Brixianæ Urbis regimen traditum fuisse mense Octobri, indictione VIII., quæ an. 801. correspondet, ita suæ narrationis filum prosequitur: *In prima die, quo Ildoinus ingressus est Civitatem, Basilica S. Petri, quam Anastasius Episcopus ædificaverat pro mercede Arianæ hæreseos, de qua triumphaverat, igne consumpta fuit, unde malum præsagium de ejus regimine fuit mense Martio, supradicta Inditione, anno nempe* 801. Verum eam denuo fuisse restauratam apparet ex posteriorum notitia monumentorum, ex quibus celebrata sacra fuisse constat in Ecclesia majori S. Petri, quæ anno 1604. diruta fuit, ut in ejus area, nova sub titulo B. M. V. Assumptæ Cathedralis inædificaretur, uti dicemus in Marino Georgio. Eamdem vero fuisse Cathedralem æstivam, namque aliam fuisse Cathedralem hyemalem, adnotabimus in S. Philastrio.



VI.

(17) Nostro hoc Opere ad finem quasi perducto eam Historiolam publici juris fecit citatus Biemmius sub initium T. II. Historiæ Brixianæ, uti adnotare non prætermisimus n. XV. Præfationis.

V I.

URSICINUS EPISCOPUS SANCTUS

ANNO CCCXLVII.

QUI JACET AD S. APOLLONIUM EXTRA CIVITATEM.

DEfunĉto Apollonio ad Urſicinum uſque (1), ducentos prope per annos Eccleſiam proprio viduatam Paſtore a SS. Præſulibus Mediolanenſibus Calimerio , Mona , Myrocle , Protaſio , & Materno fuiſſe admiuiſtratam , docent veteres Brixiani Auĉtores Nazarius , & Florentinius in Catalogo . At Ughello placuit hocce temporis intervallum haud relinquere vacuum , unde Antigium , & Evaſium interpoſuit , quorum primus & a Ferrario recenſetur , qui Sanĉtis a Baronio prætermiſſis die XIV. Novemb. in hanc rem affert cum hujus Eccleſiæ Tabularia , tum Eliam Capreolum , & Aſcanium Martinengum . Verum ne id admittatur prohibet , inprimis Ramperti ſupra laudati auĉtoritas , qua ante Philaſtrium , de quo mox diſputaturi ſumus , ſeptem dumtaxat enumerandos eſſe Epiſcopos , certiores reddimur . Diſſimulandum profeĉto non eſt ab ipſomet Fayno cum in Cæl. Brix., tum in Martyrol. die XIV. Novemb. Antigium , & Evaſium recenſeri in noſtrorum Epiſcoporum Catalogo ; ſed illud maxime mirum , quod cum is eo loci affirmarit , nos non habere *majorem* , *vel pretioſiorem* Ramperti *Indice* antiquitatem , a quo , ut diĉtum eſt , Antigius , & Evaſius non recenſentur , & Philaſtrius dicitur VII. Epiſcopus , nihilotamenminus X. vocatur a Fayno , ut Antigium , & Evaſium intrudat . Quamobrem jure , ac merito ita Faynus a Galeardo carpitur in cit. notis margin. ad Martyrol. Fayni pag. 145. *Si majorem* , *vel pretioſiorem antiquitatis theſaurum Ramperti ſermone non habemus* , *quod quidem eſt certo certius* , *cur bone Fayne tam ſtudioſe diſſimulas Philaſtrium* ab

(1) Mirum a laudato Guerino in Synopſi Eccleſ. Bergomen. pag. 12. aſſeri , Brixianam Urbem poſt obitum S. Apollonii uſque ad S. Urſicinum per annos CXLI. Paſtore caruiſſe , cum certum ſit duo & amplius ſecula inter utrumque fluxiſſe . Apollonius enim ſenio obiiſſe medio Seculo II. , Urſicinus vero anno 347. Epiſcopatum iniiſſe creditur .

ab eo, VII. Episcopum numerari, aut ejus testimonium tam parvipendis, ut eumdem Philastrium, additis Antigio, & Evasio, imo etiam Anathalone, de Septimo Decimum faceres?

Urſicinus vero, & Fauſtinus (2) rejiciendi non ſunt propter auctoritatem tum Rampertiani Indicis, tum noſtri Catalogi, tum etiam Malvetii, a quo nulla facta Antigii mentione Urſicinus, & Fauſtinus his verbis copulantur (3): *Illic enim præcolendiſſimus Antiſtes Urſicinus memoratu digniſſimus, qui poſt B. Apollonium in Epiſcopatu ſucceſſit, Epiſcopalem ſedem conſtituit, ubi & conſequenter S. Fauſtinus Epiſcopus etiam reſidebat, qui ibidem S. Philaſtrium ſuſcepit.* Porro mox recenſitæ Ughelli, aliorumque opinioni crederem occaſionem dediſſe tum antiquiſſimum a Brixianis Antigio exhibitum cultum, tum ejuſdem Epiſcopalem dignitatem. Utrumque diſcimus ex Adonis Martyrologio (4): *Lingonis Civitate Galliæ in Territorio Magnomontenſe tranſitus S. Antigii Conf., & Epiſcopi, qui primo ibidem ſepultus, poſtea vero inde translatus, & in Caiſiaco Villa in Eccleſiam S. Mariæ, & S. Martini a Domno Haymone Venerab. Sacerdote honorifice reconditus eſt. Deinde poſt non plurimos annos, ob metum Nortmannorum; qui tunc maximam partem Franciæ, ac Burgundiæ vaſtaverunt, ab ipſo Sancto Sacerdote perlatus, & in Italiam adductus, atque in Civitate Brixiæ, in Monaſterio SS. Martyr. Fauſtini, & Jovitæ, quod ipſe jam dictus Venerabilis, Abbas poſtea per annos octo menſes 4. dies 23. honorifice rexit, venerabiliter collocatus quieſcit.* Ex iſtis verbis ſuſpicantur Bollandiani Socii (5), apud Brixianos hoc olim exemplar Adonis fuiſſe, ab iiſque hoc elogio locupletatum, quod non ita facile concedi poteſt; nam & alia ejuſdem generis encomia de Sanctis non Brixianis ibidem leguntur, obſervante etiam laud. Burgundio (6). Ex ipſo Adonis loco recte infert Galeardus, in notis ad Ughel., Antigium hunc non fuiſſe Brixianum Epiſcopum (7).

Mar-

(2) Fauſtinum eſſe rejiciendum putabat Burgundius, verum leves omnino nobis viſæ ſunt rationes in cit. mſſ. adductæ.

(3) Tom. XIV. Rer. Ital. pag. 802.

(4) Apud Bolland. Tom. II. Febr. pag. 808. Conſonat fragmentum mſ. ejuſdem Adonis Martyrologii Cap. V. Diſſertationis proœmialis editum.

(5) Loc. cit. ubi vere ſcribunt hunc Antigium fuiſſe Epiſcopum, ſed non Brixianæ Eccleſiæ.

(6) Vide ultimum Diſſer. Proœm. caput.

(7) Niſi fortaſſe velimus eo pacto Brixianum dicere Epiſcopum Antigium, quo mater Innocentium Bethlehemitarum dicta fuit Rachel a S. Hieronymo, quod fuerit ſepulta juxta Bethlehem in Ephrata, & ex materno corpuſculi hoſpitio matris nomen acceperit.

Martyrologio Adonis prorſus conſonat illud citatum a Mabillonio in Annal. Benedict. ad ann. DCCCXLIII. (8); adeo ut mihi videatur eſſe aliquod exemplar Martyrologii Adoniani, quo de alias egimus, propterea quod ipſiſſima habeantur verba de Translatione SS. Fauſtini, & Jovitæ in Ramperto commemoranda. Accedit, & illud appellari a Mabillonio *Martyrologium Tolonenſe*, quemadmodum vocatur illud Adonis, *Reginæ Svecorum*.

Addere poſſemus hujus Antigii, quemadmodum etiam Evaſii nomina præteriri in Calendario illius Liturgici, ſeu Miſſalis Libri, de quo ex mſ. Codice Capituli Cathedralis altero Diſſert. Procemial. Capite; verum cum & alia ibi deſiderari animadvertamus noſtrorum Epiſcoporum nomina, de quorum antiquiſſimo cultu dubitari non ſinunt rationes ſuis locis a nobis adductæ v. g. de Anathalone, Latino, Gaudentio &c. ideo nullum argumentum ex eo ſilentio in rem præſentem extundere placet.

Jam vero ut & de Evaſio pauca dicamus, eum die 2. Decemb. Tabularia Brixiana, quæ ſequuti ſunt Galeſinius, & Baronius, retulere. Nonnulli vero, lubrica profecto fide, XXX. fecere Brixianorum Epiſcopum; nam merito negat Galeardus illum, quem Brixiani colunt, Evaſium, unquam fuiſſe Infula ornatum, ſed martyrio dumtaxat coronatum obiiſſe, quod abunde, ait, docere inſcriptionem in Schedula vetuſtiſſima ejus arcæ incluſa, atque reperta anno MCCCCLIII. (9), in qua nulla fit Epiſcopalis muneris mentio, contra Veterum morem, qui Dignitatem illam numquam in publicis

perit. Requieſcit Antigius in S. Fauſtino majore, ubi colitur 18. Cal. Octob. ex Martyrol. Brix. Fayni, atque ex veteribus mſſ. Calendariis alias a nobis laudatis. Commemoratus autem Caſtellanus eum recenſet die 14. Novemb.: *Lingonis S. Antigius Epiſcopus, cujus corpus tempore irruptionis Nortmannorum translatum fuit Brixiam in Ecclesia S. Fauſtini*. Sunt hæc illius verba ex Gallico ſermone latine reddita. Ægidius etiam Menagius ejuſdem Eccleſiæ Lingonenſis Antigium Epiſcopum ſupponit in Vocabulario Hagiologico præfixo originibus Gallicæ linguæ his verbis; Antidius: *S. Antege Ev. de Langres*, Epiſcopus Lingonarum. Hinc maxime mirum iſthæc omnia eſſe omiſſa in Gallia Chriſtiana utriuſque editionis.

(8) Tom. II num. 75.

(9) Eam tamen repertam eſſe anno 1455. infra dicemus in Comment. ad S. Paulum I. innixi auctoritate Sapientiſs. Epiſcopi Noſtri Angeli Mariæ Quirini; hoc autem loco ſatis erit adnotaſſe eumdem Eminentiſſimum, ut mihi quidem videtur, in eam deſcendiſſe ſententiam, quæ ab albo Epiſcoporum expungit Evaſium, propterea quod, cum in Epiſt. I. ad Reverendiſſimum Patrem Benaleam tres priores Epiſcopi titulo decoraſſet, Evaſium appellat dumtaxat Martyrem. Quod autem non Martyris, ſed Confeſs. in Eccleſia Brixiana cultum obtineat, fortaſſe vetuſtas ipſa eſt in cauſſa, vel quod antiquitus Martyres appellati fuerint ii quoque, qui minime in certamine occubuiſſent; ita putat Galeard. in Schedis mſſ.

blicis monumentis prætermittere solebant. Inscriptio autem sic se habet apud Fayn. in Martyrol. *Evasius Episcopus Sanctus Martyr*, quæ aucta fuit in hunc modum: *Corpus S. Evasii Episcopi, & Mart. Brixiæ*.

Præterquamquod si ex Ramperto septimus est Philastrio assignatus locus, Evasio huic nullus potest obvenire. Martyrologii vero Brix. ab Ughello exhibita inscriptio, in qua Episcopus, & Martyr dicitur, floccisit a Galeardo, utpote Ramperto opposita, nulloque alio corroborata monumento. Reipsa nullus occurrit Evasius in vetustioribus ejusdem Ecclesiæ Calendariis mss., quorum in Præf. meminimus. Sub initium tamen Seculi XVI. hæc traditio jam inoleverat; etenim inter Sanctos hujus Ecclesiæ Episcopos Officio, & Missa colendos die 2. Decemb. recensetur in Missali, quod ex posita inscriptione liquet Cathedrali Ecclesiæ donatum fuisse anno MDIX. a Victore Martinengo. Verum non defuisse sub initium Seculi XVII. quibus, ut minimum, dubia visa sit Evasii hæc Dignitas indicio esse potest ejusdem omissio in Picturis Aulæ majoris Episcopalis, quas sub initium Præfationis innuimus.

Si vero Maurolici objicerentur, Molani, Peregrinii, Baronii, aliorumque recentiorum Martyrologia, in quibus Cal. Decemb. S. Evasius dicitur Episcopus, responderi potest, alium præ oculis Evasium habuisse Compilatores illos præter *Nostrum*, cum reipsa nullam assignent sui Episcopatus sedem; qui postea scripsere, Baronii vestigia sequuti sunt.

Quod si fœdissima illa tempora, quæ interim incidere memoria repetantur, probabilem viduitatis hujus Ecclesiæ rationem statim cognoscemus. Mortuo enim Antonino Pio, qui Imperium Rom. pacatissime gubernans Christianis rebus ita favit, ut ab omnibus *Pius Pater* vocaretur, summa rerum potitus est anno CLXI. Marcus Antoninus Verus, a quo adeo vehemens in Christianos excitata fuit tempestas, ut pene submersa res Christiana iis temporibus videretur; quamobrem, ut de nostris dumtaxat loquar Brixianis, tantus apud illos terror invaluit, ut nedum se *Christicolas* profiteri non auderent, verum etiam, si Malvetio fides (10), multi ex iis, qui crediderant, Christo nuntium mittentes, ad Gentilium

(10) Loc. cit. pag. 208.

lium mores reverterentur. Ii vero, quibus legem facram infringere religio erat, in montium abdita, & in abfcondita loca fugiebant, quas ærumnas ad Alexandrum ufque Severum, qui anno CCXXII. regnare cœpit, Chriftiana res perferre coacta fuit. Iccirco una conveniendi ad Paftorem eligendum paucis illis in fide conftantibus facultatem non fuiffe factam, facile adducor, ut credam. Non me quidem præterit, refpirare aliquando cœpiffe Chriftianos propter ejufdem Alexandri reverentiam erga Chriftum, cujus imaginem in Larario colebat, qua feliciori luce, regnantibus etiam duobus Philippis patre, & filio ufi funt; at felicitas hæc tum propter Præfidum adverfus Chriftianos iram, tum propter alia incommoda, quæ fuperiores attulerant perfecutiones, tanta non fuit, ut Populus Brixianus potuerit Chriftianæ Religionis obire munera, inter quæ Epifcopi electio maxime fuit eo etiam tempore confiderata. Quapropter inverifimile non eft, exiguam illam in agro Brixiano degentem Chriftianorum partem fuiffe gubernatam a propinquo Mediolanenfi Epifcopo, ubi propter Populi frequentiam numquam, fævientibus quoque perfecutionibus, defuit ea Chriftianorum copia, quæ fuos fibi Epifcopos eligeret. Vexationibus porro in Chriftianos fine impofito juffu, & ope Conftantini Magni, qui cælefti Dominicæ Crucis oftenfione, adverfus Maxentium fui in Imperio Socium, Alpibus feliciter fuperatis, hoftem prope Veronam debellavit, & Religionem Chriftianam fovere ftatim per totum Imperium cœpit, Brixianos noftros, qui fe abdiderant, ad propria redire, deque Paftore fibi eligendo, cogitare potuiffe credibile eft, eorumque electionem in Urficinum cecidiffe putamus. Hic eft ille Urficinus (11), quem Concilio Sardicenfi anno CCCXLVII. celebrato interfuiffe pro certo habemus cum Bollando, Tillemontio, Ughello, Galeardo. Faynus vero hoc pernegat (12), tum quia putat, minus congruere tempora, tum quia prætermiffum Epifcopum Brixianum vidit in Nicephori Chronico, ubi inter Italiæ Epifcopos, qui Sardicam acceflerant, numerantur tantummodo Prothafius Mediolanenfis, Severus Ravennatenfis, Lucillus Veronenfis, & Janua-

(11) Hæc eft prima noftrorum Epifcoporum, quæ certo figi poteft Chronologica nota.

(12) Martyrol. Brix. Cal. Decemb. pag. 150.

nuarius Beneventanus; iccirco concludit alium, ab Urſicino noſtro fuiſſe illum Epiſcopum, alterius nimirum Urbis, vocabulo Brixiæ nuncupatæ, ſive ea fuerit, quæ ad oras Germaniæ in Comitatu Tirolis, ſive quæ apud Gallos exiſtit. Verum momenta hæc tanti nobis non videntur, ut affirmantem elevent ſententiam. Rationes enim temporum, ſi conſiderentur, optime congruere intelligemus; certum quippe exploratúmque eſt, quatuor ſupra triginta a Concilii Sardicenſis celebratione annis, Brixianam ſedem adminiſtraſſe Philaſtrium, qui, ut mox conſtabit, Aquilejenſi interfuit Synodo, celebratæ anno CCCLXXXI. Porro inter Urſicinum, & Philaſtrium unus dumtaxat medius ſedit Fauſtinus, quamobrem quì fieri poteſt, ut Fayni collocantis Epiſcopatum Urſicini ad annum CIII. ratio temporum conſtet? Hac autem rejecta ratione, quam certe quiſque peritus rejicere debet, apprime tempora congruere, facile perſpicietur; neque enim immane illud ducentorum, & quod amplius excurrit annorum ſpatium, impleri poteſt a duobus illis Epiſcopis Antigio, & Evaſio, etiamſi in noſtram ſeriem admitterentur.

De objecto ſilentio Nicephori parum ſumus ſoliciti; argumentum enim illud, utpote negans, ferme nihil valere convenit inter peritiſſimos; cum contra noſtra affirmans aſſertio, iis omnibus innitatur Codicibus, quibus uſi ſunt in adornanda Conciliorum collectione, & Surius, & Pariſini (13), & Labbæus, in quibus omnibus clariſſima hæc exſtat, juxta Iſidori interpretationem, inter Severum de Ravenna, & Prothaſium de Mediolano, noſtri Epiſcopi ſubſcriptio:

Urſatius ab Italia de Brixa.

Nec movere debet ſive nomen *Urſatii*, ſive vox de *Brixa*, ut eſt in veteri mſ. Juſtelli (14). Primum quidem ſatis fuit a Galeardo ſolutum in notis ad Ughel., Urſatius enim ſubſcribitur pro Urſicino (15); ſicut in Epiſtola II. Conc. Mediolanen. ad Leonem I. pro Optatiano Brixiæ Epiſcopo, legitur Octavianus; quam Galeardi reſponſionem & aliis, ſi

rei

(13) Anno 1644.

(14) Apud Labbè Tom. II. Concil. pag. 692.

(15) Urſacius quoque vocatur in Geographia Sacra Caroli a Sancto Paulo, cujus hæc ſunt verba T. 1. pag. 61. *In provincia Mediolanenſi, Brixia; ex ejus Epiſcopis Urſacius ſubſcripſit Concilio Sardicenſi, Philaſter Concilio Aquilejenſi ſub Damaſo, & Octavianus prædicta Euſebii Epiſtola.*

rei esset pretium, confirmare possem exemplis, ex eodem sumptis Concilii Sardicen. Catalogo v. g. *Partasii* loco *Prothasii*, & *Lucii* loco *Lucilli* Veronen. Alterum vero facile solvitur, dicendo a voce *Brixia* deesse literam *i*, vel Amanuensium incuria, qua in veteribus codicibus frequens occurrit nominum depravatio, vel usu sermonis, quemadmodum accidit in textu S. Creg. Magni lib. IV. Dialog. cap. 52., ubi de nostra Brixia loquutum fuisse Gregorium affirmant Monaci Maurini, in notis ad eumdem locum, auctoritate innixi trium codicum. Tandem certum est, tempore illius Concilii, Brixiam in Galliis, & Brixiam in Noricis ad honorem Urbis nondum fuisse evectas.

Accedit Nicephorum non omnes Episcopos, qui ad Sardicense Concilium ex Italia convenerant, enumerare sibi proposuisse, sed eos dumtaxat, quos fama, ac sanctitate præclariores noverat, uti verbis hisce innuere videtur: *adfuerunt etiam præclara lumina &c.* (16). Quocirca & aliquot alios, quos Concilio interfuisse ejusdem Actis reddimur certiores, prætermisit Italiæ Episcopos, cujusmodi fuerunt Maximus Lucensis, Fortunatianus Aquilejensis, & Stercorius Canusinus (17). Ea igitur ex inscriptione liquido constat, hunc Episcopum unum fuisse ex propugnatoribus fidei Nicenæ. Quod vero affirmatur a Malvetio, Capreolo, Fayno, Ughello, & aliis, multa idolorum Templa purgavisse, Deoque vivo, & vero consecrasse, reponendum est potius inter indoctas fabulas, quam in narrationis historicæ filum. Nam quocumque tandem anno Ursicinus sedem Episcopalem tenuerit, certe finem IV. Seculi non attigit, cum anno CCCLXXXI. Philastrius Brixianus Episcopus inveniatur. Porro usque ad S. Gregorii Magni tempora, qui Pontificatum iniit anno DXC. idolorum templa apud Latinos vel dejecta, vel siqua intacta remanserant indigna habita fuisse, in quibus vero Deo Religionis cultus exhiberetur, plurimorum est Eruditorum sententia, quam luculenter post alios propugnavit Angelus Bargæus (18).

Alia

(16) Apud Baronium in Annal. ad annum 347. num. XI.

(17) Apud Labbè loc. cit.

(18) In epist. de Ædificiorum Urbis Romæ eversoribus, quæ extat Tom. IV. Antiquitatum Rom. Grævii pag. 1869., quam opinionem minime evertunt, nostra quidem sententia, rationes in contrarium recenter a nonnullis productæ.

Alia quoque laus Urficino tributa a Malvetio, Fayno, & aliis, de tribus Bafilicis inædificatis, quarum una dicitur fuiffe in S. Apollonii, fui Anteceſſoris honorem, ferri quidem poteft in noftra chronologia, maxime fi Apollonius martyr fupponatur, in alia vero defendi nequit; etenim fi obiit anno CIII., quas quæfo Bafilicas conftruere potuit, cum eruditis ferme omnibus certum, exploratumque fit, fanctis Confefforibus cœptas fuiffe dedicari Ecclefias feculo dumtaxat IV.? Rejectis igitur dubiis hifce narrationibus hoc unum certi habetur ex nota noftro Catalogo appicta, Urficini corpus Seculo XIV. jacuiffe in Ecclefia fuo Prædeceffori Apollonio nuncupata, quæ furgebat ad radices collis, olim nuncupati *Digni*, nunc S. Floriani; everfo autem templo hoc, translatum fuiffe anno MDXIX. in Ecclefiam S. Jofepho facram, in qua PP. Francifcani *Obfervantiæ* divina peragunt, ubi in ara S. Rochi Cal. Decemb. colitur (19).


Ad hunc cultum hæc fpectant Caftellani verba in fæpe laud. Martyrol. univerfali pag. 620. *Urficinus incognitus Catalogo Ramperti omnium antiquiffimo, qui habeatur, de Epifcopis Brixianis*; quæ verba dum fcriberet Caftellanus quid mente volveret, ego certe affequi non poffum. Etenim fi eò fpectabat, ut hoc pacto intrufum fuiffe in Brixianorum Epifcoporum recentem catalogum evinceret, quidni & ad alios in eodem catalogo prætermiffos Latinum, Evafium, quos fuis diebus commemorat, eamdem non addidit cenfuram?

Neque ex Ramperti filentio nos urgere poteft; non enim omnium fuæ Ecclefiæ Epifcoporum contexere catalogum fibi fumpferat, fed eos dumtaxat nominare, qui a Philaftrio ad fuum tempus vixerant (20). Ceterum Divorum cultum antiqui-

(19) Ex Malvetio pag. 80. Eam vero ecclefiam fuiffe folo æquatam pro conficienda planitie ad urbis fecuritatem anno 1519. refert Florentinius in Indiculo, loquens de S. Urficino; nunc ibi confpicitur faliens aquæ fons. Ejus autem Ecclefiæ meminit etiam Blondus Forolivien. Decad. 3. hift. lib. 9. & erat ftructuræ adeo magnificæ, ut Bafilicam vocare non timuerit Malvetius loc. cit. pag. 968. & alibi. Vide in Apollonio.

(20) Memorare poftremo loco placet a de Affe in notis ad diem 13. Augufti hæc laudari verba Baronii: *in notis fuadet S. Caffianum Brixienfem Epifcopum fuiffe*, quæ ferme eadem habet Clar. de Rubeis in Monum. Ecclefiæ Aquilej. ait enim p. 64: *putat Baronius ad diem 13. Augus. Brixienfem fuiffe Antiftitem Caffianum, cum potius Brixinenfem dicere debuiffet*. At facere non poffum, quin Annalium parentem ab hac, etfi haud magni momenti, macula liberem; quandoquidem ficubi legitur *Brixienfem*, vitio certe typographi verti debere cognoviffent de Affe, & de Rubeis, fi Romanam Martyrologii, anno 1586. & Venetam anno proxime fequenti editiones confuluiffent, in quibus *Brixinenfis* dicitur Caffianus Epifcopus, minime vero Brixienfis. Hanc obfervationem haud in-

tiquitus fuiſſe Urſicino tributum vel ex eo colligitur, quod Adalbertus Canuſiæ Dux dicitur auctor Eccleſiæ eo loci excitatæ in honorem SS. Apollonii, Urſicini, atque Ruſticiani: Martyrum quoque Mauritii, Alexandri, atque Victoris. Porro tres priores eos eſſe, quos Brixiana Eccleſia ſuos Epiſcopos, & Sanctos veneratur, clare deducitur ex iis, quæ in Apollonio dicta ſunt.



VII.

incommodam putavimus, cum ad hæc tempora, quibus Urciſinus Eccleſiæ noſtræ præſidebat, floruiſſe conſtet S. Caſſianum Martyr. primumque Sabionenſem nunc Brixinenſem Epiſcopum, quo de eruditam edidit Epiſtolam Cl. Hieronymus Tartarotus adverſus Antonium Roſchmannum.

VII.

FAUSTINUS EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI CCCXLVII.

AD S. FAUSTINUM AD SANGUINEM.

URficino Sanctus inde Fauftinus fucceffit, atque is eft, quem Adonis (1) Martyrologium mf. commemorat, quique in omnibus Brixianorum catalogis invenitur. Quamobrem in dubium vocari poteft Tillemontii affertio (2) dicentis, recentiores dumtaxat ejufdem feciffe mentionem. Licet vero ambigi de ejus Epifcopatu nequeat, nihil tamen vitam ejufdem illuftrans ex certis monumentis afferri poteft. Icciro folum conjectando dicere licet cum Malvetio in Cronico pag. 806., Fayno, & aliis, fuiffe ex inclyta SS. Martyr. Fauftini, & Jovitæ progenie, eorumque Acta, nec non & S. Apollonii fuiffe ab eo collecta, literifque confignata, ut iidem auctores affirmarunt; quod tamen negat Galeardus in notis ad Ughellum. Reipfa ex quo bono fonte ea notitia hauriatur, me plane fugit. In citato Adonis Martyrol., quod unum haud levis in rem noftram effe debet auctoritatis, folum dicitur, S. Fauftinum corpora SS. Fauftini, & Jovitæ collegiffe. Qua vero occafione facræ illæ exuviæ per hunc Fauftinum collectæ fuerint ingenue fatemur cum Henfchenio nos ignorare (3). Cum autem federit medius inter Urficinum, & Philaftrium, collocandus eft inter annos 347. & 379. Quo vero die obierit, recte admonet Caftellanus (4) prorfus effe obfcurum: de loco ubi facra Lipfana requiefcunt, certi fumus; coluntur

enim

(1) Adjungitur eadem die 15. Febr. Epifcopus Fauftinus, utque a Fauftino Martyre diftinguatur, *Confeffor* appellatur. Bolland. Tom. II. Febr. die 16. pag. 886.

(2) Tom. VIII. Hift. Ecclef. pag 542. de S.Philaftrio agentis. Tillemontio affentiri poffumus fi intelligatur de exemplaribus editis. Certum enim eft in nulla Adonis editione me potuiffe reperire hunc Fauftinum. At cum ultimo Differtationis prooemialis capite oftenfum fit mf. Adonis Reginæ Svecorum vetuftiffimum effe, neque recenti manu, ad Brixianos Epifcopos quod attinet, fuiffe interpolatum, hinc patet vetuftam effe Fauftini celebritatem, quam ex eodem loco Bollandianorum Tillemontius cognofcere potuiffet.


(3) Comment. prævio de SS. Fauftino, & Jovita loc. cit.

(4) Loc. cit. pag. 85.

enim die 16. Febr. ad S. Faustinum ad Sanguinem, ubi fuerant die sui obitus recondita, si fides Malvetio, per S. Philastrium (5), ubi anno 1107. a Joanne Episcopo reperta, teste Florentinio in Catalogo edito, seculo sequenti ab Alberto Episcopo comprobata sunt esse ejus Sancti, addita hac inscriptione anno 1223.

Hic jacet Corpus B. Faustini Confes. & Episcopi Brixien.

Totum vero monumentum habetur apud Bollandian. Tom. II. Febr. pag. 886. Demum abs Hieronymo Vascherio Episcopo Guardiensi (6), & Suffraganeo ex veteri in recentem arcam translata fuere anno 1588.



(5) In Chronico pag. 809. De Ecclesia S. Aphrae vide adnot. in Latinum.

(6) Hujus Faustini aliquas reliquias asservari Bononiae in Ecclesia S. Jacobi majoris, Eremitarum S. Augustini, tradunt ex Masino Bolland. loc. cit. n. 6.

VIII.

PHILASTER EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI CCCLXXX.

IN ECCLESIA S. MARIÆ MAJORIS.

SAnctus inde Philaster, sive Philastrius (1) celebratur, quem conjicere possumus circa annum 380. sedem hanc iniisse. Is est primus ex nostris Episcopis, de quorum gestis aliqua nos tuto tradere posse gaudemus; propterea quod SS. Ambrosius, & Augustinus, Concilium Aquilejense, Ven. Adelmanus XL. hujus Ecclesiæ Præsul, & maxime, qui proxime in Episcopali Sede ei successit, S. Gaudentius pleraque de illo posteritati consignavere. Neque multum de hoc nostro gaudio detrahitur, quod ignoretur cujas is esset, quove anno natus, Hispanus ne ex Ughello, an Italus ex Caveo (2), an potius Græcus, uti nominis ετυμον innuere videtur (3). Sunt enim alia multa majoris momenti, quæ certis rationibus assequi possumus. Illud procul dubio eximia eum laude cumulat, quod studio lucis Evangelicæ per universum Rom. Imperium disseminandæ, seculi impedimentis valere jussis, instar Abrahami exierit de Terra sua (4), & de cognatione sua, *& de domo Patris sui, circujens omnem pene ambitum Rom. Imperii, ut Dominicum annuntiaret verbum, Pauli Apostoli idoneus imitator*; ita est affirmatum a S. Gaudentio in Serm. de vita, & obitu S. Philastrii, habito recurrente die anni XIV., quo ad superna migraverat, & ex quo hausimus ferme omnia, quæ de Philastrio dicturi sumus (5).

An-

(1) Variis olim modis inflectebatur hoc nomen, nusquam tamen Philastrius vocatus fuit Philostorgius, uti vocatur lapsu fortasse memoriæ, aut typothetæ a Papebrochio in Comment. prævio vitæ S Barnabæ Apost. Tom. II. Junii pag. 457. Alia hoc de nomine, de quo non est nobis valde laborandum, videri possunt in Præf. Galeardi ad Philastrium n. 11.

(2) In Histor. Litteraria Seculi IV.

(3) Quæ fuerit Philastrio patria quodve genus, tacentibus Gaudentio, & Ramperto, non solum hodie ignoratur, sed etiam ignorabatur Seculo VIII. Nam auctor cujusdam Rhythmi de Philastrio antiquior IX. Seculo, atque ex mss. Brixianis editi a Galeardo pag. 375. laudatæ Collectionis aperte significat, jam tum ignoratum fuisse cujas is esset.

(4) Tamen de Philastrii patria, deque anno, quo natus est, nihil innuit Gaudentius, neque aliquid certi uspiam proditum est; adeo clarorum virorum, perinde ac fluminum, ortus frequenter obscuri, progressus conspicui.

(5) Hic sermo ita est inscriptus apud Galeard. loc. cit. pag. 370. *Sermo B. Gaudentii Epi-*

Antequam vero prædicationis munus aggrederetur, Deo consecratum fuisse *per impositionem manus Presbyterii*, testem damus laud. Gaudentium, a quonam vero Dignitatem hanc acceperit, nemo, quem sciam, innuit, aut investigavit. Putarem ego a Rom. Pontifice, maxime si *per impositionem manus Presbyterii* Episcopalem Dignitatem intelligere velimus. Namque metropolitico jure fungebatur Rom. Episcopus in Italia, atque in Insulis adjacentibus, antequam illud jus Mediolani institueretur, cujus institutionem ad S. Ambrosii Episcopatus tempora, Historiæ Ecclesiasticæ peritiores revocant. Reipsa ad Brixianum clavum cum non sederit Philastrius, nisi labente anno 379., aut ineunte 380., Episcopali dignitate ante illud tempus eum fuisse insignitum, vix in dubium vocari potest; qui enim fieri potuit, ut privatus homo, Auxentio Mediolanensis Ecclesiæ Præsuli, atque Valentiniani Imperatoris cum gratia, tum vi freto, obsisteret, remque catholicam per eumdem Auxentium Ariana labe corruptum, vexatam, sustineret, & jure ac merito posset a S. Gaudentio vocari *in Mediolanensi Urbe idoneus custos Dominici gregis?* quod arbitror in causa fuisse, cur a Baronio ad annum 369. in eorum Episcoporum numero recenseretur, quos Auxentius propter eamdem causam afflixit vexavitque; neque creditu difficile est, Auxentium in tantum flagitium prolapsum, ut Episcopum flagellis verberibusque, percuti ac dilaniari, jusserit; namque Arianos eo insanæ malitiæ ac impietatis devenisse, ex Ecclesiasticis Annalibus, compertum facit Galeardus, loco supra commemorato, certamque reddit fidem Epistola S. Athanasii ad Solitarios. Igitur Episcopali ornatum Dignitate, nulli tamen destinatum Ecclesiæ, sed instar primorum Evangelii Præconum, missum indiscriminatim fuisse ad lumen Evangelii diffundendum, per Rom. Pontificem, hæc videntur significare Gaudentii verba (6) pag. 372.: *cum per impositionem manus Presbyterii dispensator fuisset divini sermonis electus, negligere gratiam Dei omnino passus non est. Sed neque per vicos, & castella diversarum præteriens Regionum, prædicare Verbum Dei unquam destitit fidelis Christi discipulus.* Maxime vero duas illas, quæ Populo-

Episcopi de vita, & obitu B. Philastrii Episcopi Prædecessoris sui.

(6) De hoc Apostolico munere disseruimus in Anathalone.

rum, eruditorumque hominum frequentia totius Italiæ principes Urbes habebantur, sibi elegisse visus est, Romam nimirum, & Mediolanum, in quibus & Judæi, & Gentiles, & pleræque hæreses, Ariana potissimum, grassabantur, quas omnes debellandas suscepit.

Mediolanum igitur, juxta Gaudentiani contextus expositionem inprimis se contulit, qua in Urbe, locupletissimam eruditionis ostendendæ, & charitatis exercendæ, nactus est occasionem. Namque Auxentius Ecclesiæ illius Episcopus Arianam hæresim partim aperte, partim clam fovebat. Tanto autem fidei vigore adversus Arianam perfidiam (7) pugnavit, ut multis, gravibusque verberibus acceptus fuerit, & in corpore suo, teste Gaudentio loc. cit. stigmata D. N. J. C. portaverit (8). Id autem accidit sive ipsiusmet Auxentii jussu, quæ fuit Baronii opinio (9), sive saltem, juxta Tillemontium, (10) Auxentio consentiente. Has vero pugnas ad ann. 365. Pagii senioris innixus calculo, retulit Galeardus in Præf. ad Philastrium n. III., quas identidem restauratas fuisse persuadere potest obfirmatus usque ad mortem ea in perfidia Auxentii animus. Quo tempore catholicam rem, ea in Urbe, fuisse procuratam a Philastrio, Episcopali munere fungente, certo patere affirmat Galeardus ex his Gaudentii verbis: *In Mediolanensi Urbe idoneus olim custos Dominici gregis fuit, Ariano repugnans Auxentio, priusquam B. eligeretur Ambrosius.*

Iis vero concertationibus cum nihil, aut ferme nihil se obtinere intelligeret Philastrius propter callidas pervicacesque artes Auxentii, qui Valentiniani Imp., tametsi catholici, artibus ejus decepti, patrocinio fruebatur & gratia, Christi Vicarium Damasum certiorem fecit de Ariana Mediolanensis Præsulis fide, eo probabiliter anno, scilicet 369. (11), quo Hilarius Pictaviensis Episcopus, ut ejusdem Auxentii versipelles opiniones, specie tenus catholicas, re tamen ipsa Aria-

(7) *Non solum contra Gentiles, atque Judæos, verum etiam contra omnes pene hæreses, & maxime contra Arianam perfidiam, quæ tunc nimium prævalebat, fidei vigore pugnavit.* Martyrol. Adonis tum mſ. Reginæ Svecorum, tum editum in Appendice Rosvveydi XV. Cal. Aug.

(8) *Ob hæc verberibus castigatus stigmata D. N. J. C. suo portabat in corpore.* Martyrol. Adonis loc. cit., cui consonat laud. Rhythmus de Philastrio.

(9) Ad annum 369. num. 27.

(10) In vita S. Philastrii Tom. VIII. pag. 542.

(11) Juxta Pagium Seniorem in Baronii Critica ad hunc annum n. 2.

Arianas, omnibus palam faceret, Mediolanum concesserat; cujus rei testem producimus Damasum ipsum, tali pacto loquentem in Epist. Synodica ad Episcopos Illyrici, occasione Rom. Concilii, anno Christi CCCLXIX. celebrati, ne latius Auxentii virus læthale serperet (12): *Significatum est nobis a Fratribus, qui in Gallia, & in parte Venetensium habitant, nonnullos ad hæresim amplexandam omni studio incumbere*. Nomine autem Venetensium Fratrum intellexit Pontifex Philastrium, & Evagrium (13); ii quippe insectati præcipue sunt Auxentium Mediolanensium Præsulem Ariana labe vitiatum.

Mediolani dum ageret Philastrius necessitudinem iniit cum Ambrosio, acerrimo Arianorum hoste, junctisque votis bellum administratum fuisse, testis est noster Rampertus, qui in tractatu (14) de translatione corporis ejusdem Philastrii ita loquitur: *qualem eum, in Arianorum nefandæ procella temporibus, SS. memoriæ Ambrosius Mediolanensis Episcopus esse intellexit, qui sibi eum collegam habebat*. Præter Ambrosium, illis in certaminibus, Evagrium quoque fuisse Philastrii socium, constat ex cit. Epist. Synodica Damasi (15).

(12) Tom. II. Concil. Labbè pag. 1041.

(13) Henricus quoque Valesius in Notis ad cap. XXVI. Hist. Eccles. Sozomeni, qui eamdem, paucis mutatis, refert Synodicam epistolam, id animadvertit; ubi etiam affirmat, illud idem fuisse notatum a Baronio ad ann. 369. ex Hieronymo. Quod tamen verum est de Evagrio, minime vero de Philastrio, de quo nihil eo loci commemorat Baronius ex Hierouymo; neqoe sane commemorare poterat, propterea quod in toto fortasse Hieronymo Philastrii nomen nullibi invenitur. Neque tamen hæc eo dicta sunt animo, quò hominis interpretationem de Philastrio, Venetensium nomine significato, elevem; quippe licet & Eusebius Vercellensis, & Hilarius Pictaviensis pro catholica re adversus Mediolanensem Præsulem strenue decertarint, probabile tamen est Philastrium nostrum primas ea in pugna habuisse, remque inprimis Rom. Pontifici detulisse. Etenim compertum est ex Veterum monumentis, ab uno Philastrio, eo temporis intervallo, ab anno 365. ad ann. 374., catholicæ Mediolanensis Ecclesiæ curam administratam fuisse; uti S. Gaudentius cit. ferm. non obscure indicat: *In Mediolanensi Urbe* (sunt hæc ejus verba) *idoneus olim custos Dominici gregis fuit, Ariano repugnans Auxentio*.

(14) Pag. 387. Collectionis PP. Brix. Ecclesiæ.

(15) Quoniam nihil, aut ferme nihil a Brixianis Scriptoribus de hoc Philastrii socio commemoratum video, operæ pretium me facturum puto, si nonnulla de eodem commemoravero. Baronius loc. jam recensito hæc habet: *Quisnam autem fuerit Evagrius iste haud satis exploratum habere potuimus*. Verum etsi plures eo tempore floruerint Evagrii, eum tamen, cujus in Synodica ad Episcopos Illyrici meminit Damasus, fuisse Evagrium Antiochenum Episcopum, Sanctique Hieronymi necessarium mihi inprimis ista suadent ipsius Hieronymi testimonia.
I. Ejus excubiis tribuit Hieronymus sub finem epistolæ I., quæ est ad Innoc. in elaboratissima Cl. Vallarsii editione, sepultum pene, antequam mortuum Auxentium.
II. Stricta eidem fuit consuetudine junctus: *nunc vero & toto mihi lumine* (alias clarissimo homine) *Evagrio nostro fruor, cui ego semper infirmus ad laborem cumulus accessi*, dicit ipse S. Doctor in epist. ad Ruffinum pag. 10.

III.

Mediolano relicto Romam petiit Philastrius, quo verò anno certò pronuntiare non possumus. Siquod conjecturis pondus, anno CCCLXXIV. id accidisse judicandum. Etenim antequam B. Ambrosius Mediolanensis Præsul eligeretur, gregis Dominici curam ei fuisse demandatam supra ostendimus; eam vero provinciam credibile est tum dimisisse, cum & Auxentius e vita fuit sublatus, & in ejus locum, licet reluctans, a proximis Episcopis, universo approbante, & gaudente catholico Populo suffectus Ambrosius eodem, quo Auxentius obierat, anno CCCLXXIV. (16).

Haud exiguos Romæ prædicationis suæ tulisse fructus nullum dubitandi locum reliquum facit Gaudentii testimonium loc. cit.; *ibi enim non exiguo tempore moratus multos, & publica,*

III. Presbyterum fuisse, & quidem sanctum, amicumque Florentii, ad quem data est Hieronymi epistola.

IV. Dum Antiochiæ versaretur, se ibidem eum vidisse testatur corripientem quemdam puerorum Magistrum: *Magistrum autem pueri sui....sæpe Evagrius Presbyter, dum Antiochiæ essem, me præsente corripuit:* ita Hieron. loc. cit.

V. In Chronico etiam Eusebii ad ann. Christi 275. idem scripserat, Evagrium sibi charissimum ex stirpe Ducis Pompejani, cognomento *Franci*, *cujus familia*, inquit loc. cit. *hodieque apud Antiochiam perseverat*. Antiochenum igitur fuisse Evagrium, Dignitate Sacerdotali insignitum, clarorum hominum amicitia florentem, concertationibus adversus Auxentium habitis celebrem, nullus dubito. Deinde Antiochena infula insignitum scite admonet laud. Vallarsius in notis ad 1. S. Hieronymi Epist. pag. 717., namque id fuerat in catalogo de Viris Illustribus c. 125. Tom. II. pag. 935. abs eodem Hieronymo affirmatum; & in illius Ecclesiæ Patriarchis eum video collocatum a le-Quien, cujus verba, licet prolixa, ex Tom. II. Orientis Christiani pag. 716. hic exscribere non piget: *Evagrium Paulinus morti proximus Episcopum designasse, & consecrasse fertur, nullo accito præterea Episcopo, qui sacras ei manus secum imponeret, ante Episcopatum amicitia junctus fuit cum S. Hieronymo, quem ex Occidente in Syriam adduxerat, cumque secundi ordinis Sacerdos esset, seu Presbyter, S. Antonii vitam, quam magnus Athanasius græce scripserat, in latinam linguam convertit. Palladius ipse Hellenopolitanus Dialogo de Vita S. Joannis Chrysostomi pag. 51. paucis eum commendat. Hieronymus in Chronico ad annum 11. Aureliani, Evagrium eumdem de genere fuisse ait Pompejani, qui Zenobiam Palmirenorum Reginam sub eodem Aureliano Augusto vicerat. Ad Concilium Capuanum Evagrius venit anno 390., causam suam cum Flaviano, si adfuisset, disceptaturus, unde Rom. Pontificis, & totius Occidentis, & Ægypti communionem obtinuit, post annos duos obiit.* Plura illo de Conc. Capuano in Sec. IV. cap. 2. Monumentorum Ecclesiæ Neapol. habet Antonius Caracciolus.

Quod vero ait Vallarsius in Serm. Chronolog., qui exstat post finem generalis Præf. in Tom. I. suæ Hieronymi editionis, S. Hieronymum his verbis: *Auxentium Mediolani incubantem Evagrii excubiis sepultum pene, antequam mortuum*, designare voluisse, *Rom. Synodum Evagrii studio præcipue congregatam*, tali pacto intelligendum esse puto, ut & Philastrius in idem opus symbolam contulerit suam, quod satis superque suadere possunt exanthlati, quorum supra meminimus, pro Arianæ hæreseos exstirpatione, a Philastrio labores.

(16) Non me quidem præterit Auxentii obitum, Ambrosiique electionem in Eusebii Chronico, per Hieronymum latine reddito, collocari a Scaligero ad annum 375. at ne a communi recedamus calculo ea faciunt rationum momenta in hanc rem a solertissimo Tillemontio adducta adnot. 11. ad vitam S. Ambrosii Tom. X. pag. 732., neque miramur in illius Chronici aliis editionibus eamdem mortem legi ad annum 378., namque peritissimus quisque hisce in rebus novit, Eusebianas temporum rationes, si ad Æram nostram vulgarem referantur, duobus crescere annis, quibus tertius per Hieronymum additus est cum mensibus aliquot, quæ si demas additamenta, Auxentii mortem cum anno 374. plane convenire cognosces.

blica, & privata disputatione lucratus est ad fidem. Hos inter commemoratur abs Ughello S. Augustinus, qui Philastrii prædicatione novos pietatis sensus induit, cujus assertionis testes producit ipsosmet Augustinum, & Gaudentium; at eorum neuter tale quid habet; ex loco enim Augustini, quem Abbas ille citat, id unum colligitur, Philastrium fuisse ab eo de facie cognitum, & quidem Mediolani, non autem Romæ; sunt enim aperta hæc Augustini verba in Epist. ad Quodvultdeum: *Philastrius quidam Brixiensium Episcopus, quem cum S. Ambrosio Mediolani etiam ipse vidi*, hoc vero post annum CCCLXXX. contigisse, ex mox dicendis patebit; nullo autem alio in loco suorum Operum a se visum fuisse, aut auditum Philastrium scribit Augustinus. Neque ex toto Gaudentio quidpiam expiscari possumus, quo tueamur Ughellum. Quamobrem vulgi traditionibus, ut plurimum falsis potius, quàm probato aliquo monumento nititur non minus hæc Ughelli opinio, quàm illa quorumdam de Philastrii ad I. Œcumen. Concilium Niceæ celebratum anno CCCXXV. accessu. Unde omnia hæc a Philastrii vita prorsus esse rejicienda contendimus.

Eadem in Urbe degentem Philastrium cognitum fuisse S. Pont. Damaso, ipsique acceptum, publiceque docuisse affirmatur, cum in Lectione antiquitatis non spernendæ Breviarii cujusdam mss. Monasterii Monialium S. Catharinæ Brixiæ, relati a Bolland. Tom. IV. Sanctorum Junii pag. 383.; cum in sæpe commemorato Malvetii Chronico pag. 809., & in Ferrarii Catalogo Sanctorum Italiæ. Hæc autem Galeardo ita displicent, ut inter otiosorum hominum vaticinia magis, quàm inter conjecturas referenda esse pronuntiet num. VII. Philastrianæ Præf.; mihi vero si, quod sentio, aperte dicere licet, non adeo a veritate abhorrere videntur, neque a temporum ratione. Videamus, quæso, propositas ab ipso difficultates: *Verum* (ita ille loc. cit.) *cum de hoc Gaudentius nihil prorsus habeat, nescio quàm tuto id possit affirmari, cum præsertim, sub Damaso Philastrium Romæ fuisse non adeo sit verisimile, sed potius circa Damasi tempora, qui sedere cœpit anno 369., inter certamina Arianorum versaretur*.

Non is profecto ego sum, cui probentur omnia, quæ sine veteribus monumentis recentiores comminiscuntur, at siqua

ab ipsis narrata invenio, quæ probabiliter suaderi possint, non continuo ob Veterum silentium explodenda esse arbitror; quamobrem Galeardi non erat, tantam in silentio Gaudentii vim ponere. Primo enim haud liquet, accuratam sibi proposuisse Gaudentium Philastrianæ vitæ contexere historiam, unde factum est, ut neque illius in Aquilejensi Conc. subscriptionis, neque Augustino fuisse cognitum, ullum sit in Gaudentio vestigium. Deinde nonne Philastrium Romæ fuisse scripserat Gaudentius, quidni Damaso cognitum? At enim *sub Damaso Philastrium Romæ fuisse, non adeo est verisimile, sed potius circa Damasi tempora, qui sedere cœpit anno 369., inter certamina Arianorum* versabatur. Miror sane Galeardo viro ingenii acie, & eruditionis copia florenti hæc excidisse; imo vero probabile est circa Damasi tempora Romæ fuisse. Ex Gaudentii contextu post Mediolanum fuit Romæ, ergo probabile est post annum CCCLXXIV., namque non est probabile, furente Auxentio, Mediolanensis gregis curam fuisse a Philastrio derelictam, & est probabile, sumpta ab Ambrosio ea infula Romam petiisse, ut Mediolanensis Ecclesiæ statum Rom. Pontifici exponeret, atqui Damasus nonnisi anno CCCLXXXIV., *prope octogenarius sub Theodosio Principe mortuus est*, ergo probabile est, nequid amplius dicam, sub eo Pontifice Romæ versatum fuisse. hoc constituto quid mirum, si illi Pontifici innotuit? imo si Pontifici Rom. haud innotuisset, dum in Urbe versaretur, strenuus ille Trinitatis Fidei athleta, mirum sane esset, prorsusque incredibile. Neque etiam incredibile, sed rationi consonum est, cum privatim, tum publice adversus eos errores, qui in Urbe grassabantur, onus disputandi ei impositum fuisse a R. Pontifice, cui plane Concionatoris hujus pietas, & doctrina vere Apostolica perspecta erant. Neque Damasum conceptam spem fefellisse, mihi videtur posse non obscure colligi ex his jam supra laudatis Gaudentii verbis: *Romæ etiam non exiguo tempore moratus, multos & publica, & privata disputatione lucratus est ad fidem*.

Peragratis locis, Urbibus, Castellis, Brixiam tandem se contulit (17), in eaque rem catholicam erecturus sedem fixit

(17) Quonam pacto fuerit huc accitus, neque ullus scripsit, neque ex ullo monumento cognosci potest. *Episcopus* (inquit S. Cyprianus) *deligatur plebe præsente, quæ singulorum*

xit pervigil cuſtos gregis a Domino traditi anno circiter (juxta communem calculum) CCCLXXX. Quæ tunc fuerit Eccleſiæ hujus forma, quoſque in ea excolenda ſuſceperit labores novus Epiſcopus, in medium ex eodem Gaudentio proferatur: *Poſt illos circuitus* (verba ſunt S. Gaudentii n. 4.) *animarum plurium ſalutares, Brixia eum rudis quondam, ſed cupida doctrinæ promeruit, ſcientiæ quidem ſpiritalis ignara, ſtudio tamen diſcendi laudabilis; excidit continuo imis ab ſtirpibus horrentem ſylvam diverſi erroris bonus agricola, & aratro doctrinæ pronus incumbens invertit crudam totis viribus terram, ſqualentemque humum ſulcis aſſiduis in novalia fœcunda convertit, affatim ſemina vitalium mandatorum gremio ejus inſinuans.*

Plantavit quoque vineam, cujus lætaretur ex fructu, quoniam vinum lætificat cor hominis, oleam etiam pacis agreſtibus indidit oleaſtris, & aſperitati morum ſylveſtrium, germina pinguedinis, & ſuavitatis inſeruit, ut haberet Apoſtolicus vir aliquem & in vobis fructum, ſicut & in ceteris gentibus. Ex hoc Gaudentii loco jam liquet a Brixianorum animis Philaſtrii ævo pravarum opinionum ſemina haud prorſus exterminata fuiſſe; imo magnas adhuc idolorum, & Gentilium reliquias exſtitiſſe affirmatum eſt a Galeardo in Præf. ad Philaſtrium n. VIII.: *idcirco* (ſequitur Galeardus) *ſæpius contra eos invehitur acriori ſtylo, qui dæmonia colentes, elementa adorantes, Deorum, Dearumque nomina, ut Pagani, invocantes .... multorum animas mendacio, & pecudiali turpitudine, non deſinunt captivare; & cap. VI. ubi de Manichæis pag. 44. & cap. CVIII. n. 82. idola, hominum voluntas peſſima, ſui ſceleris, & turpitudinis perpetrandæ cauſa, maluit invenire, ut colentes ea, effuſam operandi mali poſſint habere licentiam.*

Egregia igitur laus Philaſtrio denegari nequit, qui perverſas a Brixianis expulit opiniones, Arianas inprimis, quas & in hanc

rum vitam pleniſſime novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit. Ex quibus videtur Epiſcopum fore eligendum ex Clericis ejus Eccleſiæ, cui præficiendus erat. Durante antiquo eligendi modo, generalis omnium Eccleſiarum regula erat, ut *de ſuo quæque Clero, non vero extraneum quempiam ſibi Epiſcopum eligerent*, verba ſunt Binghami altero de Eccleſiaſt. Originibus lib. cap. 10. Tom. I. pag. 147. Dicendum igitur eſſet Philaſtrium fuiſſe Clericum hujus Eccleſiæ antequam ad Epiſcopalem dignitatem per R. P. promoveretur; hoc tamen non ita facile perſuaderi poteſt, propterea quod Gaudentius, qui ei fuit proximus in hac Sede Succeſſor, ne uno quidem verbo indicat, Philaſtrium, antequam in Epiſcopum eligeretur, ejuſmodi fuiſſe. Quocirca eo adducor, ut credam, a Brixianis electum fuiſſe propter famam, Brixiam delatam ejus egregie factorum; neque enim deſunt exempla exterorum hominum, qui propter illuſtria merita vocati ſunt a Populo, & Clero in ſuos Epiſcopos.

hanc Urbem pedem intulisse testem damus Rampertum, cujus hæc sunt verba in Serm. de S. Philastrii translatione n. 4. *Brixiensem Ecclesiam Christo tum prædicando congregans* (Philastrius) *sanctum dogma custodivit, & arescentem dexteram fidei catholicæ Ecclesiæ, pullulante sinistra Arianæ perfidiæ, ubique, quantum potuit, reformare mirifice studuit*. Eamdem hanc Philastrii laudem Gaudentius ipse his verbis expresserat: *hanc Ecclesiam in Fide Trinitatis adorandæ fundavit, in vera spe, & charitate perfecta constituit, ad virtutes erexit, in pace reliquit*.

Neque mirandum tanta apud Brixianos valuisse gratia, & auctoritate; satis enim est, ut cum Gaudentio in sæpe laud. serm. num. 6., *memoria repetatur vehemens ille ardor animi quantam possederit in sanctis moribus lenitatem, illa celsitudo scientiæ quanta fuerit humilitate sublimis, illa cælestium rerum peritia quam fuerit ignara terrestrium; erat enim humanæ gloriæ nescius, & acer divini amoris exactor, non quærens quæ sua essent, sed quæ Jesu Christi, amicitias sæculi, & officia mundana contemnens, servitio Dei jugiter occupatus, nimirum ibi cor ejus erat, ubi thesaurus. Illud etiam quale est, quod cum operosa quæque hujus seculi, ac pretiosa despiceret, vilium rerum pauperrimos venditores misericordi ambitione profusus emptor augebat, parum scilicet computans, quod professus egentibus largiretur, erat idem Sanctus ira brevis, indulgentia facilis, patientia supremus, humanitate devincens, in corripiendo districtus, in relaxando absolutus, liber in agendo, omni ætati, & conditioni, & sexui stupenda benignitate communis, ac tum humilibus quibuscumque conjunctior*.

Ab hisce egregiis laboribus, quibus Brixianam excolebat, fovebatque vineam cessandum aliquantisper fuit, ut itineri Aquilejam versus se committeret anno CCCLXXXI. occasione Concilii in ea Urbe celebrandi. Furente enim Ariana impietate in Illyrici partibus Gratianus Imp. Generale Concilium indixerat, in quo Palladius, & Secundianus, hæresis illius impudentissimi assertores, causam dicerent, Ambrosio, qui Mediolanensem Cathedram jam ascenderat, minus hoc probante; quià putabat, hoc conveniens haud fore, si propter duos tantum (18) *in perfidia cariosos Sacerdotes*, toto orbe essent Ecclesiæ Episcopis destituendæ. Quamobrem ea, qua flore-

(18) Ita habetur in Epist. Synodica Concil. Aquilejen.

florebat apud Imperatorem gratia, ei persuasit, fore satis Episcopos convocare Urbium Italiæ, cæteris facultate facta pro libito adeundi. Ambrosii consilio morem gessit Gratianus, convocataque fuit Aquilejæ Synodus quasi Generalis, Syagrio, & Eucherio Coss. III. Nonas Septembris anno CCCLXXXI. Eò igitur contendit Philastrius, ubi primas agentibus partes Valeriano Aquilejensi, & Ambrosio Mediolanensi Præsulibus proscripta solemniter fuit Ariana hæresis, & proscriptionem Episcopus noster, qui octavus recensetur, in illius Concilii laterculo (19) approbavit, signavitque: *Philaster Episcopus Brixianus dixit: blasphemias, & iniquitatem Palladii, qui Arianam doctrinam sequitur, & defendit una cum omnibus ego condemnavi.*

E Concilio reducem ad pristinas remeasse curas solicitum gregis Pastorem rationi consonum est credere; has inter non ultimum obtinet locum exquisita diligentia, quam adhibuit in erudiendis catholicæ fidei præceptis duobus illis Ecclesiæ hujus præclaris luminibus Benivolo, & Gaudentio, quorum alter Brixianæ Urbis civis, & Mediolani apud Valentinianum Augustum, Magistri memoriæ (20) munus integerrime exercens, summis laudibus a Gaudentio exornatur in nuncupatione suorum ad illum Tractatuum: alterius vero in Episcopatu proximi Philastrio Successoris res gestas mox sumus enarraturi.

Aliud etiam iter fuisse ab eo susceptum, ut Mediolanum repeteret, extra omne dubium videtur; in quem verò annum inciderit, certo definire non possumus, illud tamen pro verisimili habendum intra annos 384., & 387., postquam Roma redierat, mortuo Damaso Romano Pontifice. Certum quippe est Augustino Mediolani agenti cognitum fuisse; porro Augustinus eo pervenit sub finem anni CCCLXXXIV., aut ineunte anno CCCLXXXV.. Mediolano autem discessit eo anno, quo Philastrius obiit, nimirum CCCLXXXVII.; alterutro igitur ex istis annis versatus est Mediolani S. Philaster; accedit etiam socium fuisse S. Ambrosii in iis turbis, quas pro Arianorum defensione excitaverat eadem in Urbe Justina Augusta, quas turbas collocant Eruditi ad annum 386.,

(19) Ubi tamen advertente Galeard. loc. cit. numer. 3. perturbatus fuit Episcopalium Sedium ordo.

(20) Hoc est a Scriniis.

386., unde citra ullam dubitationem ſcribit Samuel Baſnagius, hoc anno noſtrum obiiſſe Philaſtrium, *qui bene in Trinitatis Fide animatus odia Arianis movit, a quibus & ante Epiſcopatum vexatus eſt* (21). Itaque hoc tempus ſpectant Ramperti verba hæc: *qualem eum* (Philaſtrium) *in Arianorum nefandæ procellæ temporibus ſanctiſſimæ memoriæ Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus eſſe intellexit, qui ſibi eum collegam habebat*; & præter ſanctiſſimum illum Mediolanenſium Antiſtitem aliis etiam vicinis Epiſcopis pergratum fuiſſe, plurimique ab ipſis habitum, certiores nos facit laudatus Ramperti Sermo.

His autem rebus claro Epiſcopatu adminiſtrato mortuus Philaſter ſepultus fuit una cum ſuo Baculo Paſtorali in atrio Cathedralis, olim dictæ S. Andreæ.

De anno emortuali, ſilente antiquitate abeunt Scriptores in varias opiniones, quæ obviæ ſunt numero XI. laud. Galeardi Præfat.: ſatis nobis erit eum poſuiſſe, ex communi calculo, ad annum CCCLXXXVII., vitam certe agente Ambroſio, quem deinceps eodem quoque obiiſſe anno receptior eſt ſententia.


De die vero certiores nos reddunt hæc S. Gaudentii verba ex citato de Translatione S. Philaſtrii ſermone deprompta: *quintodecimo Kalendarum Auguſtarum exuit hominem*, qui dies, ut meritus eſt ſua ſanctitate præclariſſimus hic Antiſtes, inlatus deinceps fuit non ſolum in ſacras hujus Eccleſiæ ephemerides, verum etiam in omnia prope Martyrologia. Officio duplici univerſa hæc, cultu vero ſolemniori celebrat eumdem diem Cathedralis Eccleſia, ibique ad aram Philaſtrio ſacram ablatum e Sacrario Sanctiſſimæ Crucis, ubi inter alia hujuſmodi pretioſa cymelia cuſtoditur, publicæ devotioni proponitur modo citatum pedum ligneum (22). Duos iſtud omnino longum eſt (qui Romanum tranſverſo digito ſinguli excedunt) Brixianos cubitos, excepta cuſpide, quam ipſummet lignum non circumciſum, ſed duplici tantum ex parte reſecatum effingit; ligneum eſt, a ſummo in-

ſtar

(21) Tom. III. Annalium Politico-Eccleſ. pag. 106. ad annum 386.

(22) Quam vetus ſit hujuſce Baculi uſus, vel ex eo colligi poteſt, quod IV. Seculo jam ſupponitur a noſtro Gaudentio, qui Tract. V. in Exod. pag. 259. Baculum Apoſtolicis viris ideſt Epiſcopis ad ſubditorum correptionem tributum eſſe affirmat.

ſtar litui recurvum, qua leniter inflectitur parte corneum, & exilius, inque ſerpentini capitis ſpeciem deſinit; prope corneum curvamen gemina e ligno exurgunt genicula, quorum ſuperiori oblongum, & ſubnigrum appenſum eſt velum: ibi diſſiliens lignum argentea faſcia recens colligatum eſt. Galeardus pag. XIX. Præfationis in S. Philaſtrium affirmat Philaſtriani baculi ſchema eamdem figuram referre, quam ex Caſinenſi Codice delineavit Montfauconius Diarii Italici pag. 323. At Montfauconianam effigiem cum noſtra icuncula, quam calcographi opera effictam ſubjicimus, conferenti, haud modicum eſſe inter utramque diſcrimen, ſtatim patebit.



Septimum fuiſſe hujus Eccleſiæ Epiſcopum, dempto Anathalone, dubitare amplius non ſinunt, & probatiſſima Ramperti auctoritas (23), de qua actum eſt in Præfatione, & inſcriptio ejuſdem Sermonis, quem primus edidit Aloyſius Lyppomanus Epiſcopus doctiſſimus in Vitis Sanctorum Tomo IV. e codice pervetuſto Brixianæ Eccleſiæ; & reipſa ſi addantur Philaſtrio ejus Succeſſores, Gaudentius, qui VIII. eſt, ac poſtmodum XXXVIII. ſequentes a Ramperto commemorati, & etiam Berticanus propter ſchiſmatis labem, qua laborabat, a Ramperto, & a noſtro etiam Catalogo, uti alias monuimus, prætermiſſus, Rampertus ipſe efficitur quadrageſimus Epiſcopus. Ex quibus omnibus labefactatur, & prorſus convellitur eorum opinio, qui Philaſtrium X. Brixiæ

(23) *Etenim hic Septimus Epiſcopus Brix. Eccleſiam tunc prædicando congregans ſanctum dogma cuſtodivit.* Rampertus Serm. de Tranſlatione S. Philaſtrii pag. 391.

xiæ Epiſcopum numerant. Utrum vero inter martyres rite fuerit a Mezato (24) relatus in medio cum eodem Galeardo relinquimus, illud adnotaſſe contenti nuſquam Martyrem, ſed conſtanter Confeſſorem eum appellari in hujus Eccleſiæ monumentis, quæ ſuis quæque locis in lucem emiſſuri ſumus.

Sacrum ejus Corpus ſignatum hac Epigraphe: *Philaſtrius beatiſſimæ memoriæ hic requieſcit in pace*: in S. Andreæ Baſilica ſub menſa majoris Altaris uſque ad annum 838. jacuit, ex qua translatum fuit quinto Idus Aprilis ejuſdem anni in Cathedralem Eccleſiam hyemalem (25), quondam nuncupatam S. Mariæ Majoris, ea populi, & miraculorum frequentia, quam, in Sermone habito eodem Translationis die, Rampertus narrat. Diem obitus fuiſſe ſtatim, ut erant ea tempora, Brixianis admodum ſacram, teſtes damus Gaudentium, & Rampertum, quorum primus, quatuordecim jam per annos, ſolemnitatis hujus cultum ſe renovaſſe affirmat, in ſæpe laudato *de vita, & obitu Philaſtrii* Sermone: alter vero poſteritati conſignavit, Epiſcopos Philaſtrii ſucceſſores, diem tranſitus ejus venerantes honoraſſe, atque ab omni terreno opere Brixianum Populum abſtinere, juſſiſſe; imo in vetuſtiſſimo Martyrologio hujus Eccleſiæ, commemorato in quodam Codice mſ. Seculi XI., aſſervato in Chartulario Illuſtriſſimi Capituli Cathedralis ita eſt: *XV. KAL. Aug. Brixiæ Aſſumptio Beatiſſimi PP. Philaſtrii. Jacet ad S. Andream* (26). Quæ poſtrema verba luculento ſunt argumento, in ſacros hujus Eccleſiæ Codices, relatum fuiſſe S. Philaſtrii nomen, ante annum DCCCXXXVIII., quo recenſita contigit translatio. Accedit auctoritas, & Martyrologii Adonis anno circiter 858. ſcripti, ubi ſub die xv. Auguſti ita eſt: *In Brixia Civitate depo-*

(24) In notis ad Gavant. Tom. III pag. 119.

(25) Eccleſiæ cum hyemalis, tum æſtivæ, frequens occurrit, in Eccleſiæ Mediolanenſis Antiquitatibus medii Ævi, mentio, quæ prætereunda non erat in novis Additionibus ad Latinum Cangii Gloſſarium. Galeardus in notis ad S. Gaudentium pag. 389. protulit aliquot exempla, quibus haud pauca, ſi ratio operis exigeret, addere poſſemus. De Brixiana duplici hac Eccleſia plura eo loci ſe daturum promiſerat idem Auctor in Adnotationibus ad Martyrologium Brixian. Nos in citatis illius Schedis nihil ad id attinens oſfendimus, neque cætera Brixiana monumenta, præter citatum Rampertianum, quidpiam ſuppeditarunt. Loci qualitas tepori apta docere poteſt Eccleſiam hyemalem eam fuiſſe, quæ modo *Rotonda* appellatur, eam vero S. Petri majoris, cujus in iiſdem Monumentis frequens eſt mentio, æſtivam appellatam fuiſſe arbitramur. Unde conſequitur, duplicem & apud nos Cathedralem ſimul extitiſſe, quemadmodum & apud aliquas Italiæ Urbes, ut medii Ævi monumentis innoteſcit.

(26) Apud Galeard. in Collect. Veter. PP. Brixianæ Eccleſ. pag. 388.

depoſicio Filiaſtro ipſius Civitatis Epiſcopi, & Litaniarum in citato XI. Seculi codice ad hujus Eccleſiæ uſum, in quibus Philaſtri nomen invocatur.

Illius cultus adhuc perſeverat, titulus vero *Patroni*, de quo plura Cap. II. Diſſertationis Procemialis, cum jampridem obſoleverit, ut reſtituatur, vehementer optamus, atque in curſu divino, ut Lectiones iterum conficiantur, genuina illius geſta narrantes. Copioſam enim, & certam ſuppeditant materiem Sermones Gaudentii, & Ramperti (27), nec non Rhythmus, ſin minus a Gaudentio, ab auctore ſaltem ante IX. Seculum vigente compoſitus, inſatuſque a Galeardo in ſuam Veterum Brix. Eccl. PP. Collectionem pag. 377. Illud inſuper optamus, ut quas olim die Philaſtrio ſacra in Miſſæ ſacrificio Brixiana Eccleſia recitabat Orationes, & Collectæ, remotis communibus, reſtituantur, utpote puritati, ſimplicitatique primævæ quam maxime accedentes. Eas hic editas volumus deſcriptas ex ſæpecitato Liturgico Libro mſ.

In feſto Scī Filaſtrii ēpi

„ Deus Mundi auctor et conditor. qui hodiernę feſtivi-
„ tatis diem beati filaſtrii confeſſoris tui atq; pontificis mi-
„ gratione conſecraſti. prā (pręſta) nobis queſumus, ut cu-
„ ius annua celebritate devotis exultamus obſequiis eius ſuf-
„ fragiis tuę pietatis conſequamur auxilium. P.

Sēc.

„ Interventu precum et obtentu orationum beati filaſtrii
„ confeſſoris tui atq; pontificis dñe queſumus his muneribus
„ oblatis benedictionem effunde cęleſtem. quibus eiuſdem
„ annuam celebramus com̄emorationem. preſta ut omnibus
„ careamus culpis. et celeſtibus inſeramur gaudiis. P.

ad Cō.

„ Æternę queſumus omnipotens deus. ut qui beati fila-
„ ſtrii * tui nominis confeſſorem eccleſie tuę doctorem dediſti,
„ preſta queſumus ut quod ille divino afflatu docuit. noſtris
„ iugiter ſtabiliatur in cordibus et quem patronum te do-
„ nante amplectimur. eum apud tuam miſericordiam defen-
„ ſorem habeamus. P.

Poſt-

(27) Ex hoc Ramperti Sermone deſumptum mihi videtur Elogium, quod Philaſtrio contexuit Auctor Martyrologii Adoniani die 15. Cal. Auguſti, quo de Martyrologio fuſe a nobis diſputatum eſt Cap. V. Diſſert. Proœm.

* Ita in mſ. ſed legendum: beatum filaſtrium.

Poſtquam vero ſexcentos & amplius annos loco mox commemorato quieviſſet, anno MCCCCLVI. publico conſilio quæſitum, & inventum decentius inibi reconditum fuit; deinceps anno MDLXXII. ab ea Eccleſia ſubterranea translatum eſt in ſuperiorem Eccleſiam ad aram Sanctiſſimæ Trinitatis poſita hac inſcriptione:

D. Philaſtrii Corpus Brixiæ Epiſcopi
Huc ex alio hujus Templi loco anno Ejus
Inſtaurationis translatum ſedente D.
Dominico Bollano Ejuſdem Civitatis
Epiſcopo M.D.LXXII.

Utramque Translationem recenſet Florentinius in Indice chronologico Epiſcoporum, ubi agit de Philaſtrio. Nova demum Cathedrali inædificata, una cum S. Apollonio in ſacellum eorum nomini dicatum anno MDCLXXIV. translatum, cujus translationis memoria agitur die 3. Junii. Præter Cathedralem, S. Juliæ (28), & S. Mariæ Magdalenæ (29) Moniales cuſtodiunt lipſanorum fruſtula.

Non ſolum doctiſſimæ prædicationis, caſtiſſimorumque morum teſtimoniis pleraſque illuſtravit Urbes, ſed etiam univerſo profuit Chriſtiano Orbi edito poſt annum 380. libello, quo opiniones quamplurimas, quas Hæreſes vocat, partim a recta fide, partim a communi (ut ipſi videbatur) receptoque loquendi more abhorrentes nitide refert, & ſtrictim preſſeque impugnat. Hujus libri utilitatem, atque uſum ſatis, ſuperque commendant, & S. Auguſtinus, qui ex eodem non pauca tranſtulit loca in ſuum de Hæreſibus Tractatum (30), & S. Gregorius Magnus, qui ex eo Philaſtrii libello hæreſim refert de Damnatorum ſalute (31), & ple-

(28) Ex Catal. mſ. Reliquiarum ejus Eccleſiæ.

(29) Spectabat olim ad PP. Humiliatos, qui degebant in eo S. Mariæ Magdalenæ Cœnobio, ubi degunt Moniales Ordinis S. Auguſtini. Sacra hæe lipſana, una eum quamplurimis aliis, recognita fuere atque approbata a S. Carolo Borromæo in ſacra Viſitatione peracta anno 1582. & poſtea confirmavit die 19. Januarii anno 1639. noſter Epiſcopus Vincentius Juſtinianus. Ex libro mſ. aſſervato ab ejuſdem Monaſterii Monialibus, cui titulus: *Iſtoria del Monaſtero di S. Urbano, trasferito poi alla Chieſa della Maddalena* pag. 147. quam manuſcriptam Hiſtoriam conſecit ſæpe in hoc Opere laudatus D. Carolus Dnneda.

(30) *Nunc ergo addo quas Philaſter poſuit, nec poſuit Epiphanius*: verba ſunt S. Auguſtini de Hæreſibus c. LVII. Tom. VIII. pag. 20.

(31) Epiſtola ad Georgium Presbyterum, & Theodorum Diaconum Tom. 2. pag. 862.

pleræque non solum a nostris, sed etiam a Protestantibus procuratæ editiones, quas inter, sive spectes manuscriptorum collationem, unde & loca pleraque restituta, suppleta & castigata sunt, & sex integra Capita, quorum accessione Philastrius antea mutilus, perfectus atque integer exhibetur: sive Præfationes consideres, ac notas, exquisita plane diligentia, & eruditione elucubratas: sive tandem inspicias typorum, æneaurumque iconum nitorem, papyrique magnificentiam, principem obtinet locum ea, quam Brixiæ anno MDCCXXXVIII. duce & auspice Eminentissimo atque Doctissimo Angelo Maria Cardinali Quirino. Episcopo nostro, publici juris fecit, una cum trium aliorum hujus Brixianæ Ecclesiæ Ven. Episcoporum Operibus, Cl. Canonicus Galeardus.

Præter hunc de Hæresibus librum, & alii sunt Philastrio tributi, nempe a Papebrochio Tom. II. Junii pag. 460., cui adhærere videntur Natalis Alex. Hist. Eccles. Sec. I. pag. 23., & Fabricius in Præf. ad suam Philastrii editionem, vetus latina interpretatio Epistolæ S. Barnabæ: & a nonnullis aliis Acta SS. Faustini, & Jovitæ, nec non S. Aphræ V. & Mart. Brixiæ; verum isthæc omnia Philastrio abjudicanda esse merito ac optimo jure ostensum est a Galeardo n. XIII. laud. Præf. *Siquis porro* (verba sunt Galeard. loc. cit.) *Philastrio adscriberet Symbolum, quod vulgo dicitur Athanasii . . . . non ille forsitan omnino improbabili duceretur conjectura, occurrunt enim sæpius in Philastrio illius Symboli sententiæ non solum, sed etiam verba ipsa*. Adducit hic speciminis loco exempla, & postea subdit: *quare non alienum videtur, ut aut Philastrius illius Symboli auctor sit, aut Symboli auctorem, quicumque fuerit, a Philastrio non solum dogmata, sed verba etiam ipsa aliquando mutua accepisse*.

Sed vereor ut ista Galeardi verba, de Philastrio Symboli auctore, cum iis constent, quæ eodem in volumine num. XIX. Præf. ad S. Gaudentium idem auctor scripta reliquit; ut enim probet S. Gaudentio Symbolum illud tribui non posse, utitur hoc argumento: nimirum convenire inter Scriptores opus illud sub finem V. Seculi fuisse concinnatum; ergo conjectura, omnino in ejus sententia improbabili, S. Philastrio, vita procul dubio functo ante S. Gaudentium, & sub

D finem

finem IV. Seculi, tribueretur. Porro cum rationes a Merato adductæ in notis ad Gavant. Sec. V. Cap. XX. Breviarii Rom. in eorum, & quidem probatiſſimorum Scriptorum, ſententiam me adduxerint, qui S. Athanaſium faciunt illius Symboli auctorem, convenientia illa verborum ſententiarumque ex eo dici poteſt orta, quod ad Philaſtrii manus, Romanum Imperium, in quo diſſeminatum jam erat illud Symbolum, peragrantis, pervenerit, atque ex eo, ut Trinitatis Fidem, quam ipſe ubique Terrarum prædicare ſatagebat, clariſſime complectente, ea, quæ in Opere de hæreſibus occurrunt, ſit mutuatus.



IX.

I X.

GAUDENTIUS EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI CCCLXXXVII.

AD S. JOANNEM DE FORIS.

EOs inter uberrimos fructus, quos Brixianæ Ecclesiæ S. Philastrius attulit, commemorandus inprimis est, ejus in castitate morum, in doctrinæ puritate, in Episcopali sede proximus Successor, S. Gaudentius, qui, æque ac Philastrius, ingenti Episcoporum numero, quos ætas illa tulerat, doctrina, & moribus præstantium, adjungendus est, atque illis comparandus Provincialibus Episcopis, quorum egregiam vitæ rationem Ammianus Marcellinus descripsit (1). Hunc Philastrius exemplo adhuc juvenem foverat, doctrinaque imbuerat, sacræque militiæ verisimiliter adscripserat; iccirco *minimam* Philastrii laborum *partem* se vocat, in sæpe laudato de Philastrii vita Serm. Cujas is esset, incertum; domicilium tamen hac in Urbe habuisse, videtur non dubitandum; tum quia eamdem vocat: *Urbem nostram*, ita in Præf. ad Benivolum: *sicut honoratorum nostræ Urbis*, *ita etiam Dominicæ plebis*, *Domino annuente*, *dignissimum caput est*; tum quia enumeratis Philastrii, quibus Christianam excoluerat Ecclesiam, laboribus, se quoque appellat: *partem ejus operis minimam*; tum denique quia, longa cum illo consuetudine, Brixianis cognitæ probabiliter fuere atque perspectæ singulares dotes, quibus promeruit, ut adeo vehementissime ab iis ad Episcopatum expeteretur.

Peragrabat ipse Religionis caussa Orientem, quando Philastrii mors incidit. Mœstis de præclarissimi Episcopi obitu Clero, & Populo, ac valde de alterius subrogatione solicitis (2),

 cum

(1) *Ad imitationem Antistitum quorumdam Provincialium viverent, quos tenuitas edendi, potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuo Numini, verisque ejus cultoribus, & puros commendant, & verecundos.* Am. Marcell. Rerum gestarum lib. 27. pag. 338.

(2) Antiquitus ex ipsis vel Presbyteris, vel Diaconis propriæ Ecclesiæ debebat eligi Episcopus, cui præficiendus erat, ut facilius in eadem resideret. Vid. Thomassin. de vet. & nova Discipl. par. II. lib. I. cap. 86. num.

cum nemo fortaſſe ex Brixiano Clero haberetur dignior, qui Philaſtrio ſufficeretur, eorum oculis abſens obverſatur Gaudentius. Quocirca, votis invicem collatis, Epiſcoporum viciniorum accedente ſuffragio, & inprimis Ambroſii Præſulis Mediolanenſis & Metropolitæ (3), jurejurando ſtatuerunt, nullum alium ſe accepturos Epiſcopum præter Gaudentium. Onus ergo illud ſtatim per legationem, & epiſtolas ei offerunt; at cum Brixiæ degens, eximiæ animi moderationis præclara præſetuliſſet exempla, rati ſunt Brixiani, fore ut ipſe obluctaretur. Quamobrem occurrere cuicumque impedimento volentes, Epiſcopis Orientalibus ſupplices dederunt libellos, ut Gaudentio reluctanti communionem denegarent (4). Neque conceptus timor eos feſellit, nam primo ſtrenue renuit, eccleſiaſticis deinceps minis perculſus, Epiſcoporum tandem voluntati obtemperavit, ac opportuno tempore, Brixiam venit, ubi effuſa omnium ætatum, atque Ordinum, gratulantis Urbis, multitudine, ut credere par eſt, exceptus, in hujus Urbis Epiſcopum, florenti adhuc ætate, a S. Ambroſio conſecratur (5). In ornanda ac provehenda Provincia ſolicite ſtatim incumbit. Primum doctrina atque exemplis Cives inſtruere, atque Paganorum, aliorumque pravorum hominum reliquias, Anteceſſoris veſtigia premens, funditus extirpare, & fidem rectam & caſtos mores inſerere inſtat.

Feliciter ei ceſſiſſe labores dubitari nequit nemo enim avertere oculos poterat a ſanctiſſimis novi Epiſcopi exemplis,

nemo

num. 15. Aliquando tamen eſtraneus eligi poterat, uti diximus de Philaſtrio. Is etiam fuit uſus, ut penes populum, & Clerum Urbis, non autem Parochialium ruris eſſet Epiſcopi electio, quæ annuntiabatur populo de eo ſuggeſtu, in quo Evangelium cantabatur, teſte Thierſio in Gallica Diſſert. de Pulpitis cap. 15. pag. 95.

(3) De Epiſcopo a Clero, & Populo expetito, & eligendo viciniores Epiſcopi judicium ferre debebant. Conſtitutis autem Metropolitis, præcipua eorum fuit cura, ut citra eorum conſenſum non fieret electio, citrave præſentiam conſecratio. Vid. Thomaſſin. loc. cit. lib. 2. cap. 13. Ambroſium vero primum fuiſſe ex Mediolanenſibus Præſulibus Metropolitam obſervavimus in Præf.

(4) Communionis nomine ſignificabatur olim non ſolum ſacræ Euchariſtiæ perceptio, ſed etiam participatio in menſa, atque aliis bonis. Multiplex erat v. gr. Eccleſiaſtica, laica, peregrina; probabile eſt Gaudentio peregrinæ privationem denuntiatam fuiſſe, de qua variæ ſunt Eruditorum ſententiæ apud Bonam Rer. Liturg. lib II. Cap. 19. n. 5. Ego puto Orientis Epiſcopos interdixiſſe Gaudentio ſacræ Synaxis uſum, atque mutuum cum illis commercium, una cum excommunicationis pœna.

(5) Vid. cap. 3. Diſſer. Procemialis, ubi oſtendimus ab Ambroſio, utpote Metropolita, Gaudentium fuiſſe conſecratum Epiſcopum. Hoc præſtitum fuiſſe ſtatim ac Brixiam pervenit Gaudentius, licet conjicere ex illius temporis uſu, quo Epiſcopatus diu vacans non permittebatur, quod poſtea Generale Chalcedonen. Concilium, celebratum anno 451. decrevit can. 25., ſcilicet intra tres Menſes *ordinationes Epiſcoporum debere celebrari*.

nemo eloquentiæ vi, atque argumentorum copiæ resistere. Unde factum, ut ipso etiam invito atque repugnante, sermones illius a Notariis exciperentur (quæ tunc temporis laus summa erat), qui deinde in omnes regiones disseminati, eam auctori suo pepererunt laudem, ut illius ævi Doctorum decus a sapientissimis viris appellaretur; quocirca illis omnino comparandi, qui habiti sunt per illos Præsules, quos nihil antiquius habuisse constat inquisitione earum rerum, quæ sunt Jesu Christi.

Præter has sanctimoniæ, doctrinæ, eloquentiæque dotes; exquisita rerum gerendarum fulgebat in eo dexteritas, quod præcipue fuit in caussa, cur salebrosa ei imposita fuerit legatio. Rem paucis expono. S. Joannes Chrysostomus ad Constantinopolitanam sedem evectus, suum esse meritò reputans, commissum gregem a maculis emundare, invehere cœpit in corruptos, Clericorum maxime, Virorumque principum; mores, unde multorum in se (quæ est pravorum hominum perfidia) concitavit odia. In his emicuit Imperatoris uxor, Eudoxia, cujus opera, sede expulsus, in exiliumque amandatus fuit, sententiam ferente Imperatore Arcadio. Hac de re a bonis viris vehementissimæ in Oriente excitatæ turbæ, quæ florentissimam Orientis Ecclesiam magnum in discrimen adduxerunt. Istis ad Summum Pontificem Innocentium I. delatis opem ferre S. P. cogitavit; quamobrem congregatis Italiæ Episcopis anno CCCCV. in id ventum est consilii, ut ad Orientis Imperatorem splendidissima legatio mitteretur: delecti tres viri omnino sanctissimi Emilius, Cythegius, & Gaudentius noster, quem fortasse dignitate præcipuum indicare videntur ejusdem Chrysostomi infra citandæ epistolæ, quas inter, tribus Episcopis communiter datas, uni nominatim Gaudentio propriam inscripsit. Hic igitur una cum sociis conscensa navi versus Græciam vela dedit, cumque ineunte vere anni CCCCVI. prope Athenarum littora pervenisset, omnes detinentur a Tribuno militum, qui Centurionem illis adjunxit jussum impedire, ne Thessalonicam, quò se conferre volebant, ut primum Anysio Episcopo darent litteras, appellerent, & conjectos in duo navigia dimisit. Ingruente postea Austro vehementi tribus diebus Ægæum mare, & freta sine cibo trajecerunt, circa duodecimam tertii diei horam

 appu-

appulerunt ante Urbem Regiam, ubi retenti ab exactoribus portuum, retro discesserunt, cujus autem jussu ignorarunt, & conclusi fuerunt maritimo Thraciæ castello, Athyra dicto, in una domuncula, ibique ita vexati, ut nec famulus quidem præsto esset, qui ministraret; tunc ii, a quibus tam dire vexabantur, petierunt Imperatoris, & Episcoporum litteras, at Gaudentius cum aliis Legatis respondit, *quì fieri potest, ut qui Legati sumus, litteras Imperatoris, & Episcoporum ipsi Imperatori non reddamus?* Cum vero persisterent isti negantes, venit primo Patritius Notarius, tum alii idipsum petentes, demum Valerianus Cappadox ex numero militum, & rupto Mariani Episcopi pollice, signatam Imperatoris epistolam cum reliquis abstulit. Postridie autem vel Imperatoris Aulici, vel Atticus, qui Constantinopolitanam Sedem, depulso Joanne, occupabat, miserunt eis, qui tria millia numismatum offerrent, orantes ut Attico communicarent, & de Joannis judicio tacerent, quibus non assentientes Pontificii Legati oraverunt (cum nihil pacifice perageretur, diraque pati cogerentur) ut ad suas remeare Ecclesias sine periculo permitterentur. Valerianus itaque Tribunus illos in putridam navem conjecit mercede, ut rumor erat, nauclero data, ut perderet Episcopos navigantes cum viginti militibus variorum officiorum, sic illos statim nauclerus Athyris expulit, tanto autem in periculo jamjam perituri Lampsacum, & inde mutata navi vicesimo die Hydruntem applicuere, alia deinde navi, quatuor mensibus elapsis, Romam pervenere, ubi Innocentio Papæ, quæ ipsis eo in itinere mala acciderant, renuntiarunt (6).

Etsi vero infelicem exitum legatio habuerit, nihilotamen-secius, quantum ex ea ad Gaudentii laudem accedat, clare constat ex præclaris laudum titulis, quibus Chrysostomus ipse eos Episcopos exornat, qui ex Occidente venerant, in quibus præclarissimum eorum *zelum, animique pro veritatis defensione alacritatem, studium, & promptitudinem, quam ad Ecclesiarum detrimenta sarcienda præstiterant, firmam etiam ac sinceram benevolentiam, fortitudinem animi, constantiam, ac tolerantiam, diligentiæ magnitudinem, vigilantiam, curam, ac solicitudinem* prædicat.

Sed

(6) Isthæc ex Palladio in S. Jo: Chrysost. vita. Cap. IV. p. 13. T. XIII. Opp. Chrys.

Sed hisce laudibus, quibus tres Episcopos ad cælum extulerat haud contentus singulare præconium de Gaudentio litteris consignare voluit Chrysostomus in Epistola ad eum data, quæ sic se habet (7): *nihil nos latet rerum tuarum, sed tamquam præsentes probe novimus studium tuum, vigilantiam, curas, labores, quos pro veritate suscepisti, tibique ingentes gratias agimus, neque mediocrem in tanta degentes solitudine consolationem haurimus ex tua charitatis ardore, ac sinceritate, cujus dum hic periculum fecimus, istic quoque integram illam vigere cognovimus, nec ullo modo, aut temporis diuturnitate, aut itineris longitudine debilitatam fuisse. Quo nomine multam tibi gratiam habemus, teque hortamur, ut in instituto pergas, & idem semper studium præ te feras. Non enim ignoras quot Ecclesiarum salus nunc agatur, & quam eximium futurum sit hoc opus. Hæc igitur cogitans Domine mi Reverendissime, ac Religiosissime in eodem studio perseverare dignare, sic enim fiet, ut exiguis laboribus exantlatis, immortalia vobis pro his præclaris certaminibus in Cælo præmia recondatis.*

Quamquam sedis titulus, cui Gaudentius iste fuerat addictus hic desideretur, nihilotamenminus hunc, Gaudentium Nostrum fuisse, in dubium, quem ego sciam, vocavit nemo; quod illo hujus nominis (8) ea tempestate non celebrior alter, neque aptior ad legationem hanc suscipiendam, proptereaquod magnum sibi, in Oriente versanti, pietatis religionisque nomen peperisse dicendus sit apud Orientales Episcopos, qui eidem nonnisi terrore excommunicationis injecto, quemadmodum observatum fuit sub initium, suadere potuerunt, ut ad Episcopatum veniret. Cui rationi a Galeardo pariter adductæ in Præf. Gaudentii num. XII., & alia addi posset, ex aliqua consuetudine petita, quam, dum per Orientem peregrinabatur, inierat probabiliter Gaudentius cum Chrysostomo, Constantinopolitana insula nondum insignito. Hanc rationem mihi videor in iis Chrysostomi verbis expressam videre: *in tanta degentes solitudine consolationem haurimus ex tua charitatis ardore, ac sinceritate, cujus dum hic periculum fecimus, istic quoque integram illam vigere cognovimus, nec ullo modo aut temporis diuturnitate, aut itineris longitudine debilita-*

(7) Tom. III. pag. 703.

(8) Plures quidem fuere eo circiter tempore Gaudentii, Episcopatus munere pares, uti Arimensis, Novariensis, in Italia: Tamugadensis in Africa, sed nullus Brixiano celebrior.

tam fuisse. Ex quibus nemo non videt, Chrysostomum longe ante istam legationem aliquod in Oriente de Gaudentii charitate atque sinceritate specimen habuisse. Porro alium Gaudentium præter nostrum in Oriente, Chrysostomi tempore, versatum fuisse, mihi ex nullis, quæ legi, monumentis Ecclesiasticis compertum sit. Quamobrem Justus Fontaninus hæc fortasse Chrysostomi verba animo reputans, de nostro loquens Gaudentio, Orientalium Præsulum minis Episcopali oneri humeros supponente, asserere non metuit (9): *ibidem Joanni Chrysostomo nondum Episcopo stricta necessitudine adhæsit, proque eo postmodum Episcopatu dejecto Legatus Ecclesiæ Romanæ Constantinopolim missus est*.

Quibus positis mirari satis non possumus, tanto viro, inter ætatis suæ illustriores, locum non dedisse Lib. VI. par. I. Ration. Tempor. doctissimum Petavium, cui ex libris jam editis comperta esse poterant præclarum Gaudentii nomen, eximiæque, quibus claruit, Christianumque Orbem universum in sui admirationem prædicationemque converterat, dotes. Has inter ultima haud est reputanda græcæ linguæ peritia, qua potissimum Ruffinus Aquilejensis motum se dicit ad Recognitionum Clementis libros, a se latine conversos, illi inscribendos. *Æquum est sane, tibi* (inquit ipse in Operis nuncupatione) *qui hæc etiam græce legeris, ne forte in aliquibus minus a nobis servatum translationis ordinem putes, interpretationis nostræ indicare consilium*. De Gaudentio autem nostro hæc esse intelligenda Fontaninus affirmat (10), quod B. Gaudentium S. Philastrii discipulum, & in Cathedra successorem Ruffinus pridem in Oriente noverat: quod si esset verum, probabilem afferret rationem, cur id honoris Gaudentio Ruffinus detulerit; at cum Fontaninus nullum produxerit monumentum, nullumque ad eam rationem comprobandam in promptu nos habeamus, aliæ afferendæ sunt rationes, quæ hujusmodi esse possunt.

Primò quia noster Gaudentius ille idem fuit Doctor, & Tractator insignis, quem hoc elogio Ruffinus ad sydera extollit: *Tibi quidem Gaudenti* (verba sunt Ruffini in cit. Præf.) *nostro-*

(9) In Histor. Litteraria Aquilejen. Lib. V. Cap 10. pag. 327. Hinc factum arbitror, ut in editionibus Operum Chrysostomi, quas ego vidi Frontonis Ducæi, & Montefalconii sic se habeat Chry. Epistolæ titulus: *Gaudentio Episcopo Brixiano*.

(10) Loc. cit. pag. 228.

nostrorum decus insigne Doctorum, tantus ingenii vigor, imo tanta spiritus gratia est, ut siquid a Te etiam cotidiani eloquii more dicitur, siquid in Ecclesia declaratur, id in Libris haberi, & ad instructionem tradi posteris debeat. Porro tantum elogium uni Gaudentio Brixiano aptari potest; is enim fuit consentientibus omnibus Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus *Doctor insignis*, cujus sermones, Tractatus olim nuncupati, a Notariis excipiebantur, avideque legebantur, ut infra ostendemus.

Secundò: Eas Clementis Recognitiones cum Ruffinus cuidam Silviæ spopondisset, easdem, Silvia defuncta, a Gaudentio hæreditario sibi jure postulari confitetur Ruffinus hisce verbis (11): *Post hoc sane vocat nos opus, quod olim quidem injunctum est* (a Silvia), *sed nunc* (post Silviæ mortem) *a B. Gaudentio Episcopo vehementius perurgetur, Clementis scilicet Romani Episcopi, Apostolorum comitis, quorum ut Successoribus darem cognitionem, libri a nobis in latinum vertuntur*.

Sane Gaudentius noster eam Translationem Silviæ promissam hæreditario sibi jure poscebat. Eam enim seculo jam labente in Italiam ex Oriente redeuntem Brixiæ demortuam fuisse, peritiores Ecclesiasticarum rerum Scriptores consentiunt. Reipsa die xv. Decemb. S. Silviæ memoria (12) Brixiæ recolitur, in Ecclesia S. Joannis, *de foris* (13) appellata, sacrumque Corpus in eodem loco, eademque Ara, ubi & S. Gaudentius tumulari voluit, veneratur, quod ostendit, fuisse hanc Silviam Gaudentio nostro charitate, fortasse etiam sanguine, conjunctam. Hæc autem fusius, quam alias oportuisset, prosequutus sum, ut hinc pateat, Eriberto Rosvveydo in notis ad Epist. XLVI. S. Paulini Nolani (14), & Jacobo Cottelerio in notis ad Præfationem Ruffini (15), æquam non fuisse rationem suspicandi, Brixianus ne, an Novariensis esset Episcopus Gaudentius hic, consilioque præpostero Jacobum Fabrum Stapulensem, Clementinarum Recognitionum editorem eumdem vocasse, teste Fontanino loc. cit., *gloriosum Christi Martyrem, & Ariminensem Episcopum*. Neque moramur eorum scrupulos, quibus fictitia visa fuit laudata Ruffini Præfatio, satis enim superque confutati sunt illi a Fon-

(11) Sub finem Perorationis Commentariorum Origenis in Pauli Epist. ad Rom.

(12) Martyrol. Brix. die xv. Decemb., & ex eo Bolland. die xxvii. Apr. T. III. p. 495.

(13) De hac appellatione infra differemus.

(14) Pag. 922.

(15) Tom. I. pag. 491. Patrum Apostolicorum,

Fontanino pag. 327. laudati Operis; præterquamquod certum cum sit Gaudentio dumtaxat nostro illam quadrare posse, de ejusdem auctore parum soliciti sumus.

Cum igitur morum perinde sanctitate, ac ingenii acumine, eloquentiæ vi, sacrarumque litterarum peritia quammaxime valeret Gaudentius, factum est, ut decus insigne Doctorum sui ævi, teste laudato Ruffino (16) ab omnibus celebraretur, ut ejus Sermones (quæ celebriorum eo tempore laus erat Oratorum) a Notariis clam appositis exciperentur, utque a præclaris viris legi desiderarentur; sed ita ægre tanta ei laus cessit, ut aliquando quæ tali pacto descripta erant, sua esse diffiteretur (17). Cum vero inter alios ejus Sermonum collaudatores admiratoresque præcipuus esset Benivolus, Gaudentio inprimis charus, ejus maxime rogatu se motum confitetur Gaudentius (18) ad eosdem retractandos, atque in publicum emittendos. Mos enim erat, ut qui a Notariis excepti erant Sermones, a suismet postea auctoribus diligentiori cura expolirentur, & sic emendati aliis exscribendi communicarentur. Benivolo igitur quatuor breviores Tractatus de diversis Capitibus Evangelii, & quintum de Macabæis, quos apud eum privatæ instructionis caussa probabiliter olim recitaverat, & decem Sermones Paschali tempore, pro concione, ad Populum habitos, eleganti munitos præfatione Gaudentius misit. Est autem hæc potior, ac major Gaudentianorum Sermonum pars, quæ Benivoli studio ac industria ad nos pervenit. Præter illos, Patrum nostrorum memoria, & isti sunt ab oblivione vindicati, posteritatique traditi: *Sermo inscriptus de Ordinatione sua*, quem prima ipsius Ordinationis die habuit, atque a Notariis exceptus, præsente Ambrosio Mediolanensi Præsule: *Sermo die Dedicationis Basilicæ Concilii Sanctorum habitus*, de qua Basilica multis supra disseruimus: *Responsio ad Serminium de Villico iniquitatis*: *Responsio ad Paulum Diaconum*, ejusdem Gaudentii Fratrem, de eo, quod Dominus Jesus dixit Apostolis, quia *Pater major me est*: *Sermo de vita, & obitu B. Philastrii Episc. Prædecessoris sui*, qui Sermo maximo nobis usui fuit in texendo Philastrii Commentario; Philastrius enim cum

(16) In Præf. Translationis Recognit. Clementis.

(17) In Præf. ad Benivolum.

(18) Loc. cit.

cum a cæteris Scriptoribus, tum eximie a Gaudentio collaudatus est, eo quippe usus est familiarissime. Addi potest carmen Sapphicum, quod sin minus Gaudentii fœtus est, certe fere eadem metro continet, quæ soluta oratione in serm. *de vita*, *& obitu Philastrii* dixerat Gaudentius, unde Gaudentium auctorem olim præsetulit.

Atque hæc sunt genuina hujus nostri Pontificis scripta, de quibus ferme nulla potest esse controversia; merito autem fuere sæpius recusa, nam & Christianæ pietatis præclaram imaginem exhibent, & difficilium divini eloquii quamplurium locorum concinnas eruditasque interpretationes proponunt, & multorum veterum hæreticorum dogmata evertunt, recentiorumque Protestantium ad debellandos conatus adversus Sanctorum invocationem, reliquiarum cultum, multosque alios veræ fidei cum articulos, tum consuetudines, luculentissima arma suppeditant. Tandem ut scite animadversum est a Tillemontio (19) Gaudentii stylus licet simplex videatur, elegans tamen est, suavis, & dulcis, doctrinamque continet excellentem, profundarumque rerum atque instructionum refertam. Quamobrem oleum & operam nobis visus est perdidisse criticus Dupinius, cum nisus est persuadere, siquis forte tradere se velit horum Sermonum lectioni, oleum eum & operam amissurum (20).

Fateor equidem præclaras eas laudes in aliis, quæ Gaudentii nomine circumferuntur, Operibus desiderari; at hoc ipso titulo, inter supposititia merito amandanda esse, dicimus; & sunt: *Narratio* quædam relata ab Octavio Rubeo in vita SS. Faustini, & Jovitæ pag. 40., Liber de *singularitate Clericorum* modò Origeni, modò Cypriano, modo Augustino, modò etiam Gaudentio tributus: Commentarius in *Symbolum Athanasianum*, cujus licet nihil, quod sciamus, extet, Gaudentium tamen auctorem faciunt Capreolus Lib. III. Histor. Brix., & ex eo Ughellus; at falsa persuasione deceptos fuisse, manifeste liquere ait Galeardus *cum Symbolum illud, quod circa finem V. Seculi a Vigilio Tapsensi, aut alio quopiam Scriptore, conditum esse constat inter Eruditos, minime Gaudentio innotuisse potuerit, qui IV. Seculo vixit, aut vix*

(19) Tom. X. Hist. Eccles. pag. 586. (20) Biblioth. Eccl. Secul. V. Part. I.

vix demum initia V. Seculi vidit (21). Quam tamen Galeardi observationem nobis displicet ab ejus calamo excidisse; namque cum iis, quæ pag. XXI. Præf. ad Philastrium ipse scripserat, mirifice pugnare, eodem loci observavimus; ibi enim Athanasianum Symbolum Philastrio adjudicari posse dicit, quantumvis hunc Episcopum Seculum V. non attigisse luculenter ostenderit. Sed eximia laus Galeardo tribuenda est, quod universa S. Gaudentii Opera nitidissimo volumine collecta, uti in Præfatione adnotavimus, nobis fruenda exhibuit.

Verum antequam ex hoc loco digrediamur abs re non erit, paucis de Benivolo modo commemorato differere. Hic a Gaudentio magnis laudibus extollitur, (22) eoque, uti Cive Brixiano, frequentissime utebatur. Mediolani fidei rudimentis per Philastrium, adversus Arianos ea in Urbe pugnantem, instructus fuit (23); sed adhuc cathecumenus præclaram animi sui erga Catholicam fidem ostendendi, nactus est occasionem. Valentinianus II. Imp. Justinæ Matris, Arianæ hæreseos Patronæ simul, & sociæ impulsu, statuerat legem ferre, qua Arianis conveniendi, & Ecclesias habendi, non minus quam & ipsis Catholicis, potestatem faceret, aliquid contra molientibus, veluti seditionis auctoribus, pacisque turbatæ, ac læsæ majestatis reis pœna capitis indicta. Benivoli nostri erat eam legem conscribere, utpote qui apud eumdem Imperatorem munere fungebatur Magistri memoriæ, seu Præsidis scriniis memoriæ, cui leges scribere incumbebat; at constantia, non solum cathecumeno, qualis adhuc erat, sed quovis veterano Christianæ militiæ digna milite, splendido suo officio, licet altioris quoque dignitatis spe ab Imperatoribus invitatus, decedere satius duxit, quam impiæ legi conscribendæ manum admovere; aureis istis verbis Imperatorio jussui, atque pollicitationibus simul obluctans, simul dignitate præclara, militari cingulo abjecto, (24) se abdicans: *quid mihi pro impietatis mercede altiorem promittitis gradum? hunc ipsum, quem habeo, tollite, tantum mihi conscientiæ fidei*

duret

(21) Num. IX. Præf. Gaudentianæ.
(22) In citata Præf. suorum sermonum.
(23) Id liquet ex eodem Gaudentii loco.
(24) Verba ista posteritati tradidit Ruffinus in undecimo Historiæ Ecclesiasticæ libro c. 16.

duret illæsa (25); licet vero postea inventus sit, qui eam legem conscriberet, maximum tamen sibi Benivolus emolumentum & decus ex ea constantia auxit; nam in Patriam se recipiens, & *Honoratorum* Urbis, & Dominicæ plebis *dignissimum caput* evasit. Quamobrem ejus precibus, ut supra dictum est, Gaudentius sermones olim, sive privatim, sive de suggestu habitos, & una collegit, & diligentiori cura perpolivit, & aliis legendos communicavit.

Verum, ut ad Gaudentium revertamur, tot perfunctus egregiis laboribus, ad cælum tandem Sanctissimus Episcopus evolavit; quo anno, quove die prorsus incertum; quod probabiliter dicere possumus, hoc est, anno CCCCX. adhuc in vivis fuisse: eo enim circiter tempore citatam Recognitionum S. Clementis versionem per Ruffinum ei fuisse nuncupatam conjicit Tillemontius (26). Ruffinus autem anno CCCCX. Messanæ in conspectu Regii Julii, paullo ante ab Illarico Rege exusti, obiit. An autem vitam protraxerit usque ad CCCCXXVII., uti placuit Labbæo, aliisque minus probabile nobis cum Tillemontio videtur; propterea quod spatio nimis brevi quatuor, & viginti annorum, quatuor fuissent Brixiæ Episcopi. Optatianum enim Concilio Mediolanensi anno CCCCLI. celebrato interfuisse videmus. Plane post S. Gaudentium usque ad Optatianum Paulus, Theophilus, Silvinus, & Gaudiosus I. Brixiæ Episcopi sederunt. Quamobrem in tanta rerum obscuritate, quatuordecim effluxisse sui Episcopatus annos, quando S. Gaudentius de vita, & obitu Philastrii sui Prædecessoris orationem habuit, nobis satis erit affirmasse.

Ad illius cultum quod attinet, nullum antiquitus eidem fuisse habitum, ne in propria quidem Ecclesia, unus affirmat citatus Castellanus, cujus verba, utpote ad examen necessario vocanda, ex Gallico reddimus hic latino Sermone: *Brixiæ natale S. Gaudentii Episcopi* (inquit pag. 541. & 717. Martyrol. universalis) *propter eruditionem*, & *sanctitatem sine cultu veteri*, *etiam in propria Ecclesia*, *ut videtur in Ramperto Episcopo Brixiensi*, *VII. Seculi*, (scribendum IX.) *qui etiamsi de eo loquatur*, *tamen ne semel quidem vocat sive Sanctum*, *sive* Bea-

(25) Gaudentius sub initium citatæ Præfationis.

(26) Tom. X. Historiæ Eccl. pag. 586.

Beatum, *cum alioquin Sanctos non negligat eos nominare*, *qui cultum hunc habebant*, *uti S. Philastrius*.

At ægre non ferat hic Criticus, si nimiam illius confidentiam miremur; sane videre non possumus qua ratione ex Ramperti sermone inferri possit, nullum Gaudentio tributum fuisse honorem; quandoquidem id unum spectat Rampertus eo loci, ut S. Philastrii vitam, honoresque illi præstitos ob suorum Auditorum oculos exponeret, alios vero Episcopos enumerat, ut constantem Episcoporum seriem quodammodo recenseat; nihil igitur mirum, si Philastrium appellet Sanctum, quo nomine vocari & cæteros ibidem commemoratos aperte negamus, uti experiundo cognoscere quisque poterit. Unicus honoris titulus, quo a Ramperto insignitos legimus Episcopos, est hic: *venerabilis memoriæ*, quo Gaudentium quoque insignitum fuisse a Ramperto, vel luculentissimo argumento est locus, ubi duo illa verba jacent; nimirum recensitis omnibus Episcopis, quorum ordinem ita exorditur Rampertus: *hi sunt tertius ab eo*, *& secundus a Gaudentio Paulus*, sic concludit, *venerabilis memoriæ Episcopi*; *quorum ordine*, *& meritis novissimus ego Rampertus*. Concludendum igitur est tanti non esse Castellani objectum, ut in dubium vocare queat honorem, quem sua hæc Ecclesia *ab immemorabili*, ut vulgari voce utar, illi exhibet. Festivitas autem recolitur VIII. Cal. Novembris, & corpus requiescit in Ecclesia S. Joannis, de qua adnotare nonnulla haud erit alienum.

Hæc est Ecclesia illa in nostro mſ. *de foris* appellata, atque in nota ad S. Theophilum: *ad Concilia Sanctorum*, quamque possident hodie Canonici Regulares S. Salvatoris, quæ non illa eadem est a Gaudentio excitata, igne olim combusta, sed quæ in ejus loco fuit ex integro ædificata anno MCLI. (27), unde vetustus *de Concilio Sanctorum* titulus jamdiu obliteratus est, quod hac de Ecclesia literis consignavit Malvetius (28) fuisse nimirum constructam a Beata Silvia S. Gregorii Magni genitrice, in eaque tumulatam pugnat aperte cum citato Gaudentii testimonio.

Ea autem Silvia, cujus corpus in hodierna S. Joannis Ecclecle-

(27) Ex Chronaca mſ. Bononiensi Seculi XII.

(28) Ex Malvetio loc. cit. pag. 918.

clesia jacet sitne Gregorii mater, aut quævis alia in tantis antiquitatum tenebris ingenue fatemur nos ignorare. Quonam tempore ab hac appellatione *de foris* cessatum sit, non equidem scio; fortasse postquam prolato Urbis pomœrio circiter annum MCCXC., locus ille in Urbis sinum receptus fuit. Seculo namque XII. appellationem illam perseverasse certo constat ex manuscripto Privilegio a Callixto II. anno MCXXXIII. huic Ecclesiæ concesso, in cujus Tabulario adhuc asservatur, ista leguntur verba: *Præposito, & Canonicis in Ecclesia S. Joannis Evangelistæ, quæ de foris dicitur, Regularem vitam professis, quam futuris in perpetuum &c.* (29). Porro in hujus Ecclesiæ consecratione habuit sermonem Gaudentius, qui exstat ad pag. 336. novæ editionis, ex quo Barbarorum tunc temporis in istas Italiæ partes irruptio confirmatur; gaudet enim Gaudentius sanctos Antistites, & Apostolicos viros convenisse ad persolvendum Beatissimis Patribus, & præceptoribus suis debitæ devotionis obsequium, ut ubertate plenissima benedictionum spiritualium ditarentur Brixiani, licet importunitas Barbarorum, maximam partem celebritatis die illa subtraxerit, ne cæteri Sancti Antistites, quos intersuturos ipse credebat, advenirent. Illas irruptiones innuerat quoque Serm. XIII. die Natalis Domini habito his verbis: *ita nos Deus exaudiet obsecrantes, ita inter pericula imminentium Barbarorum auxilio protegi divino merebimur* (30).

Narrat etiam in Serm. priori loco laudato, Ecclesiam illam a se fuisse excitatam, nomenque impositum Basilicæ *Concilii Sanctorum* (31), quam ita appellavit ex illorum temporum more, quod in ea Sanctorum Martyrum reliquias recondiderat: *Habemus ergo* (sunt hæc illius verba loc. cit.) *& hos XL., & prædictos X. Sanctos ex diversis terrarum partibus congregatos, unde & hanc ipsam Basilicam eorum meritis dedicatam, Concilium Sanctorum nuncupari decernimus; dignum est enim ut ad tantorum Martyrum venerandas reliquias processuri, ad Concilium Sanctorum nos procedere fateamur.* Inter

hæc


(19) Eadem nuncupatione appellatur in quodam monumento venditionis peracto Indict. 13. anni 1240. cujus apographum offendi in mss. Burgundii. Illud autem notandum est, eam Congregationem in iis privilegiis commemoratam confundendam non esse cum alia S. Salvatoris Bononiæ, cui anno dumtaxat 1486. per Innocentium VIII. concessam fuisse S. Joannis Ecclesiam scribit Lubinus ex Syllabo mf. Abb. ejusdem Congreg. in notitia Abbatiarum Italiæ pag. 62.

(30) Loc. cit. pag. 317.

(31) Ibid. pag. 345.

hæc ſacra lipſana, quorum catalogum eo loci contexit, brevemque notitiam exhibet, ea numerantur SS. Quadraginta Martyrum, qui in Armenia ſub Licinio paſſi fuerant, quæque ipſe Orientem peragrans in Cæſaræa Cappadociæ Urbe a quibuſdam ſacris Virginibus in Monaſterio degentibus, S. Baſilii Magni neptibus, a quo ejuſdem olim Urbis Epiſcopo ſibi traditas gloriabantur, accepit. Coluntur ipſa in præſentiarum a Brixianis in eadem S. Joannis Eccleſia, in qua conſentaneum fuit, ut ſepulturæ mandaretur ejus corpus, propterea quod ab illis ſeparandum non erat SS. Martyribus, qui itineri ſuo, cum per Urbes Cappadociæ Hieruſalem pergeret, fideles comites ſe præbere dignati fuerant, eamdemque ipſe Eccleſiam ſuis ſumptibus condiderat, ſacroque cultui dicaverat (32).

Quæ hactenus de ſanctiſſimo, eoque doctiſſimo Epiſcopo ſunt a me ex Veterum monumentis deducta non levem creare poſſunt admirationem, quod Malvetium ita eadem fugerint, ut perinde ac ſi nullibi gentium ne Gaudentii quidem nomen inveniſſet, poſt Philaſtrium in hac ſede collocaverit Titianum, integro poſt Gaudentium ſeculo a cæteris Brixianis Scriptoribus collocatum.



X.

(32) Carolus a Baſilica Petri Lib. II. Novariæ Sacræ pag. 250. obſervat, eveniſſe tunc temporis in multis Urbibus, ut præcipuus Epiſcopus Eccleſiam fundaret aliam a Cathedrali, ibique ſibi ſepulturam eligeret, haberetve. Id præſtitit Gaudentius alius Novarien. Epiſcopus, qui videtur obiiſſe circiter annum 417.; ea Eccleſia erat ut plurimum extra Urbis pomœria, uti Novariæ.

X.

PAULUS EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI CCCCXI.


AD S. EUSEBIUM.

COnſtituta ordinis Epiſcoporum a Ramperto recenſiti auctoritate, Paulus citra dubium Gaudentio ſucceſſit. De initio illius Epiſcopatus non conveniunt auctores, utpote veteribus monumentis deſtituti. Florentinius deſumit ab anno CCCCII., Faynus CCCCXXV., Ughellus CCCCXXVII., Caſtellanus CCCCXXVIII. Cum vero Gaudentii mors, probabili conjectura, a nobis ſit relata ad annum CCCCX., eadem probabilitate, eo labente anno, aut ineunte ſequenti, hoc initium repetimus. Eo quia in quibuſdam Catalogis Paulinus vocatur, multa primum a Fayno in Martyrol., deinde a Bollandianis die XXIX. Aprilis (1), tandem a Galeardo in notis ad Ramperti ſermonem (2) diſputata ſunt; ab hac tamen diſputatione, quam nullius ferme utilitatis arbitramur, abſtinere decrevimus. Quippe tam exiguum eſt inter Paulum & Paulinum nominis diſcrimen, ut vel promiſcue uſurpatum dici poſſit, quemadmodum factum video a Caſtellano loc. cit. (3): vel Amanuenſes modo Paulum ſcripſere, modo Paulinum, ſicuti Antonius, & Antoninus; licet poſterius ferat celebris ille Florentinus Archiepiſcopus, ipſis etiam obſervantibus Bollandianis loc. cit. num. 6. *in manuſcriptis invenitur appellatus modo Antonius, modo Antoninus, tametſi poſterius nomen communior uſus ferat*. Quæ autem ab Octavio Rubeo in manuſcripta Patria Hiſtoria, & a Fayno in Martyrologio IV. Nonas Martii afferuntur, ut probent, hunc Epiſcopum vocandum eſſe Paulinum, eumque Mediolanenſis olim Eccleſiæ Diaconum, a quo S. Ambroſii vita conſcripta fuit, miſſa nos cum Galeardo facimus, utpote nullis comprobata probabilibus rationi-

E

(1) Tom. III. Aprilis pag. 618.
(2) Pag. 383.
(3) Pag. 204.

tionibus. Ejus corpus, cujus memoria temporum injuria perierat, inventum eſt anno MCCCCLIII. (4) in Oratorio prope S. Euſebii Eccleſiam (5); deinceps, anno ſcilicet MCCCCXCVIII., translatum fuit, una cum veteri pictura eodem loci detecta, in Eccleſiam S. Petri in Oliveto; anno vero MDLXIII. in aram majorem ejuſdem Eccleſiæ illatum, ubi IV. Nonas Martii honos ei anniverſarius habetur.



(4) Eodem loco inventa ſunt corpora SS. Epiſcoporum Cypriani, & Deuſdedit, nec non Evaſii Martyris. Eam inventionem contigiſſe anno 1453. eſt apud omnes Scriptores Brixianos: at ſæpe laudatus Eminentiſſimus Quirinus in cit. Epiſt. ad Rmum P. Benaleam, innixus publicis hujus Urbis tabulis, eam duobus annis poſteriorem facit: merito enim contendit, inventionem eorum corporum, non vero SS. Fauſtini & Jovitæ, præ oculis habuiſſe, Ludovicum Fuſcarenum, tum Urbis Prætorem in binis Epiſt. eo loci productis.

(5) S. Euſebii Eccleſia, in nota noſtri Catalogi commemorata, ſurgebat olim in vallicula ſecus Puſterulæ locum in declivio Collis Golleti; unita fuit tribus circiter ab hinc ſeculis Eccleſiæ & Monaſterio S. Petri in Oliveto, eoque ferme tempore ſolo æquata, cum planities fieret circum Urbem.

X I.
THEOPHILUS EPISCOPUS SANCTUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI CCCCXXX.
AD CONCILIA SANCTORUM.

TErtius a Philaſtrio enumeratur in Ramperti ſermone S. Theophilus, de quo a majoribus noſtris nihil certi conſignatum fuit, unde veteribus Martyrologiis, ſi fides Caſtellano (1), incognitus. Corpus repoſitum fuiſſe in Eccleſia S. Joannis Evangeliſtæ, erecta a S. Gaudentio, colligitur ex hac nota in noſtro manuſcripto: *ad Concilia Sanctorum*. Etenim in ſermone die conſecrationis ejuſdem Baſilicæ habito poſtquam dixerat Gaudentius, hic haberi quadraginta & decem Sanctos, ex diverſis Terrarum partibus ab ipſo Orientem peragrante congregatos, ita proſequitur pag. 345. *Unde hanc ipſam Baſilicam eorum meritis dedicatam, Concilium Sanctorum nuncupari oportere decernimus*. Octavius Rubeus in vita SS. Fauſtini & Jovitæ (2) ſcripſit, *Concilium Sanctorum* ideo vocatam illam fuiſſe Eccleſiam, quia Fidelium conventus in ea agebatur, quod omnino falſum eſſe, etiam ex iis, quæ in vita Gaudentii diximus, colligi poteſt. Non enim iccirco hujuſmodi Eccleſiæ nuncupabantur *Concilia Sanctorum*, quia Populus in illis conveniret, ſed iccirco conveniebat in illis, quod ibi SS. Martyrum reliquiæ repoſitæ erant colebanturque, & ideo *Concilia Sanctorum* vocabantur. Cauſſam hanc mihi videor in iſtis Gaudentii verbis loc. cit. poſitis videre expreſſam: *dignum eſt, ut ad tantorum Martyrum venerandas reliquias proceſſuri, ad Sanctorum Concilium nos procedere fateamur*, quæ ſane loquendi ratio in illorum temporum monumentis quam ſæpiſſime occurrit, quod Martyrum dumtaxat reliquiæ populorum venerationi exponebantur, eorumque corpora in Eccleſiis condebantur. Ex hoc tamen colligendum non eſt, S. Theophilum martyrio coronatum fuiſſe. Cum enim S. Gaudentius, ut ſupra vidimus, in

(1) Loc. cit. pag. 201.

(2) Pag. 65.

in ipſa Eccleſia, cujus auctor extiterat, propeque Martyrum reliquias humatus fuerit, Theophilus quoque licet Confeſſor dumtaxat, prope Anteceſſorem, cujus pretioſam mortem, non minus quam ſanctiſſimam vitam, imitari ſtuduit, ſepulturam eligere ſibi voluit; nullibi enim proditum eſt, aliunde in eam fuiſſe translatum (3); lapſu vero temporis corpus ejus fuit a Brixianis ibidem repertum. Non eodem tamen in loco perpetuo manſit, ſed modo huc, modo illuc deductum, ut videre licet cum in Martyrologio Brixiano, tum apud Bollandianos ad diem XXVII. Aprilis (4), qua illius feſtum agitur.



(3) Conſonat Tottus his verbis: *jacet* (Theophilus) *ad Concilia Sanctorum, ideſt in Eccleſia S. Johannis de foris Brixiam*. Vide in Jo. Franciſco Mauroceno.

(4) Tom. III. Aprilis pag. 494.

XII.

XII.
SILVINUS EPISCOPUS SANCTUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI CCCCXL.
AD S. PETRUM IN MONTE.

SUffectus fuit Theophilo ex Ramperti ſermone S. Silvinus, cujus dumtaxat translationes a Fayno in Martyrol. IV. Cal. Octob. recenſitæ commemorari tuto poſſunt. Caſtellano pag. 489. laud. Martyrol. viſus eſt fictitius, atque inlatus occaſione Solonis, vocati Salunii in aliquibus manuſcriptis, ex quibus lectum fuiſſe Salvinum, & deinde Silvinum affirmat. At ſi Ramperti ſermonem, ad quem ſæpe hic auctor provocat, & hac vice conſuluiſſet, ſe temperaſſet profecto ab hac nimis confidenti critica; quippe in omnibus hactenus detectis Rampertiani ſermonis codicibus conſtantiſſime legitur Silvinus. Eccleſia S. Petri in monte erat Abbatialis in Serlenſi Parochia, nono ab Urbe lapide, de qua dicturi ſumus in Conone. Pars haud exigua ſacrorum lipſanorum hujus Epiſcopi Patribus S. Petri in Oliveto, Congregationis olim S. Laurentii Juſtiniani, conceſſa fuit Calendis Maji anno 1508. opera Hieronymi Caballi Brixiani, primum ex Patribus S. Laurentii Juſtiniani, deinde Canonici Cantoris Cathedralis, teſte Capreol. lib. 14. Hiſtoriæ, & mſ. Fayni: reliqua autem condita fuit in Urbis Eccleſia S. Joſepho ſacra, atque FF. Minoribus tradita. Colitur ejus memoria die XXVIII. Septemb. (1); noviſſime anno MDCCXXV. die XXIII. Septembris dimidia cranii pars S. Silvini ex prædicta S. Petri in Oliveto Eccleſia in Parochialem Serlenſem translata fuit, ibique ipſe veneratur tamquam Principalis *Patronus* Officio *primæ Claſſis* cum octava.

(1) Hac eadem die mentio eſt in Martyrolog. Baron., quamvis in Actis Bolland. Tom. I. Martii pag. 648. male dicatur, ibi legi die 30. Septemb. Vid. infra in Ruſticiano.

XIII.
GAUDIOSUS EPISCOPUS SANCTUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI CCCCXLIV.
AD S. ALESANDRUM.

ANte annum CCCCL., quo, ut ex mox dicendis patebit, Optatianus Gaudiosi successor regnabat, Brixianam infulam administrabat S. Gaudiosus, a Castellano loco citato (1) collocatus ad annum CCCCXLV. *Illius gesta* (verba sunt Ferrarii in Sanctis Italiæ) *etsi propter crebras Urbis vastationes non exstent, fama tamen sanctitatis perduravit*. Ughellus aliquot alios (2) sequutus vocat Gaudentium hujus nominis II., at Gaudiosus legitur in Ramperti sermone, & sic a Ramperto fuisse scriptum ex eo probat in notis ad Ughellum Galeardus, quod infra Gaudiosum alterum post *Deusdedit* recensens ita habet: *Gaudiosus iterum*. Ughellus in eumdem errorem traxerat Bollandianos in vita S. Titiani nostri Episcopi die tertia Martii (3), sed in viam rediere paullo post, nempe ad VII. hujus Mensis diem (4). Faynus vero in Martyrol. die VII. Martii putat, vitio calami scriptum alicubi reperiri Gaudentium, sed errorem declinavere Baronius, de Aste, aliique. Dies festus colitur nonis Martii, ejusque corpus colimus in Ecclesia Parochiali S. Alexandri (5), ubi propter ingressum ad dexteram Ecclesiæ partem proprium huic Sancto Sacellum dicatum est, in quo, præter sacram iconem, marmorea & ingens eminet arca, eleganti opere elaborata, in qua sacri ejus cineres requiescunt, ibidemque legitur hæc inscriptio, quam referunt Bolland. ad eamdem septimam Martii diem, sed valde fœdatam ex Romana Ughelli editione, eam-

(1) Pag. 116.

(2) Inter alios Gaudentius vocatur a Florentinio in Indice edito, qui deinde in cit. Indice copiosiori msf. apud PP. Oratorianos in viam redut, vocans eum Gaudiosum.

(3) Tom. I. Martii pag. 261.

(4) Loc. cit. pag. 648.

(5) De hac Ecclesia redibit sermo in Dominico Mercrio.

eamque, ut eſt in Veneta Ughelliana editione emendata, nos hic damus:

D. Gaudioſo Brixiano Antiſtiti
Galaſſius Fenarolus Eques Aureatus,
Juris Pontificii, Civiliſque celeberrimus
Doctor Monumentum dicavit
Anno M.CCCC.LXXXVIII.


XIV.
OPTATIANUS EPISCOPUS SANCTUS
ANNO CHRISTI CCCCLI.
AD S. LAURENTIUM.

SEptimus poſt Philaſtrium enumeratur in Ramperti ſermone Optatianus Epiſcopus noſter, qui Provinciam hanc anno CCCCLI. moderabatur. Illius enim legitur ſubſcriptio in Epiſtola Synodica, quam Summo Pontifici Leoni Primo dederat Concilium Mediolanenſe, ab Euſebio illius Eccleſiæ Pontifice celebratum anno CCCCLI. adverſus illos, qui de Incarnationis myſterio impie ſentiebant, Duce Eutychete Conſtantinopolitano Archimandrita, qui omne naturarum diſcrimen in Chriſto negabat. Neque movere quemquam debet, illa in ſubſcriptione legi: *Octavianus* (1). Namque errorem irrepſiſſe monuerunt Florentinius, Galeardus, & alii, eumque ſuſtulit Queſnellus, qui in tribus ejuſdem Epiſtolæ manuſcriptis legit *Optatianus* (2). Sed integram præſtat ejus exhibere ſubſcriptionem: *Ego Optatianus Epiſcopus Eccleſiæ Brixianæ in omnia ſupraſcripta conſenſi, & ſubſcripſi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ Sacramento impie ſenſerunt.* Medius autem ſubſcripſit inter Joannem Epiſcopum Cremonenſem, & Juſtinianum Epiſcopum

(1) Tom. IV. Concilior. Labbè pag. 584. & in notis ad eam Epiſtolam Tom. II. Oper. S. Leonis pag. 482.
(2) Tom. I. Operum S. Leonis pag. 292.

pum Vercellensem ; unde colligitur ejus consecrationem contigisse post illam Joannis, sed præcessisse illam Justiniani. Liquet enim ex Veterum monumentis, in serie Episcoporum subscribentium, sive in Conciliis, sive in Epistolis, sive in aliis publicis Actibus post Metropolitam, seu Primatem, habitam fuisse rationem non quidem ætatis, aut Sedium Episcopalium, sed temporis, quo quisque fuerat Episcopus consecratus (3).

Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ hunc Optatianum vocat *ignotæ Patriæ :* Ughellus autem Mediolanensem, quod satis fuit Petro Paulo Boschæ, ut in Martyrologio illius Ecclesiæ Sanctis Mediolanensibus attribueret. Nobis vero tantus non est animus, ob veterum Scriptorum silentium, ut illum amplectamur (4). Sacrum ejus corpus colimus in Parochiali S. Laurentii Ecclesia XIV. die Julii. Varias intra eamdem Ecclesiam elevationes legere licet in Florentinio, & Fayno, quem Bollandiani ad eamdem diem exscripsere (5).



XV.

(3) Vide, si placet, eruditum de antiquo Ecclesiasticarum Epistolarum genere Bernardini Ferrarii Librum Cap. I. lib. II. Quid vero ex hac Optatiani subscriptione colligi possit ad evertendam Brixianæ Ecclesiæ subjectionem Ecclesiæ Aquilejensi, disputatum est tertio Dissertationis Procemialis Capite.

(4) Regnante hoc Episcopo Urbs hæc fertur a famoso illo Attila Gothorum Rege anno CCCCLII. excidio vastata.

(5) Tom. III. Julii pag. 682.

XV.

VIGILIUS EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DVI.

AD ISEÆ.

POst Optatianum occurrit Vigilius. Ughellus nonnullos Brixianos ſecutus ait: *Card. Baronius in ſuis ad Martyrol. Rom. notis, probabili conjectura ductus, hunc illum eſſe arbitratur Vigilium, qui Agathenſi Concilio reperitur ſubſcriptus, titulo Epiſcopatus ſuppreſſo*. Sed Ughellus omnino errat; nullibi enim in Baronii Martyrol. ea eſt conjectura. Porro Vigilius ei Concilio præſens Lactoracenſis in Aquitania erat Epiſcopus (1). Quod attinet ad quinque adverſus Eutychen libros, quos ab hoc Epiſcopo elucubratos fuiſſe, plerique conati ſunt evincere Brixiani Scriptores apud Faynum in Martyrol. die XXVI. Septembris, exſcribere placet Galeardi verba in notis ad Ughellum: *Porro libros contra Eutychen Vigilio Tapſenſi jampridem tribuerunt Chiffletius, aliique viri docti, de quo vide Oudini Supplem. pag.* 123. *Bollandiani PP. ad diem 26. Junii profitentur, velle ſe opportune Brixianorum Scriptorum opinionem, qua antehac libros contra Eutychen Vigilio Brixiæ Epiſcopo aſſerebant, a fundamentis excutere; verum labori ſupervacuo, ut libitum fuerit, parcere potuerunt, quandoquidem hujuſmodi libros noſtra ſponte Vigilio libenter abjudicamus*. Verum abs re non erit addere, Brixianorum opinionem non omnino irridendam, ſaltem quia Viri magni nominis dubitandi anſam præbuerunt, quos inter memorandus eſt Rivetus lib. IV. Critic. ſacr. (2). Cætera quæ ad præclare adminiſtratum Paſtoris munus pertinent, antiquitatis ſilentium nobis invidit. In amœno ad Lacum Sebinum Oppido, vulgo *Iſeo* obiiſſe, antiqua eſt apud illas gentes traditio, quod etiam affirmare videntur ſacra illius oſſa, ibi antiquitus ſervata in ſubterraneo Sacello (3), & anno MDXXIV. in Altare inſtauratum elevata & recognita, hac poſita tabula plumbea: *Hic reliquiæ S. Vigilii*

(1) Id præſefert hæc ejus ſubſcriptio Tom. V. Conc. Labbè p. 533. *Vigilius Epiſcopus de Civitate Lactorenſi ſubſcripſi*.

(2) Pag. 591.

(3) Rinaldus Cap. V. p. 181. Operis inſcripti: *Monimenti Hiſtoriali dell' antico, e nobile Caſtello d' Iſeo*.

gilii Fundatoris Plebis Isæi fuerunt reposita die 7. Julii 1524. *Titus Porphyrius de Aliprandis Isæi Archipresbyter.* Anno vero MDCXXXIII. insigni pompa, frequentissimoque totius Sebinæ Riperiæ concursu iterum recognita translata fuerunt & recondita in splendidissima arca marmorea, ut docet posita hæc inscriptio: *Beatissimi Patris Vigilii Episcopi Brixiæ, hujus Ecclesiæ Fundatoris, ossa hic decentius reposita anno M.DC.XXXIII., quem apud D. O. M. Patronum optimum quære Venerator.* Licet autem hæc translatio facta sit die ultima Novembris, colitur tamen ejus memoria a Clero Isejano prima Septembris Dominica officio duplici ex concessione sacræ Rituum Congregationis, ut patet ex hujus Curiæ Decreto, quod hic editum volumus, ut obtemperemus instantibus votis Populi illius Oppidi, cujus erga Sanctum hunc Episcopum flagrantissima est pietas & religio.

Die pma Septembris 1674.

Illmus & Rmus D.D. Marinus Joannes Georgius, Brixiæ Episcopus, Dux, Marchio, Comes &c. sic instante adm. Rdo. D. Thoma Zanetto Archipresbytero Ecclesiæ Parochialis Isei, tam nomine suo, quam nomine Communitatis illius loci, visoque supplici libello porrecto S. Congregationi Rituum, nec non Rescripto ejusdem S. Congreg. Romæ dato die 16. Julii 1672. subscripto ab Emo, & Rmo D.D. Card. Brancaccio, habitisque plenis informationibus super identitate Corporis S. Vigilii in prefata Parochiali Ecclesia existentis in Martyrologio Romano memorati, & approbatione Corporis, seu Reliquiarum ejusdem Sancti, quæ ab Illmis, & Rmis D.D. Episcopis, & Prædecessoribus suis, & a D. S. Illma, & Rma visitatæ fuere, inhærens facultati sibi in dicto Rescripto tributæ licentiam concessit prædicto D. Archipresbytero, & Successoribus suis celebrandi officium translationis dictarum Reliquiarum factæ die 30. Novembr. 1633. Dominica prima Septembr. successivis temporibus, omni meliori modo &c. Præsentibus Nob. & adm. Rdo. D. Petro Fenarolo, & Rdo. D. Julio Pluda Capellano D. S. Illmæ, ac Rmæ, testibus &c.

(*Marinus Jo: Eps. Brix.*

Petrus Vincentius Rescattus Cur. Ep. Br. Not.

Caput

Caput vero hujus S. Episcopi cum ossibus Ecclesiæ Isei deficientibus ex antiqua Translatione facta ante annum MCC. (4) possidet Ecclesia Parochialis S. Laurentii, ubi mense Martio anni MCCCCXCVII. ex ara veteri in novam una cum Reliquiis S. Optatiani per Bernardinum Fabium Pharen. Episcopum & Referendarium Apostolicum, Civem Brixianum, ejusdemque Ecclesiæ Præpositum sunt translatæ (5), ubi ritu duplici, nec non in tota Brixiana Ecclesia ritu semiduplici, celebratur memoria die XXVI. Septembr.

XVI.

TITIANUS EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DLXXVI.

AD SANCTUM GOSMAM.

INde Vigilium excepit S. Titianus. Hic fertur natione fuisse Germanus, & gratia ægrotos sanandi plurimum valuisse. Elias Capreolus lib. III. Histor. eum dicit educatum, & creatum Diaconum a S. Philastrio. Verum si sub finem Seculi VI. ipse est collocandus, uti reipsa collocatur a Florentinio, Ughello, Castellano, & aliis, Philastrio adhuc vitam agente Titianus nondum erat in lucem emissus, nisi quinquaginta supra centum annos eum vixisse dicamus. Quocirca jure ac merito Bollandianis, in hujus Sancti vita die tertia Martii (1), Capreoli narratio minus probatur. Verum quidem est Capreoli supputationem cum Baronii calculis convenire; nam in quadam ad Martyrol. nota Ven. Baronius scripserat, Titianum nostrum vixisse anno circiter CCCCXX; at Baronium ipsum rediisse in viam advertit de Aste in supra laud. ad Martyrol. Rom. Disquisitionibus (2), propterea quod nota hæc in posterioribus Martyrologii editionibus desideretur. Quinto Non. Martii celebratur ejus festum in

(4) Rinaldi loc. cit. pag. 179.
(5) Capreol. lib. XII. histor. ad ann. 1407. & Faynus in Martyr. Sexto Calendas Octob.

(1) Tom. I. Martii pag. 261.
(2) Pag. 107.

In Ecclesia Monialium SS. Cosmæ & Damiani (3), ubi in Cella, quæ ad lævam partem erat, Sanctum illud Corpus requiescebat, nunc nova ejusdem Ecclesiæ restauratione in ornatiori loco repositum jacet.

XVII.

PAULUS EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DLXXX.

AD SANCTUM PETRUM IN OLIVETO.

Titiano successit Paulus II., quem Paulinum vocant aliqui apud Bollandum die IV. Martii, Ughellum, & Galeardum, etsi in Ramperti sermone constanter legatur Paulus, unde appellatur Paulus II. Corpus in Ecclesia S. Petri in Oliveto (1) requiescit, eo translatum anno MCCCCXCVIII. ab Episcopo Paulo Zane ex veteri Ecclesia S. Eusebii extra muros, teste Florentinio in Catalogo; ex quo Bollandiani ad eamdem diem (2). Colitur die IV. Martii ritu *semiduplici*, licet sub *duplici* colendum esse idem Zane statuisset.

XVIII.

(3) Monasterium hoc unum ex illis per Italiam non paucis, quæ in Mabillonii libris desiderantur, juxta S. Benedicti institutum octingentis & amplius ab hinc annis exstructum fuisse colligit Astezatus ex authographa membrana Tabularii S. Juliæ, cujus specimen dedit pagina IL. cit. præf. in Manhelmum. Surgebat olim in majori foro (nunc platea Cathedralis) prope ædiculam S. Mariæ, cujus mentio occurrit in Diplomate Raymundi Episcopi nostri signato anno 1156., quod suo loco proferetur. Berardus autem Madius, labente Seculo XIII. Episcopus noster amplificandi fori caussa illud jussit destrui, translatis Monialibus ad extremam Urbis partem, Occidentem versus: constructisque ibidem in eorumdem SS. honorem Monasterio & Ecclesiis, teste Malvetio loc. cit. Alia hoc de Cœnobio videsis apud cit. Astezatum.

(1) Ecclesiam hanc S. Petri in Oliveto mirifice describit Franciscus Barbarus in Epist. 39. Part. I. pag. 59. Collectionis Epistolar. inclyti hujus Viri, opera, & studio Episcopi nostri Eminentiss. Cardinalis Quirini, editæ. Incolebant olim eam Ecclesiam Ecclesiastici Seculares, sed cum anno 1437. Petrus Rector obiisset, precibus & cura laudati Barbari, tum Urbis Prætoris, collata fuit Canonicis Regularibus S. Georgii in Alga, ante paucos annos Venetiis institutis. Quinque Barbari Epistolæ exstant in laud. Collectione hujus rei testes, felicemque rei exitum enarrat laudatus Quirinus pag. CCLXI. Diatribæ Præliminaria ad eam Collectionem. Ordine postmodum illo per Clementem IX. anno 1668. suppresso, locus ille traditus fuit PP. Excalceatis S. Theresiæ, qui mira pietate, exquisitoque nitore sacra in eo peragunt. Codices autem in Monasterii Archivo, qui haud pauci erant, adservati, ad Venetas Pontificii Legati ædes translati sunt. Nonnulla eorum apographa, sive Florentinii, sive Fayni studio, reperiuntur in citato PP. Oratorii Chartulario: nonnulla etiam, quæ a nobis proferentur suis quæque locis, Moniales Beatæ Mariæ Virginis Angelorum Brixiæ exscribi fecerunt ex eo, ubi recondita fuere, loco.

(2) Tom. I. Martii pag. 312.

XVIII.

CYPRIANUS EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DLXXXV.

Circa annum DLXXXV. Brixiano Clero præſidebat S. Cyprianus, quem poſt Paulum recenſet in ſermone Rampertus; quemque, neſcio plane quo fundamento, Caſtellanus in Indice SS. eumdem affirmat eſſe, ac S. Giuranum. In mſ. Martyrologio, quo ſupra diximus donatos fuiſſe Romæ abs Ughello Bollandianos, ita ſcriptum erat, referentibus ipſis Bolland. die XXI. April. Tom. II. ejuſdem menſis pag. 849. *XI. Kal. Maji, Brixiæ, Natalis S. Cypriani ejuſdem Urbis Epiſcopi*. Hic S. Epiſcopus quanta ſanctitatis gloria floruerit, teſtatur Populus Brixianus, *qui diebus antiquis tranſitum ejus ſolemniter venerabatur*. Imo, ſi fides Fayno in notis ad Martyrol. pag. 59., *tantæ olim in Brixiana Eccleſia devotionis erat, ut ejus natalis dies, veluti dies Dominica, celebraretur*. Corporis locus, in noſtro mſ. Catalogo omiſſus, varius fuit. Nunc in commemorata PP. S. Thereſiæ Eccleſia jacet, detectumque fuit una cum SS. Epiſcopis Paulo, & Deuſdedit, nec non S. Evaſio Martyre in S. Petro in Oliveto, anno MCCCCLV., ut oſtenſum eſt Commentario de S. Paulo I.



XIX.

HERCULANUS EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DLXXXVIII.

IN CAMPILIONE IN MATERNO.

Nisi cum Bartholomæo Vitali (1), qui Herculani vitam edidit, multa e nostro cerebro promamus, id unum de hoc Episcopo affirmare possumus, successorem eum fuisse S. Cypriani, unde XIX. dicendus Episcopus. Enim vero inter ea, quæ a Vitali fuere de eodem excogitata, nulla ratione ferendus est Monachatus in Abbatia Benedictina Leneonensi. Fuerat sane & a Fayno hoc scriptum in Cælo Brixiano (2), at in Martyrolog. sæpe cit. post annos octo ab eodem in lucem emisso, re diligentius animadversa, deceptum ab homine se cognovit, & scriptum retractans errorem Vitali succenset (3). Licet autem Faynus in eo veritatem non sit assecutus, quod tunc in Oriente, & præcipue in Occidente Monachos fuisse neget, vera tamen usus est ratione temporum, dum affirmat, Abbatiam illam nondum fuisse Herculani ævo erectam; quandoquidem Leneonense in Agro Brixiano Monasterium excitatum fuit, censibusque dotatum in honorem SS. Benedicti, Martialis, & Vitalis a Desiderio Langobardorum Rege anno DCCLVIII. (4).

Quod

(1) Hæc Herculani vita, Panegyris potius vocari potest, quam historica narratio, adnotantibus etiam Bolland. pridie Id. Augusti Tom. IV. ejusdem Mensis pag. 731.

(2) Pag. 23.

(3) Pag. 116.

(4) Nonnulli hanc fundationem collocant ad annum 762. Mabillonius lib. 23. Annal. Benedict. num. 53 eam retrahit ad ann. 759., sed uno etiam anno eam nos retrahimus, nixi auctoritate cujusdam ejusdem Monasterii Monachi, Desideriique Regis coævi. Sunt hæc ejus verba desumpta ex brevi Chronico edito a Murator. Tom. IV. Antiquit. Ital. medii ævi pag. 944. *Anno Domin. Incar. DCCLVIII. Indit. XI. captum est Monasterio Domini Salvatoris, locus, qui dicitur Leones a præfato gloriosissimus Desiderius Rex*. Porro subnectere placet, hoc Monasterium Ordinis S. Benedicti, situm in Pago, qui hodie *Leno* appellatur XII. ab Urbe lapide, meridiem versus, dictum fuisse ad Leones, propter duos marmoreos leones, teste sæpe citato Malvetio Tom. XIV. Scripp. Ital. pag 845., eo loci jacentes. Ejus autem fundationis fama statim vulgata, adscitum fuit in societatem a Monasterio Augiensi ejusdem Ordinis prope Constantiam Germaniæ, a Pirminio paullo ante excitato, teste Mabillon. in Annal. ad ann. 724. num. LXV. Hinc idem esse, quod ad Leo-

Quod si cupidus esset Lector sciendi, unde errorem hunc hauserit Vitalis, responderem, facile falli potuisse similitudi-

ne

Leones commemoratur in Necrologio ejusdem Augiensis Monasterii sub IX. Seculi initium confecto, editoque ab eodem Mabillonio in Analectis pag. 426., rite idem auctor in Analibus Benedictinis ad ann. 759. l. 23. n. LIII. colligit, quod uno tantum interposito Monasterio, proxime nominetur post aliud Brixianum S. Faustini, & paullo post Monasterium, quod vocatur *Nova* (scilicet S. Juliæ Brixiæ). Quo animadverso levis mihi videtur ponderis momentum adductum a Cl. Auctore della *Verona illustrata* P. I. Cap. XI. pag. 347., ut probet, non in agro Brixiano, sed Veronæ extitisse Monasterium ad *Leones*, in Augiensi Necrologio commemoratum; propterea quod, inquit ille, Benedictinorum Monasterium semper fuit in Vico, ad *Leones* dicto. Namque ullibi scriptum non inveni, Veronense Monasterium vocari Leneonense, quæ tamen denominatio constanter nostro tributa fuit; in idem enim recidit denomiuatio *de Lene* in Charta apud Murator. Tom. II. pag. 821. Antiquit. Italiæ med. ævi. Accedit etiam, cum Benedictinis Brixianis, uti in Ramperto dicemus, Augiensi Monasterio consuetudinem fuisse, quod de Veronensibus nullus, quem sciam, scripsit. Hinc plane optandum foret, ut præclari hujus Monasterii, cujus notitiam nimis jejunam dedit Mabillonius loc. cit., seriem Abbatum aliquis contexendam susciperet. Nos ex Malvet loc. cit. pag. 851., qui se legisse affirmat illius historias (hodie deperditas, aut in tenebris latitantes) atque ax aliis discimus, primum Abbatem ab ipso Desiderio Rege constitutum fuisse Hermoxldum (Malvet. pag. 848.), postea Lampertum, tertium vero Rataldum, Ludovici Imp. consanguineum, sub quo Monasterium multorum bonorum incrementa suscepit loc. cit. pag. 859. Deinceps anno DCCCCXXXIV. Abbas erat *Domnus vir prudens omnique bonitate circumseptus*, ut verbis utamur Malveti pag. 867. Sed circiter annum DCCCCLIV. Monasterio præfuisse Donninum, discimus ex charta a Bacchinio commemorata pag. 130. hist. Monasterii Padolirooensis. Circiter vero annum DCCCCLXXXXVII. ejectis Monachis illud invaserat quidam Raymundus, Brixiæ tyrannus, a quo quamplurima damna perpessum, quæ ex chartis Cœnobii describit Malvetius pag. 871., ab Othone III. Imperatore, qua erat erga res sacras pietate, rursus restauratum. Anno deinde MCXXXV., ut est in ml. Chronaca Bonon., sive potius anno MCXXXVII., ut ex Malvet. p. 876., igne dirutum est, iteramque ædificatum fuisse dicendum est; anno enim MCXLVIII. hospitio excepit Romanum Pontificem Eugenium III., aliosque, qui summum Hierarcham comitabantur Cardinales, nobilesque viros; ut patefecit ejusdem Eugenii Bulla, quam edenius in Maysredo. Anno postea MCXCIV. Monasterio præfuisse Abbatem Guntherum, innotescit ex Monumento in Joanne Humicello proferendo, qui Abbas ab Imp. Henrico VI. confirmationem omnium bonorum & privilegiorum consecutas est, quæ alii Imperatores & Reges eidem concesserant. Chartam protulit Muratorius Differt. XV. Antiquit. Ital. Medsi Ævi pag. 843, quæ cum signata sit eodem anno 1194., occasionem inde sumit Muratorius ibidem animadvertendi in Mabillonii verba hæc (quibus consonat Lubinus in notitia Abbatiarum Italiæ pag. 187.) in Annal. Benedict. pag. 859. *Hoc Monasterium a Conrado II. Imperatore solo aquatum fuisse tradunt*. Namque contendit Muratorius, non potuisse sub Conrado II., qui obiit anno 1039, ex eodem Muratorio in Annal. ad eumdem annum, solo æquari, cum præcitata Imperatoris charta privilegia Monasterii confirmans præteferat notam Chronacam anni 1194. Sed ex hoc diplomate non video, cur negari debeat eversio Monasterii hujus sub Conrado II, cum eo temporis intervallo, quod Conradum II. inter, & Henricum VI. intercessit, commode reædificari potuerit, quemadmodum & inter annos 1137. & 1148 iterum excitatum fuisse modo adnotabamus. Sed ut eo revertamur, unde digressi sumus, Guntherum alii deinde excepere Abbates ad medietatem Seculi XV., ejusque ultimus Abbas fuit Bartholomæus Averoldus, teste Rubeo in Elogiis Cl. Brixianorum pag. 192. Jure deinde (ut ajunt) Commendatario, quo dum hæc scriberentur, gaudebat Eminentissimus Cardinalis Angelus Maria Quirinus, Briaiæ Episcopus, quem præcipiti Apoplexi paullo ante nobis ereptum, quam hæc pagina typographo traderetur, piis eruditisque omnibus collacrymantibus, hodierna quoque die ingemiscimus. Inter alios, quibus illud olim Monasterium floruit, præclaros Abbates (præter celeberrimum Petronacem, de quo paullo infra incidet sermo) unus fuit Richerius, sive Richardus Brixianus, quem Casinenses Monachi anno 1038. a Conrado Rege, cui inprimis charus erat, sibi dari in Abbatem petieruot, ut est in Chron. Mon. Casin. Tom. IV. Rer. Ital. pag. 385.

ne alterius Herculani, sanctimonia celebris; qui per hæc tempora, anno scilicet DXLIX. (5) ex Monacho Benedictino factus fuit Episcopus Perusinus. Adeo autem a vero abhorret, monachali militiæ Herculanum nostrum nomen dedisse, illique Monasterio præfuisse, ut ab ipsomet Mabillonio Brixianus Herculanus ne nominetur quidem, nedum in Annalibus, sed neque in Seculis Benedictinis, ubi minoribus typis dubios etiam & adscititios a genuinis Benedictinos distinguit.

Sepulturæ locus in nostro Catalogo notatus est, nimirum in Campilione in Materno, qui est peninsula lacus Benacensis, ubi suam mortem obiisse fertur, atque ibidem, ut Patronus universæ Brixianæ Riperiæ occidentalis colitur pridie Idus Augusti. Sacra ejus Lipsana in Ecclesia Parochiali detecta anno MCCLXXXII. publicæ venerationi proposita, hac Epigraphe condecorata fuisse, testis est Rubeus in mſ. Historia ad annum MCCLXXXIII.

Cum Tridentinis pace confecta Brixia hic,
Ubi Divus Herculanus vitam
Sanctissimam habuit, sacram ædiculam extruxit.
Procurantibus Gerardo de Gambara, & Uldebrando
De Comitibus de Concessio
Riperiæ Præsidibus.

Deinceps anno MDLXXX. ex veteri arca translata sunt prope Altare princeps, eximia populorum frequentia, a S. Carolo Borromæo, opem ferentibus Francisco Cittadino, Castri Episcopo, & Jacobo Rovellio Salodiensi, Feltrensi Episcopo (6). Solemniori deinde pompa anno MDLXXXVII. die x. Maji, quæ incidit in Dominicam, Joannes Franciscus Maurocenus Brixiæ Episcopus reposuit in pretiosa arca marmorea (7), in qua insculpta fuit hæc Epigraphes.

Hic S. Herculani Episcopi Brixiæ, & Confess.
Magna miraculorum laude clari ossa quiescunt.

XX.

(5) Juxta Mabillon. Tom. I. Seculi Benedict. pag. 96.

(6) Giussanus in vita S. Caroli Borromæi lib. 6. cap. 7. pag. 287.

(7) Florentinius, & Ughellus novissimam hanc Translationem collocant ad annum 1586., eam nos posuimus anno sequenti nixi publicis Loci tabulis.

XX.

HONORIUS EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DXC.

AD MONASTERIUM SS. MART. FAUSTINI, ET JOVITÆ.

HErculani locum suscepit Honorius, qui in Ramperti sermone est XII. Faynus in Martyrol. VIII. Cal. Maji, quo die illius agitur festum, scribit, a prima ætate Religionis Christianæ doctrina imbutum fuisse, omnique virtutum genere ita profecisse, ut cælestem in terris vitam agere videretur; sanctitate demum & miraculis illustrem ad cælestes delicias migrasse. Hoc encomio, utpote ex conjecturis dumtaxat ducto, omnes ferme illorum temporum Episcopi exornari possunt, ut fuit, recitatis Fayni verbis, adnotatum a Bollandianis die XXIV. April. (1). Quod addit Capreolus, (2) Imperatorem, ob præclara Honorii merita, titulos Ducis, Marchionis & Comitis Brixianis Episcopis contulisse, a veritate quammaxime abhorret, cum ostensuri postea simus, seculis posterioribus eos titulos Italiæ Episcopis tributos fuisse. Nimirum nono labente Seculo Notingus omnium primus cœptus est vocari Brixiæ Comes, utpote qui Civilem simul & Ecclesiasticam Urbis politiam gessit. Primus autem Dux fuit Berardus Madius, qua de re suus erit postea loquendi locus. Cæterum Honorii Corpus colitur in Altari ejus nomini dicato in Ecclesia S. Faustini Majoris (3).



F XXI.

(1) *Possent hæc fere cuivis S. Episcopo adaptari*. Tom. III. April. pag. 276.

(2) Prope finem Lib. III. Patriæ historiæ.

(3) Varias Honorii elevationes recenset, Fayn. in Martyrol. die 24. April.

XXI.
RUSTICIANUS EPISCOPUS SANCTUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI DXCIII.
AD S. ZENONEM DE FORIS.

DUos hujus nominis Episcopos in sæpe laud. Sermone commemorat Rampertus: uterque a Baronio prætermissus, fortasse quia in Usuardi Martyrologio, cujus Sanctos in suum transtulit, non invenit, & reipsa in locupletissimo Solerii Usuardo (Part. I. Tom. VI. Junii Bolland.) frustra illos requires. Unde prætermissus etiam a de Aste loc. cit., & a Castellano commemoratus in Sanctis, Rom. Martyrologio additis, die v. Januar. Primus, quem hoc nomine insignitum honorat Brixiana Ecclesia, a Galesinio his verbis condecoratur ad v. Januarii diem: *B. Honorio ejusdem Urbis Episcopo cum successerit, pietatis Christianæ officiis Populum Brixiensem religione instruxit, omnique Episcopali virtute, & sanctitate florentissimus, quievit in Domino*. Ferrarius autem in Catalogo Generali Sanctorum ad eamdem diem (1) addit: floruisse sub Constantio (2) Ariano, & exulasse traditur; verum, rejiciendam esse hanc traditionem, ratio temporum certo probat; quamquam enim Ferrario concedatur, cognosci non posse tempus, quo Ecclesiæ præfuerit, illud tamen procul dubio liquet, multis post Constantium Arianum annis vixisse; nam a S. Gaudentio, quo vivente, ille adversus catholicam rem desæviebat, ad Rusticianum usque, sedère in hac Urbe undecim Episcopi, quapropter longe post Constantium hic collocandus est. Icciroo Ferrarius vapulat a Bollando hisce verbis (3): *Sed cum S. Philastrius, & S. Gaudentius S. Ambrosii ætate vixerint, qui potuit Rustisianus longe iis junior a Constantio Augusto proscribi?* Sacra illius lipsana coluntur die v. Januarii magna Populi frequentia in Ecclesia Parochiali

(1) In Catalogo Gener. Sanctorum, qui in Martyrol. Rom. non sunt, ad diem V. Januarii.

(2) In Ferrario loc. cit. legitur *Constantino*; sed omnino erratum.

(3) Tom. I. Januarii pag. 257..

chiali S. Zenonis ad Forum Nonii Arii, unde vulgare illud nomen: *Novarino* (4).

De cultus antiquitate, cum apud nostrates nullum reliquum dubitandi locum faciunt Litaniæ, quas olim Ecclesia hæc recitabat, inlatæ in sæpe citatum XI. Seculi codicem, inscriptum: *Ordo ad visitandum Infirmum*, in quibus Rusticianus invocatur una cum Faustino & Jovita, Apollonio, & Philastrio; tum apud alias Urbes, Ecclesia Canusii, exstructa anno circiter CMLXX. in honorem SS. Apollonii, Urficini, & Rusticiani: Martyrum quoque Mauritii, Alexandri, & Victoris; qua de Ecclesia paucis egimus in Apollonio, & Ursicino.

Ejus corporis inventio colitur x. Cal. Augusti in Martyrol. Fayni, de qua præstat adscribere integram Galeardi notam in citatis mss. ad idem Martyrol. *Inventionem hanc in veteri Ecclesia Cathedrali S. Andreæ factam, affirmat Faynus in notis ad hanc diem, at Florentinius in Catalogo ms. Episcoporum Brixiæ, ossa Rusticiani, ait, primum in S. Apollonii extra Urbem condita, multis post annis fuisse ad Parochialem Ecclesiam S. Zenonis in Foro Nonii Arii translata. Charta inventa in Capsa reliquiarum SS. Rusticiani & Silvini, & producta a PP. S. Joseph, quos Minores vocant de Observantia, in causa identitatis Corporis S. Rusticiani sic habet: Reliquiæ eorum* (Rusticiani nempe, & Silvini) *seu capita cum pectoribus fuerunt translata a loco, ubi primo sepulta fuerunt, ad Ecclesiam S. Andreæ, quæ erat in Monasterio S. Apollonii extra Brixiam, & ibi collocata*

 in

(4) Tottus habet: *jacet ad S. Zenonem*, præterea nihil. Vox illa *de foris* cur in nostro Catalogo appicta sit, vel quid innuat non satis assequor. Etenim Ecclesia Parochialis S. Zenonis ad plateam vulgo: *del Novarino*, quæ etiam nunc D. Rusticiani ossa possidet, solemnique pompa diem festum agit, nulla ratione vocari potuit *S. Zeno de foris*, si illud *de foris* accipiatur, ut indicet, sacram eam Ædem intra Urbis mœnia non comprehendi. Quandoquidem nullis Veterum monumentis constat, eam unquam fuisse positam extra Urbis Pomœria. Probabiliter illud *de foris* idem innuit ac *de Foro*, plurium pro singulari numero usurpato. Reipsa Templum hoc præteritis seculis nomen tulisse S. Zenonis *de Foro*, me docuit quoddam Monumentum die 22. Febr. anno 1417. compactum, in quo memoratur *Rector, & beneficialis Ecclesiæ S. Zenonis de Foro Cittadella Brixiæ*, ex Chartulario Capituli Cathedralis. Illud idem est in Compromisso, quo Clerus Brixianus se adstrinxit ad electionem Episcopi post mortem Martini anno 1275., ibi enim legitur: *Stefanus Presbiter Ecclesiæ S. Zenonis de Foro* (Apud Ughellum in nostris Episcopis pag. 548.), & apud Manhelmum in notis pag. LIII. Porro *Cittadella* vetus in priori monumento commemorata complectitur inter alia loca Plateam *Novarini*. Hinc vereor (quod obiter adnotatum volo) ne Fayn. Cæl. Brix. pag. 192. minus recte scripserit: *Ecclesia S. Zenonis de Arcis veteri, sive de Foro jam vocata, erat antiqua Parochialis .... nunc est ipsum Oratorium, nuper reformatum, retro Palatium Communis Brixiæ*. Nam plane constat, Oratorium a Fayno indicatum non ad *Cittadella*, sed ad *Quarterii* S. Joannis loca pertinere.

in quodam monumento subterraneo lapidibus quadratis, & expolitis, per manum artificis circumquaque ornato, sub Altaris S. Andreæ fundamento circa ann. Domini 1150.

XXII.
DOMINATOR EPISCOPUS SANCTUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI DXCV.
AD S. STEPHANUM.

Rusticiano successit Dominator, qui in Ramperti sermone XIV. est, & de quo nihil certi a majoribus nostris accepimus. In Totti msf. additur: *Ad S. Stephanum in Arce*, propterea quod Ecclesia in Arce Urbis posita D. Stephano protomartyri est sacra. Ex illa Ecclesia, in quam olim a vetusto S. Andreæ Templo illatæ fuerant, hujus Episcopi sacræ exuviæ (1) deportatæ sunt una cum aliis SS. hujus quoque Ecclesiæ Episcoporum Pauli, Anastasii, & Dominici, publica indicta supplicatione Cal. Novembris anno MDLXXXI. in eam Templi majoris partem, quæ S. Petro dicata erat, juxta publici Concilii decretum ante centum & amplius annos sancitum; S. Carolus Borromæus, Visitatoris Apostolici munere tunc fungens, non solum Translationem exequi curavit, verum etiam una cum Joanne Delphino Urbis Episcopo sacrorum pignorum onus suppositis humeris suffulsit (2). Templum vero illud S. Petri cum fuisset

(1) Ughellus plura hoc loci confundit, quæ innixi Galeardi auctoritate, atque ipsis monumentis consideratis, in huncmodum emendavimus.

(2) Exstat hujus Translationis publicum documentum supra ostium sacrarii SS. Corporis Christi in vetere Cathedrali, insignis nimirum picturæ, SS. quatuor Episcoporum translationem exprimens, hac addita inscriptione: *SS. Dominatoris, Pauli, Anastasii, Dominici hujus Sedis Episcoporum corpora ex Arce anno MDLXXXI a S. Carolo in Visitatione Apostolica, & Joanne Delphino Episcopo suis humeris translata, opposita contigit Ara, ex quibus tria capita, aliaque ossa ad Fidelium venerationem ann. MDCXXXIII. pio R. Jo. Baptista Bottani legato, argenteis imaginibus recondita in hoc Sacrario servantur. Societas SS. Corporis Christi Ara decentius renovata æternum hoc P. Monumentum anno salutis MDCLXVII.* Monumentum seu Tabulæ hujus Translationis exstant in Archivo Scholæ SS. Corporis Christi Ecclesiæ Cathedralis Brixiæ. In Actis autem Visitationis Apostolicæ, ab eodem S Carolo peractæ anno MDLXXXI., quæque exstant in Archivo Episcopali Brixiæ habetur pag. 60. hoc Decretum: *Arca SS. Pauli, Dominici, Dominatoris, & Anastasii, quorum corpora crasti-*

na

fuisset solo æquandum, translatæ iterum sunt anno MDCIV. die XVI. Februarii in Cathedralem, vulgo dictam *Rotonda*, ubi nunc eas veneramur Cal. Novemb. in Ara, olim sacra, non S. Justo, quemadmodum typographi errore legitur in Galeardi notis ad Ughellum, sed Justinæ Virg. & Martyri, quæque hodie Sanctiss. Christi Corpori custodiendo inservit.

XXIII.
PAULUS EPISCOPUS SANCTUS.
CIRCITER ANNUM CHRISTI DC.
AD S. STEPHANUM.

ETsi in Ramperti sermone Dominatori proxime collocetur Paulus, medium tamen eos inter fuisse, alium Episcopum, nomine Berticanum, affirmatum video cum ab exteris, tum a Brixianis Scriptoribus. Quid vero fuerit in caussa, cur silentio præteritus sit & a Ramperto, & ab Auctore nostri Catalogi, Galeardi potius verbis, quam nostris, innuere placet, ex notis ad Ughellum. *Hunc fortasse omisit Rampertus, quia Sanctos, & ven. memoriæ Episcopos recensens noluit eorum seriem Simoniaci, atque irreligiosi hominis nomine fœdare. Potuit etiam fieri, ut Berticanum siluerit Rampertus, quia jam tunc a Brixianæ Ecclesiæ Dypthicis exclusus esset. Præstat autem integrum S. Gregorii locum lib. IV. Dial. Cap. 52. hic apponere. Joannes quoque vir magnificus, in hac Urbe locum Præfectorum servans, cujus gravitatis, atque veritatis sit, novimus, qui mihi testatus est, Valerianum Patritium in Civitate, quæ Brixia dicitur, fuisse defunctum, cui ejusdem Civitatis Episcopus, accepto pretio, locum in Ecclesia præbuit, in quo sepeliri debuisset; qui videlicet Valerianus usque ad ætatem decrepitam levis, ac lubricus exstitit, modumque suis pravitatibus ponere contempsit. Eadem vero nocte, qua sepultus est, B. Faustinus Martyr, in cujus Ecclesia corpus illius fuerat humatum, Custodi*

na die ab Ecclesia S. Stephani in Arce ad hanc Ecclesiam transferenda sunt, tuto decentique loco constituatur, exornetturque, ac lapis marmoreus, in quo illorum Translatio patentibus litteris expressa sit, juxta locum sacrarum Reliquiarum collocetur, ad præscriptum Concil. Provinc. IV.

suo apparuit dicens: Vade, & dic Episcopo, ut projiciat huc fætentes carnes, quas hic posuit, quod si non fecerit, die trigesimo ipse morietur, quam visionem Custos timuit Episcopo confiteri, & rursus admonitus declinavit. Die autem trigesimo ejusdem Civitatis Episcopus, cum vespertina hora sanus atque incolumis ad lectum rediisset, subita & inopinata morte defunctus est (1).

Hactenus insignis ille Canonicus, cujus opinionem, si ratio operis exegisset, & aliis confirmavissemus exemplis, haustis ab hujusmodi Veterum Catalogis, quale esset illud Auxentii Mediolanensis Episcopi, ob infandam Arianæ hæreseos memoriam, in suæ Ecclesiæ veteribus Catalogis merito prætermissi, teste Papebrochio (2). Licet autem in laudato Gregorii loco Episcopi nomen sileatur, eum tamen fuisse Berticanum, recensitis a Gregorio circumstantiis, temporibus, quibus is fertur sedisse, prorsus congruentibus, valde redditur probabile. Ejus etiam emortualis annus ex Gregorio colligi potest, nimirum quingentesimus nonagesimus secundus, aut tertius; nam quo circiter tempore luctuosam hominis mortem litteris mandabat Gregorius, eodem quoque eam accidisse, non obscure ex eodem Capite inferre licet. Quippe Gregorio testatus est Joannes, vir gravis & verax, Valerianum, perditæ vitæ Patritium, in Urbe Brixia locum sepulturæ habuisse, in Ecclesia B. Faustini martyris ab Episcopo, propter pretium Episcopo solutum. Hinc eadem nocte B. Faustinus Custodi apparuit dicens: *Vade, & dic Episcopo, ut projiciat huc has fætentes carnes, quas hic posuit, quod si non fecerit, die trigesimo ipse morietur, & reipsa, cum visionem Episcopo confiteri timuisset Custos, subita & inopinata morte defunctus est Episcopus.* Constat igitur, omnia hæc contigisse paullo ante, quam Gregorius Caput illud conscriberet; cum vero, libros istos circa annum sui Pontificatus quartum, Christi vero DXCIII. elucubratos fuisse, testem habeamus ipsum Pontificem in multis ejusdem Operis locis, consequi videtur, Berticanum circa ea tempora decessisse.

Jam vero, ut revertamur ad Paulum, is est in Ramperti sermone Tertius hujus nominis Episcopus, iccirco ii omnes

(1) Eumdem Gregorii locum recitant Bolland. in sæpe cit. Comment. de SS. Faustino, & Jovita num. 12. Tom. II. Febr. pag. 808.

(2) In citata Exegesi de Episcopis Mediol.

nes corrigendi , qui Secundum eum vocant . Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, VII. Februarii die, affirmat, successorem fuisse S. Dominatoris circa annum CCCCL., quæ partim vera sunt, partim falsa. Verum est, Dominatori suffectum fuisse , at uno & amplius Seculo post annum CCCCL. Ad illius quippe tempora commode referri possunt turbæ illæ , quæ VI. labente Seculo Brixiæ excitatæ fuere adeo vehementes , occasione celeberrimæ trium Capitulorum quæstionis, ut nihil propius factum sit, quam ut , una cum universo Langobardorum Regno, Urbs hæc fœdo schismate laboraret . Etenim a Constantio in Mediolanensem Episcopum recenter electo exegit Brixianus Episcopus, ut (quæ erat illorum temporum consuetudo) si vellet ab eo in suam communionem recipi, eos damnaret , qui reprobabant tria illa celeberrima Capitula anno CCCCLI. in Concilio Chalcedonensi , ut ferebatur, reprobata , reipsa tamen nec approbata , nec damnata . Petitionis hujus certiorem cum fecisset Constantius, recens Mediolanensium Antistes, Rom. Pontificem Gregorium , responsionem hujusmodi habuit a Pontifice Constantius in Epistola , quæ est XXXIX. lib. IV. Indict. XII. (3) , ut ex una parte Constantium absolvat Pontifex a satisfactione petitionis Brixiani Episcopi ; propterea quod hoc non fuerat factum a suo Antecessore Laurentio, in unitate Catholicæ Ecclesiæ mortuo; ex altera vero, ne scandalum Brixiani paterentur, eidem commisit dumtaxat , ut Epistolam eis transmitteret , in qua sub anathematis interpositione fateretur , neque se aliquid de fide Chalcedonensis Synodi imminuere , neque eos, qui imminuebant, recipere , & quoscumque *damnavit*, *damnare*, & quoscumque *absolvit*, *absolvere* .

Ansam hinc videtur arripuisse Baronius aspergendi labe schismatis Episcopum , Civesque Brixianos (4); mihi tamen Gregorii verba consideranti hac labe non vitiatus videtur Episcopus noster ; etenim studio dumtaxat defendendi Chalcedonensis Concilii , cujus auctoritas eorum Capitulorum proscriptione violari putabatur ab omnibus ferme occidenta-

 libus

(3) Pag. 719. edit. Maur. , quamque Baronius retulit ad ann. 594. num. 2.

(4) In eamdem opinionem & doctissimi Gregorianorum Operum editores Monachi Congreg. S. Mauri adducti videntur in vita S. Gregorii præfixa Tom. IV. Operum Lib. II. cap. 12. pag. 245.

libus Ecclesiis, id potuit ipse exigere ab electo Mediolanensi Episcopo (5); vel inspecta Gregorii responsione, controversiaque melius animadversa, Brixianos, una cum Regina Theudolinda, quæ ipsis favebat, a prima discessisse opinione, & suum Metropolitam excepisse, dicendum est; & reipsa non amplius in numerum Defensorum trium Capitulorum, neque Brixianus Episcopus, neque quivis alius ex hac Urbe legitur in Annalibus Ecclesiasticis: neque in aliis ad Constantium datis epistolis mentionem fecit de Brixianis Romanus Pontifex (6).

Accedit etiam Rampertiani, nostrique Catalogi auctoritas, in quibus omissus profecto fuisset & hic Episcopus, si in criminis hujus venisset suspicionem; quemadmodum simoniaca fæce laborans neglectus fuit Berticanus (7). Quamobrem, Berticani prætermissa a Brixiana Ecclesia memoria, Pauli festivitas publico officio colitur VII. Idus Februarii in Cathedrali *Rotunda*, in quam ex Ara S. Stephani in Arce translatum fuit sacrum illius corpus anno MDLXXXI. S. Caroli Borromæi jussu & præsentia, una cum corporibus SS. Episcoporum Anastasii, Dominici, & Dominatoris, qua de Translatione egimus supra in Dominatore.

Adnotare postremo loco juvat, validum ex concertatione hac nostrum inter Præsulem, & Mediolanensem, desumi posse argumentum, quo evincatur, Brixianum Episcopum suffraganeum fuisse Ecclesiæ Mediolanensis, non vero Aquilejensis, qua de re videri potest tertium Dissertationis Procemialis caput.



XXIV.

(5) Hæc fuit etiam Galeardi opinio pag. 137. Libr. cui titulus: *Parere intorno ai Cenomani*.

(6) Observantibus etiam Maurinis loc. cit.

(7) Cum in hanc rem supra disseruerimus, non est cur eadem hoc loco repetamus.

XXIV.

PATERIUS EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DCIV.

AD S. EUPHEMIAM.

Paterium, ſive Atherium, illum eumdem eſſe, quem una cum aliquot aliis, morum caſtimonia litterarumque præſtantia, florentibus Monachis, ſecum ut vitam agerent S. Gregorius Magnus elegerat, opinio fuit Arnoldi Wionis Lib. II. de Ligno vitæ Cap. 28., cui adhærere videntur Ughellus in noſtris Epiſcopis, Bollandiani (1), Galeardus in notis ad Ughellum (2), & Faynus in M. tyrol. IX. Cal. Martii. Hoc ſi verum eſſet, haberemus profecto, unde copioſam hoc de Epiſcopo vitam contexere poſſemus; at ex altera parte ægre ferimus, nullum potuiſſe nos vetus monumentum expiſcari, quo Wionis, aliorumque ſententia probetur; ex altera vero, pugnat ipſa cum manuſcriptis Codicibus, quorum quanta ſit auctoritas, ſupervacaneum eſt oſtendere. Codices igitur, quibus Gregorianorum Operum, facta a Paterio, Epitome aut collectio continetur, quoſque multos inſpexerant nuperi Gregorii Editores, Monachi Benedictini, nullum præſeferunt argumentum, unde Epiſcopali dignitate, collectorem Paterium fuiſſe inſignitum, conſtare poſſit. At enim, inquit Faynus: *propterea in antiqua illius voluminis impreſſione nomen Epiſcopi tacetur, quia illud compoſuerit, cum adhuc tantum Monachus eſſet, & antequam Mitram Brixianam ab ipſo acciperet;* verum Epiſcopi titulus omiſſus cum fuerit in aliis exemplaribus, quæ plane multa exſtare, patet ex Maurinis, & Oudino in Commentario poſthumo de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad annum DC., cumque Be-

(1) Tom. III. Febr. pag. 249. & Tom. IV. Maji in S. Anaſtaſii noſtri Epiſcopi Commentario pag. 689.

(2) Galeardus tamen re maturius perpenſa videtur a priori ſententia deflexiſſe. Etenim in cit. notis margin. ad Martyrol. Fayni, argumentum a Fayno depromptum ex Epigraphe Operum Paterii editorum, quodque Faynus vocat aptum ad tollendam omnem dubitationem, ita irridet pag. 24. *Oh vere palmare argumentum, & Fayni criterio dignum!*

Beda, Sigibertus (3), Mabillonius (4), & alii Dignitatem hanc silentio præterierint (5), cæteris ejusdem muneribus, Notarii nimirum, & Secundicerii, non prætermissis, asserere non dubitamus cum Maurinis in Præf. præmissa Operi Pateriano edito in Append. Tom. IV. Operum S. Gregorii Magni, fidem Arnoldi Wionis, a quo in illam opinionem inducti fuere Bollandiani, & alii, valde hac in re esse dubiam. Hoc autem constituto, nihil aliud affirmare possumus hoc de Episcopo, nisi antiquissimum esse ejus cultum, non solum apud Brixianos, fidem facientibus nostris Catalogis, verum etiam apud Neapolitanos; namque in Calendario illius Ecclesiæ, facto extremo Seculo XII. ad diem XVII. Martii, ita est: *Patherii Epi. Confess.* Porro, eumdem esse, quem Brixiani venerantur, dubitare nescit Cl. Mazochius Tom. II. pag. 313. de Sanctorum Episcoporum Neapolitanæ Ecclesiæ cultu. Illius cineres olim jacentes in Ecclesia S. Floriani, translati postea fuere in ædem suo nomini sacram in pago S. Euphemiæ, Urbi proximo; tandem a Monachis Benedictinis Congreg. Casinen. recepti in Ecclesiam S. Euphemiæ intra Urbem, festumque agitur IX. Cal. Martii. Brachium priori loco fuisse relictum, scribit Faynus (6), quod an verum sit, prorsus ignoro; certe nulla ejus habetur ibi memoria, sicuti nec Ecclesiæ, quam idem auctor affirmat, in honorem S. Paterii fuisse ædificatam; quæ enim ibi exstat Ecclesia, est sub invocatione S. Mariæ ad Elisabeth.



XXV.

(3) Hi duo recensentur veteres Scriptores, in quibus Paterii Gregoriani mentio occurrit.

(4) In Annal. Benedictinis ad ann. 590. Tom I. pag. 198.

(5) Eamdem & nos scientes prætermisimus in vindiciis S. Gregorii Magni adversus Casimiri Oudini criminationes Cap. XI. pag 189.

(6) In Matyrol. die 25. Febr. pag. 29. Euphemianæ Ecclesiæ notitiam dabimus in Landulpho juniore.

XXV.
ANASTASIUS EPISCOPUS SANCTUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI DCX.
AD S. STEPHANUM.

PAterio S. Anastasius sufficitur, de quo id unum habemus ex Brixianis Scriptoribus, sibi creditam Ecclesiam, qua fuerat condecoratus, Africa peragrata, zelo evangelicæ prædicationis, mirabili eruditione ac virtute administrasse. Quod enim in Chronico Hispanico, sub Marci Maximi, Episcopi Cæsaraugustani, nomine edito dicitur, Christi Evangelium in Hispania prædicasse, eas inter fabellas recenseri potest, quibus Chronicum illud scatere jam fuit a Bollandianis observatum (1).

Sed illud a veritate abhorrere non videtur, quod ex Ridolfi Notarii historiola mſ., quam haud parvi esse faciendam in Apollonio ostendimus (2), colligitur, Ecclesiam nempe, olim Cathedralem D. Petri (3), ab eo fuisse ædificatam *pro mercede Arianæ Hæreseos*, de qua triumphaverat. Certum quippe est, Gothos ex Hispania in Italiam Seculo VI. irruentes, Arianæ hæreseos labem, qua fœdati erant, nostris hisce regionibus aspersisse. Unde creditu facile est, Catholicæ fidei puritatem a pravis eorum dogmatibus, Divini Verbi Consubstantialitatem impugnantibus, vindicatam ab hoc Anastasio fuisse. Sacra ejus memoria colitur die tricesima Maji in Cathedrali *Rotonda*. Cineres jacebant olim, una cum illis trium nostrorum Episcoporum, scilicet SS. Dominatoris, Pauli, & Dominici, in æde S. Stephani in arce Cycnæa: S. vero Carolus Borromæus, & Episcopus noster Joannes Delphinus amplissimo apparatu, solemnique cultu transtulerunt, suppositis sacræ sarcinæ propriis humeris, in eam Templi maximi partem, quæ S. Petro dedicata erat. Destructo vero eo Templo trans-

lati

(1) Tom. IV. Maji. pag. 690.

(2) Pag. 22. ubi verba Ridolfi dedimus huc spectantia.

(3) Duplicem olim apud Brixianos fuisse Cathedralem Ecclesiam, æstivam unam, quæ erat S. Petri: hyemalem alteram, S. Mariæ Majoris nuncupatam, animadversum est in S. Philastrio pag. 46.

lati sunt in Altare Cathedralis Rotundæ, olim dicato S. Justinæ, in quo hodie SS. Christi Corpus adoramus, anno MDCIV. ab Episcopo Marino Georgio, ut in ejus Commentario fusius enarraturi sumus. Interim satis erit adnotasse, harum historiam translationum relatam esse a Bollandianis ad diem xx. Maji, ex Catalogo manuscripto nostrorum Episcoporum Florentinii, a Fayno ipsis communicato (4).

XXVI.
DOMINICUS EPISCOPUS SANCTUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI DCXV.
AD S. STEPHANUM.

Sanctus postea Dominicus fuit suffectus. Hunc, opibus Theudolindæ Italiæ Reginæ, cui propter eximiam morum pietatem charus erat, multas restaurasse collabentes Ecclesias, Brixianorum est traditio: multumque in Ecclesiasticæ disciplinæ restauratione insudasse. Dicitur etiam sua in Ecclesia auctor recitationis Litaniarum, quas S. Gregorius Magnus paullo ante Romæ instituerat. Festum celebratur XIII. Cal. Januarii: Corporis vero Reliquiæ, una cum supra recensitis Paulo, Anastasio, & Dominatore repositæ sunt in Ara SS. Sacramenti Cathedralis Rotundæ, quam D. O. M. nuncupasse aliqui scribunt, quam nuncupationem Felici ejus Successori nos tribuemus. Veteri sane cultu, quo eum Brixiani prosecuti sunt, spoliare voluit Castellanus; namque xx. Decembris die laud. Martyrologii universalis (1) scripsit, Brixianos seculis posterioribus cœpisse hunc honorem *Dominico* tribuere, licet nullam habeant traditionem de die mortis, neque de hoc cultu, ut videre licet in Ramperto, apud quem nullum exstat sanctitatis Dominici vestigium. At hæc scribens non sibi constare mihi videtur; etenim a Ramperto perinde Dominicus, atque alii commemorantur, Philastrium si excipias, in cujus honorem habitus fuerat Ramperti sermo; nihilotamenminus ex iisdem omni-

no

(4) Tom. IV. Maji pag. 689.

(1) Pag. 644.

no loquendi modis, apud Rampertum, cultum elicuit Castellanus pro aliis, de quibus egimus, Episcopis nostris; quomodo ergo ex eodem Ramperti sermone cultus antiquitas Dominico præstiti in dubium vocari potest?

XXVII.

FELIX EPISCOPUS SANCTUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DCXVII.

AD S. FAUSTINUM AD SANGUINEM.

Dominicum excepit Felix, de quo multa, præclare gesta, Brixianarum rerum Scriptores comminiscuntur, paucis collecta a Bolland. VII. Calendas Martii (1), scilicet, annos circiter XL. feliciter Ecclesiam gubernasse: Flavii Andevaldi, & Theudolindæ Regum auxilio Templa (2) plurima erexisse, censibusque locupletasse:

(1) Tom. III. Febr. pag. 384.

(2) Inter hæc Templa recensent Brixiani Cathedralem, vulgo *Rotundam*, quam inædificatam fuisse putant a Regina Theudolinda, regnante Flavio Agilulpho, circa ann. 590., quo eum sibi matrimonio junctum, & Catholicæ Religioni conciliatum, ad Ecclesias instaurandas ipsa adduxerat. Templum vero fuisse sacratum ab hoc Episcopo Felice, recte conjici posse, affirmat Galeardus in Schedis Oratorii, ex eo, quod e regione Templi hujus erectum olim fuerit consecratumque Baptisterium, jubente eadem Theudolinda, temporibus Felicis, Brixiæ Episcopi, ut prodit duplex inscriptio, a Thadæo Solatio, & Prospero Martinengo, Brixianarum Antiquitatum observatoribus relata, in quarum altera exstat nota chronaca anni DCXVII., Felicis ævo conveniens; quas inscriptiones, etsi a Galeardo in notis ad Ughellum relatas, in Lectoris tamen commodum, ex citata historia ms. Octavii Rubei, hic describere non piget.

Prior: *Domina Nostra Flavia Theudolinda ædificare fecit hoc Baptisterium vivente Domino Nostro Flavio Agilulpho.*

Altera vero: *Domina Nostra Flavia Theudolinda consecrare fecit hoc Baptisterium vivente Domino Nostro Flavio Andevaldo sacra salutis Seculo CCCCCCXVII.* Male Faynus in Notis ad Martyrol. die 23. Febr. omittit C. annos. Non enim Flavius Andevaldus regnum tenuit ante annum DCXVI. Errorem, typothetæ oscitantia fortasse admissum, sustulit jam Galeardus in notis ad Ughellum Tom IV. pag. 531., ubi scite animadvertit, Sacellum, in quo Baptisterium erat positum, sub nomine D. Joannis Baptistæ, totius Langobardici Regni Protectoris, dedicatum, exstabatque sub initium seculi elapsi ad occidentalem ipsius Ecclesiæ majoris plagam in platea, quæ vulgo appellatur: *del Duomo*, paullo ante annum 1630. solo æquatum fuisse. Erat autem constructum extra Cathedralem, juxta eorum temporum consuetudinem, de qua plura videri possunt apud Josephum Vicecomitem, de Ritibus Baptismatis Lib. I. Cap. VI. p. 10., & apud Mabillon. in Itinere Italico p. 10. Quod vero Templi hujus, nempe *Rotunda*, structura ad Langobardorum tempora possit referri illud inprimis confirmat, a Galeardo etiam in cit. Schedis observatum, quod Ædes illa sacra, quæ unita Cœnobio S. Juliæ cernitur prope meridionalem viam, quamque a Langobardis Regibus, Desiderio & Ansa, conditam

tàsse: suis adhortationibus a Civitate auxiliares copias adversus Mahumetem obtinuisse: ejus denique opera factum, ut quem Lotharius, Langobardorum Rex Arianus, Episcopum, hæresi hac infectum, præfecerat huic Urbi, eumdem paullo post officio privaret. Pleraque alia narrantur ab aliquibus, quæ nullo veterum Scriptorum testimonio nituntur. Ex humili, in quo jacebat loco, in sæpe laudata S. Aphræ Ecclesia, die XXXI. Martii anno MDVIII. in nobiliorem, in capsa alabastrina, sublevatum corpus fuit, ubi ejus transitus memoria recolitur VII. Cal. Martii. Sacrarum vero ejus exuviarum exigua pars custoditur apud Moniales Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ, quæ olim, uti in Philastrio observabamus, ad PP. Humiliatos spectabat: aliaque parte gaudet Ecclesia S. Thomæ Veronæ, quam Thedaldus, Veronensis Episcopus, anno MCCCXVI. decimo Calendas Junias, quo eam Ecclesiam cultui Divino nuncupavit, in principe Altari recondidit (3).



XXVIII.

tam nemo jure in dubium revocaverit, ejusdem exhibeat antiquitatis faciem, quæ in Templo S. Mariæ *Rotunda* apparet. Illud autem animadvertisse operæ pretium erit, princeps hujus Templi Altare, odeumque ipsum recentioris videri structuræ, idque etiam ex eo potest colligi, quod dedicatum fuerit anno 1342., sedente Jacobo de Actis, a Petro Buduensi Antistite, ut est in Catalogo Episcoporum ms. Florentinii. Insuetum porro non esse, Altare majus ab ipsimet Ecclesia seorsum aliquando consecrari, jure ac merito colligit in citatis mss. Galeardus ex inscriptione hac, quæ conspicua cernitur in postica Januæ majoris parte Ecclesiæ Mediolanensis.

ARAM MAXIMAM MARTINUS V.
TEMPLUM D. CAROLUS
CONSECRAVIT.

(3) Apud Ughellum in Episc. Veron. Tom. V. pag. 866.

XXVIII.

DEUSDEDIT EPISCOPUS DOMNUS (1)

ANNO CHRISTI DCLXXIX.

AD S. PETRUM IN OLIVETO.

HIc poſtremus eſt, ex Brixianorum Epiſcopis, qui inter Sanctos numeretur, eſtque viceſimus poſt Philaſtrium. Fertur interfuiſſe anno DCLXXIX. Concilio Mediolanenſi, in cauſſa Monothelitarum celebrato, cui interfuerunt Inſubres Epiſcopi, quorum nomine exſtat Epiſtola Synodalis (2) ad Conſtantinum Pogonatum Imp. Sed procul dubio, eodem anno, aut ſequenti (3), præſens fuit Concilio Romano, propter eamdem cauſſam ab Agathone Pontifice habito, unde Patres hujus Synodi, Conſtantinopolim, ad Imperatorem, miſerunt libellum, catholicam fidem adverſus Monothelitas exprimentem, qui lectus fuit quarta Actione Synodi VI. generalis, Conſtantinopolitanæ III. Faynus affirmat, eum libellum fuiſſe a noſtro Epiſcopo ſubſcriptum ſine ſuæ Eccleſiæ titulo. Florentinius autem in Catalogo cautior ſcripſerat, id quod erat additum Eccleſiæ nomen, nobis injuriam temporum invidiſſe. Sed alicubi illud nobis ab injuria temporum ſervavit antiquitas: ſic enim Deuſdedit ſubſcriptio ſe habet in præſtantiſſima Conciliorum editione, quam infinitis pene uſi Codicibus nobis dedere, Coſſartius & Labbæus (4): *Deuſdedit Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Brixianenſis, in hanc ſuggeſtionem, quam pro Apoſtolica noſtra fide unanimiter conſtruximus, ſimiliter ſubſcripſi*. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ die x. Decemb. (5) aſſerit, eum interfuiſſe citatæ VI. Synodo, una cum aliis Epiſcopis 289., *quemadmodum ex Epiſcoporum ſubſcriptionibus apparet;* verum iſthæc ſubſcriptio cum ibi deſideretur, veriſimile eſt, Ferrarium cum iis Scriptoribus conſenſiſſe, qui VI. Synodo Conſtan-

(1) De hoc Domni titulo Vid. infra.
(2) Tom. VII. Concilior. Labbè pag. 595.
(3) Baronius eam Synodum fixit in annum 679., in annum vero ſequentem Pagius ſenior in Critica Baronii ad annum 679. num. 14.
(4) Tom. VII. Concilior. Labbè pag. 727.
(5) Pag. 767.

ſtantinopolitanæ adſcribunt, tamquam appendicem, ſupra commemoratam Synodum Romanam. Quamquam Ferrario non excidiſſet, noſtrum Epiſcopum Conſtantinopolitanæ Synodo interfuiſſe, ſi animadvertiſſet, eos Occidentis Epiſcopos in Synodo Romana conveniſſe, qui vel per ætatem, vel corporis morbum, vel itineris difficultates Synodo Conſtantinopolitanæ præſentes eſſe non poterant, qui fuerunt centum viginti quinque, quorum nomina ſubſcripta ſunt in fine citati libelli Synodalis Romani, qui Actione IV. Synodi Sextæ lectus eſt, ideoque eodem inlatus.

Jam vero apud Baronium, Faynum, de Aſte, alioſque multos agiographos: nec non apud Florentinium & Ughellum *Sancti* titulo, cujus memoria colitur die x. Decembris, inſignitus apparet: quo tamen deſtitutum exhibet pergamena noſtra, cui conſonat ſæpe citatus S. Petri liber, teſte Totto, cujus hæc ſunt verba in laud. mſ. *hactenus appellantur Sancti in libro veteri Bibliothecæ S. Petri in Oliveto*, & ad imam paginæ oram: *qui Domnus* (Deuſdedit) *appellatur in libro S. Petri in Oliveto*.

Ex hoc *Domni* titulo etſi dubium poſſet oriri, hunc Epiſcopum non omni veneratum fuiſſe cultu, quo olim Sancti colebantur, eximium tamen & ipſi fuiſſe attributum, innuere voluit Catalogi noſtri Confector. Namque apud Scriptores, qui labente latini ſermonis puritate ſcripſere, *Domni* titulo ii honorantur viri, qui eccleſiaſtica Dignitate, morumque caſtimonia fulgebant. Sanctorum autem cultu veneratus & ipſe poſtea fuit a Brixiana Eccleſia, a qua colitur IV. Idus Decemb. in S. Petro in Oliveto, ubi corpus requieſcit in Ara majori. Quando vero cultus hic renovatus fuerit, non ita facile ſtatui poteſt. Fortaſſe anno MCCCCLV., cum primum ejus corpus, una cum aliis SS. Epiſcoporum Pauli, Cypriani, nec non S. Evaſii martyris detectum fuit in Oratorio, apud ædem S. Petri in Oliveto (6). Namque cum in cit. vetuſtioribus Calendariis manuſcriptis, quæ ante XIV. Seculum ad hujus Eccleſiæ uſum conſcripta ſunt, ejus memoria deſideretur: cumque eadem inveniatur in recen-

(6) Hujus inventionis, atque elevationis Acta mſſ. acceperant Bollandiani a Fayno, eaque retulerunt in Tom. III. Aprilis pag. 619. Eam referunt ad annum 1453., at duobus nos facimus poſteriorem annis, innixi publicis monumentis Civitatis ab Em. Quirino producτis, uti animadvertimus in adnotatione ad Paulum X. Epiſcopum pag. 66:

centioribus, labente Seculo XV. conſcriptis, non alienum eſt a ratione, cultus hujus renovationem intra hujuſmodi limites coercere. Nullus autem huic novitati annus aptior illo videtur, quo ejus corpus in Ara Septemtrionem verſus ſpectante repertum & elatum fuit, atque in Altare Orientem verſus translatum. Præſertim cum ex prænomine *Sancti*, quod in ejus Arca litteris cubitalibus inſculptum legebatur, non levem Brixiani conjecturam ſumere potuerint, Epiſcopum eo titulo antiquitus decoratum, morum caſtitate & puritate doctrinæ ita inclaruiſſe, ut ſicut per Corporis elevationem, aut tranſmutationem, eum olim Brixiani venerati ſunt: ita, eumdem cultum renovari poſſe, arbitrati ſunt; atque adeo dignum eſſe, qui in ſacras Ephemerides referretur; quod ubi factum eſt, in cauſſa fuit, ut & ejus cultus in dies augeretur, & Baronius ipſe in univerſali Martyrologio nomen ejuſdem recenſeret.

Nec in Eccleſia novum eſt, ut obliterata alicujus Sancti memoria renovetur, atque inter univerſales Sanctorum Catalogos deſcribatur. Sane id contigit S. Popponi, Abbati Monaſterii Stabulenſis, Ordinis Benedictini; quem, licet medio Seculo XI. mira ſanctitate floruerit, tunc ſolum venerari cœperunt ii Populi, cum Baronius, præclara ejus acta nactus, illius nomen in Rom. Eccleſiæ Martyrologium retulit, die xxv. Januarii (7). Hinc jure ac merito in votis habuit Cl. Mazocchius (8), ut inter Divorum numerum Eccleſiæ Neapolitanæ inferretur Paulus, primus illius Eccleſiæ Præſul, poſtquam illius nomen invenit *Sancti* prænomine inſignitum in Calendario marmoreo Eccleſiæ Neapolitanæ, IX. Seculo inſculpto: atque Eminentiſſimo Archiepiſcopo Neapolitano, Joſepho Spinello, in Operis nuncupatione gratulatur, quod plures Sanctos Antiſtites Deceſſores ſuos deprehendiſſet: *quos primitus quidem majores noſtri ſacris honoribus proſequebantur*, (inquit Mazocchius) *poſtmodum, uti ſit, eorumdem cultum delevit oblivio*.

(7) Bollandus die 25. Januarii Tom. II. pag. 637., & Mabillonius Seculo VI. Benedict. Par. I. pag. 501,

(8) In Calendario marmoreo Neapol. detecto anno 1742. Tom. I. pag. 148. die 3. April.

XXIX.
GAUDIOSUS EPISCOPUS DOMNUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI DCXC.

Recensito Deusdedit, Ughellus & alii invexere quemdam Antigium, seu Ansiginum, cujus pulchrum elogium contexuit Ferrarius (1). Hunc anno 800., cum SS. Faustini & Jovitæ corpora ex æde eorumdem nunc dicta S. Aphræ, eo, ubi etiam nunc coluntur, transferret, inter orandum animam Deo reddidisse, quosdam, sed minus probabiliter, asserere, scripsit Florentinius. Nulla vero Ansigium, sive Antigium exhibent edita nec mss. probata monumenta (2), scilicet, neque Rampertus neque noster Catalogus; quare intrusionem subodorati Florentinius in Catalogo, & Coletus in notis ad Ughellum, a Ramperto non fuisse commemoratum scite adnotarunt. Et plane temporum ratio pugnat; quippe post Deusdedit ad annum DCCC., in quem translatio illa figitur, multos sedisse Episcopos dubitari nequit. Antigio igitur hoc, seu Ansigino, de nostra serie jure depulso, rectius sufficitur Gaudiosus a Fayno (3), consentientibus Ramperto & nostro Catalogo. Est igitur hic, Secundus hujus nominis, Brixianus Episcopus: quæ vero Ecclesiam gubernans gesserit, silentii tenebris obvoluta hactenus latent; imo, quod maxime mirum, ne ipse quidem sepulturæ locus cognitus est. Licet autem in nostro Catalogo *Domni* titulo ornetur, perinde ac supra laudatus Deusdedit, nondum tamen *Sancti* honorem ei tribuit sua hæc Ecclesia.

XXX.

(1) In Catalogo Sanctorum Italiæ pag. 709.

(2) Corpus S. Antigii quiescere in Æde S. Faustini scripsit Ferrarius loco citato pag. 710., sed hunc non fuisse Brixianum Episcopum jam deduximus ex citato ms. Adonis in Ursicino, quod affirmant etiam Bollandiani die 15. Febr. Tom. II. pag. 808.

(3) Cæl. Brix. pag. 25.

XXX.
RUSTICIANUS EPISCOPUS DOMNUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI DCC.
AD S. GERVASIUM, JUXTA S. ANDREAM.

DEfuncto Gaudiofo, electus dicitur Rufticianus, hujus nominis II., de quo filent omnino Annales: commemoratur tamen a Ramperto. Jacere ad S. Gervafium, juxta S. Andream, affirmat Florentinius in pervetufto indice, nullo tamen *Sancti* honore condecoratum. Addit Faynus (1), locum S. Gervafii fuiffe Oppidum eo nomine dictum; nam ibi etiam in Parochiali fepulturam habuiffe dicitur. Sed nobis videtur intelligenda quædam Ecclefia in Suburbiis pofita. Namque Ecclefia vetuftiffima, Urbis olim princeps, S. Andreæ facra furgebat extra Urbem, Orientem verfus, e regione Monafterii S. Juliæ: an autem proxime exftiterit Ecclefia S. Gervafio dicata, quemadmodum hic innui videtur, mihi prorfus incompertum. Ad Herimannum quoque (quod abs re non erit adnotaffe) in noftro Catalogo ponitur: *ad S. Gervafium*, abfque ulla tamen additione. Exftat in Suburbiis ultra Mellam, Occidentem verfus, fecundo ab Urbe lapide, vetus Ecclefia S. Gervafio facra una cum femidiruto Cœnobio, quæ a tribus circiter Seculis in Commendam conferri folet. Hanc Abbatiam opinatus eft Faynus (2) fuiffe Monachorum Vallis Umbrofæ, Ordinis Benedictini. Reipfa, hanc Congregationem Monafterium prope hanc Urbem habuiffe fub finem Seculi XII., colligitur ex privilegio eidem Congregationi anno MCXCVIII. conceffo ab Innocentio III., in quo inter ea Monafteria, quibus hujus privilegii ufus conceditur, recenfetur *Monafterium Brixienfe*. Hoc autem Monafterium pofitum fuiffe extra Urbem, & S. Gervafio confecratum, nullum reliquum dubitationis locum facit alterum privilegium, eidem Congregationi a Pafchali II. elargitum, atque

(1) Cæl. Brix. pag. 26.

(2) Cæl. Brix. pag. 180.

ab Alexandro IV. confirmatum, in quo inter alia hujus Ordinis Monasteria hoc enumeratur : *S. Gervasii de Brix. Diœcesi*. Illud idem repetitur in alio ejusdem generis privilegio, ab eodem Pontifice concesso anno MCCLVI., ubi tamen sive amanuensis, sive typothetæ incuria legitur : *S. Gennasii*; legendum quippe est : *S. Gervasii*. Sunt hæc privilegia edita ab insigni Joanne Lamio, in notis ad Chronicum Pontificium Leonis Urbevetani (3), inter Delicias Eruditorum, per eumdem Lamium collectas. Aliquid simile est in notitia Abbatiarum Italiæ Lùbini, verbo *Gervasium*; at vel Rusticianum II., vel Herimannum unquam ibi jacuisse, nulla traditione, nulloque documento firmare possumus.

XXXI.

APOLLINARIS EPISCOPUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCXXX.

QUI JACET MEDIOLANI.

Rusticiano defuncto, Apollinaris fertur datus Episcopus Populo Brixiano, quem gubernasse ab anno DCCXXIX. ad annum DCCLVI. affirmat Faynus (1). Octavius Rubeus in vita S. Faustini narrat, ab hoc Apollinari brachium S. Faustini Martyris, hujus Urbis Patroni, concessum fuisse cuidam Petronaci, ut Mons Casinus hoc sacro pignore ditaretur. Narratio hæc de S. Faustini brachio, Casinum a Petronace delato, nititur auctoritate veterum Scriptorum. Certum enim est omnibusque exploratum, floruisse per id temporis Petronacem quemdam Civem Brixianum, sanguinis splendore divitiarumque copia præditum (2), qui monasticam S. Benedicti vitam

(3) Pag. 239. 298. 304.

(1) Cæl. Brix. pag. 26.

(2) Petronacis gesta recenset Octavius Rubeus in libr. cui titulus: *Elogii Istorici di Bresciani* pag. 13. Ejus meminit inter alios Odericus Vitalis in Hist. Eccles., qui in eo corrigendus, quod scripserit, Petronacem fuisse suæ Patriæ Episcopum, nam de hac Dignitate nullum proferri potest monumentum. Socii Bollandiani inter SS. Catalogum eum recenseut die 6. Maii Tom. II. ejusd. Mensis, pag. 119., ubi Petronacis gesta accurate discutiunt. Vidimus

vitam amplexus; postea renuntiatus fuit Abbas Monasterii Montis Casini, quod penitus collapsum de novo restauravit jussu Summorum Pontificum Gregorii II. & III., eique duobus supra triginta annos præfuit, nempe, ab anno 718. usque ad annum DCCL. (3). Hunc autem Petronacem sacra Faustini Martyris Lipsana ad Montem Casinum transtulisse, certissimam facit fidem, inter alios vetustos auctores, Leo Marsicanus: *Hic Petronas*, inquit Lib. V. Cap. IV. Chronici Casinensis (4) *in Ecclesia B. Martini, quam parvulam reperit, sexdecim ferme cubitos auxit, ibidem absidam efficiens in honore B. Mariæ semper Virginis, & SS. Martyrum Faustini & Jovitæ, in ea Altarium statuit, in quo etiam & brachium unius illorum, quod secum de Brexia asportaverat, decenter recondidit*. Hoc sacrum Cymelium ipsi venerati sumus in Montis Casini Sacrario, ubi una cum pene innumeris hujusmodi sacris exuviis custoditur in vetustissima theca argentea, opere, ut videtur, Langobardico, his circumductis litteris:

in parte superiori

R. PATRONACIS
ABB. CAS. OPE. EX.
BR.
IXIA CASINUM DEVE.
NI.

in parte infima

S. FAUSTINUS MARTYR

Petronacem vero (quod obiter adnotatum volo) pari commutatione liberalitatis Os unius brachii Patriarchæ S. Be-

dimus in adnotat. ad Herculanum circ. annum 1035. alium Brixianum, Riccardum sive Richerium appellatum, Monachum Leneonensem concessum fuisse a Conrado II. Italiæ Rege Abbatem Casinensem, petentibus Casinensibus Monachis. Quare non est mirum, Petronacem virum præstantem ad eam dignitatem fuisse elevatum.

(3) Ita ex constanti veterum Abbatum Monasterii Casinensis Indice deduxit Mabillon. in Annal. Benedict. ad annum 750. Tom. II. pag. 140. Error igitur irrepsisse videtur in Epitomen Chronici Casinensis editum Tom. IV. Scripp. Italiæ pag. 367. ubi Petronacis regimen deducitur ab anno 752. ad annum 784.

(4) Tom. IV. Rer. Ital. pag. 258 Adnotare lubet ex Mabillonio in Annalibus ad annum 748. Tom. II. pag. 134. SS. Faustini & Jovitæ festum celebre fuisse *apud Casinates ab instauratione Monasterii per Petronacem Brixiensem, qui ex ea Urbe brachium unius illorum secum attulerat*.

Benedicti in Monasterium Leneonense attulisse, quod deinceps delatum in Brixianam Cathedralem, die S. Benedicto sacra, publicæ venerationi proponitur, commemorant omnes Brixiani Scriptores. De hac Reliquiarum permutatione vetustissimis iisque probatissimis auctoribus confirmata, historicam texuit demonstrationem laudatus Eminentissimus Cardinalis Quirinus (5), qua evincitur: *SS. Benedicti & Scholasticæ corpora* (sunt ejus verba) *nullo unquam tempore e Casinensi Cœnobio amota fuisse, ac proinde, fabulis esse accensendam, eorundem a mille & amplius annis in Gallias translationem.*

Præter hæc, de Apollinario nihil invenire potuimus. Corpus ejus Mediolani, ubi probabiliter occubuerat, jacere dicitur in nostra Pergamena, cui Brixiani omnes Scriptores assentiuntur: quo tamen Urbis loco, prorsus ignoramus.

XXXII.

ANDREAS EPISCOPUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCXL.

IN Apollinaris locum subrogatur Andreas, uno & ipse nomine cognitus ex omnibus Catalogis.



XXXIII.

(5) In binis Epistolis datis ad REVERENDISSIMUM P. BEDAM, Congreg. Benedictino-Bavaricæ PRÆSIDEM Generalem, Brixiæ die 15. Septemb. Anno 1753., & die 4. Febr. 1754.

XXXIII.

THEODALDUS EPISCOPUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCL.

ANTE REGIAM S. JOANNIS BAPTISTÆ.

POst Andream, in Episcopale fastigium provectum videmus, in iisdem Rampertiano & nostro, Catalogis, Theodaldum, quem anno DCCLX. electum dicit Faynus (1), ubi addit etiam, annum emortualem locumque sepulturæ a Scriptoribus omni silentio supprimi; Florentinius vero ponit, in vivis adhuc fuisse anno DCCLXII. Sed, obiisse anno saltem superiori, probabilius dici posset; quandoquidem, Benedictum Theodaldo suffectum fuisse Episcopum anno DCCLXI., mox dicturi sumus (2). Felicior fuit Florentinius in detegendo loco, ubi Theodaldus olim jacebat, scilicet prope Ecclesiam S. Joannis Baptistæ, quam arbitramur fuisse illud Sacellum, S. Joanni Baptistæ dedicatum, in quo erat fons baptismalis, ut diximus in adnotatione ad S. Felicem.

Regia autem porta, in notis ad nostrum Catalogum commemorata, significabat apud medii ævi Scriptores majorem Templi portam, quæ appellatio apud Populum Mutinensem adhuc perdurat, teste Murator. in Dissertatione LVIII. Antiquit. Ital. medii ævi (3).



(1) Cæl. Brix. pag. 26.

(2) Florente hoc Episcopo dicitur inædificatum celeberrimum hoc Monialium S. Juliæ Ordinis S. Benedicti Cœnobium ab Ansa, Desiderii Regis Uxore, quod olim S. Salvatoris nuncupabatur. Diplomata & alia monumenta ad ejusdem Cœnobii notitiam sunt indicata a sæpe laud. Astezato in Manhelmum pag. 14. Accuratam vero fundationis historiam litteris consignavit Malvet. pag. 845. Monumenta autem in lucem emisit præclara ejusdem Parthenonis monialis Angelica Baytella.

(3) Tom. V. pag. 6.

XXXIV.
VITALIS EPISCOPUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCLX.

THeodaldo fufficitur Vitalis, qui brevi intervallo Ecclefiam tenuit; idcirco ejus memoria pene eft in Brixiana Ecclefia obliterata.

XXXV.
BENEDICTUS EPISCOPUS
ANNO CHRISTI DCCLXI.
ANTE REGIAM S. MARIÆ.

VItalem inde excepit Benedictus, qui Ecclefiam adminiftrabat anno DCCLXI., ut liquet ex approbatione, ab eo facta, divifionis curriculi aquarum inter Presbyteros Ecclefiarum S. Defiderii, S. Joannis Evangeliftæ, & S. Euphemiæ. Approbationis chartam ex apographo vetufto, diligenter affervato in locuplete Tabulario Afceterii Monialium S. Juliæ, modo commemorati, edidit Murator. Tom. II. Antiquit. Ital. (1). Licet vero diffimulare nolimus, chronacam illius chartæ notam defiderari, ad illum tamen annum, ut referremus, binæ fecere a Muratorio ibidem commemoratæ chartæ anni DCCLXI., in quibus de deducendis aquæductibus ad Monafterium Sanctimonialium S. Juliæ agitur, quibus & ipfe motus fuit Muratorius, ut primam illam chartam confignaret ad dictum annum DCCLXI. Calculo attamen huic nonnifi probabilem tribui volumus fidem. Illud vero pro certo adnotare poffumus, hunc Benedictum, omnium fuiffe ex Brixianis Epifcopis primum, quem offendimus Monumenta volventes medii ævi, quæ in pofterum magno nobis ufui fore, magnæque utili-

(1) Pag. 408.

utilitati; lætari possumus. Ecclesia S. Mariæ, ante cujus Regiam, scilicet, januam præcipuam, sepulturæ mandatum fuisse Benedictum patet ex Catalogi nota, erat S. Mariæ Majoris, quæ nunc *Rotunda* appellatur, de qua consuli potest adnotatio prima in S. Felicem.

XXXVI.

ANSOALDUS EPISCOPUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCLXXIV.

ANTE VESTIGIUM S. PETRI IN OLIVETO.

HUnc Episcopum commemorat Rampertus in laudato sermone. Primum ubi suorum Antecessorum nomina recenset: deinde num. II. pag. 400., ubi narrat, fuisse divinitus cuidam Custodi Tituli S. Petri, gravem inflictam pœnam, eo quia depositionis diem Beatissimi Philastrii non rite celebraverat, quo loco non quidem *venerabilis memoriæ*, uti alios, sed *Sanctæ memoriæ* eum appellare voluit (1).

Ri-

(1) Hoc loco libet adnotare, etsi sejunctum est a re proposita, regnante Ansoaldo, Vallem Camuniam, Brixianarum Vallium longe celeberrimam, rerumque quamplurium maximopere locupletem sub Serenissimæ Venetæ Reipublicæ Dominium anno 1425. profectam, Caroli Magni jussu Monasterio S. Martini Turonensis in Gallia, ut illud a gravissimis ærumnis repararetur, addictam fuisse; quæ donatio peracta fuit in Concilio celebrato in Urbe Julia anno 786. Tabulæ donationis sunt editæ p. 65. T. IV. Thesauri novi Anecdot. PP. Martene & Durand. Donationis confirmationem per Carolum Crassum, Caroli Magni successorem iidem Patres antea publici juris fecerant Tom. I. pag. 49. illius Collectionis. Quod autem ea Provincia suppeditandis ad eam rem impensis potis foret, verisimile est tunc Carolum didicisse, cum anno 775. in Italiam redux illac transivit, ut constanter a majoribus suis se accepisse ii Populi referunt, & plura ad id confirmandum monumenta, quæ tamen verisimilia dumtaxat nobis visa sunt, commonstrant. Quæ autem de Idolorum superstitione Caroli Magni tempore eversa ipsi comminiscuntur, deque Templo eximio in Septemtrionali parte montana Numini Saturno nuncupato, cujus (ut ipsi dicunt) reliquias nos ipsi eo loci conspeximus, conveniunt omnino cum citata Ridolfi Notarii narratione. Loquens enim ipse de victoria, quam Raimus, Ingelardis Ducis Brixiæ miles adversus Folcorinum anno 779. in Valle Camunia consequutus est, strenui militis gesta ita prosequitur: *Erant adhuc in illa valle plurimi Pagani, qui arboribus, & fontibus victimas offerebant. In tempore usque Regis Ariberti imago Saturni magna frequentia venerabatur in Curte Hedulio, & cum præcepti Regis obbedientia non fieret, ne illa imago destrueretur, Ingelardus Dux Brissie misit armatorum manum, qui illam disperderunt in fragmentis. Raimo usus est eadem potestate, & omnes superstitiones Gentilitatis abstulit Caumoniis: & relicto Sichualdo Loci Servatore ad justitias faciendas, qui in Curte Rieno resedit, gloriosus Brissiam regressus est.*

Ridolfus Brixiæ Notarius, auctor historiolæ (2) complectentis ea, quæ sua in Patria, imperantibus in Italia Franchis, evenerunt ab anno DCCLXXIV. ad annum circiter DCCCLXXXV., hæc de Episcopo hoc prodidit: Erat Ansoaldus Frater Ducis Civitatis Poti nominati, qui filius Malogenis erat, fratris Regis Desiderii, cujus nomine, ut arbitror, Urbem administrabat. Cum Carolus Magnus Francorum Rex pleraque subjugasset Longobardorum oppida, quæ Desiderio subdita erant, Potus & Ansoaldus Carolum timentes, ut sibi & ditioni suæ consulerent, magnam vim militum compararunt. Quod ubi Carolus audivit, Ismundum unum ex suis Primatibus Brixiam mittens, huic Urbi, nisi Francis se dederet, eversionem minitatus est; Nuncius male exceptus fuit. Anselmus Nonantulæ Abbas, Ducem & Episcopum ad Francos adducere curavit. Hinc irascens Ismundus *omnes fines ferro* (verba sunt Historici) *& igne devastari, & homines quanti undecunque invenirentur in ore gladii mitti jussit, & appendere fecit impius in patibulo furcæ circiter mille Cortisianos prope muros Civitatis. De quorum miserabilis supplicii aspectu magno timore populus universus permotus est, & proclamare cœpit contra Potonem, Ansoaldum, & alios hujus belli consiliarios.* Hac & aliis de caussis factum fuit, ut Potus & Ansoaldus ad deditionem consilia referrent. Ismundum convenit Ansoaldus, & ditione cessit, sub quibusdam tamen conditionibus, quas postea Dux Francus atrociter violavit, etsi acceptas ante, & jurejurando firmatas. Hujus deditionis notitia Octavio quoque Rubeo innotuit, eamque, longe tamen aliter ac est in Ridolfo, retulit in Patria Historia mſ., quod nostra nihil interest; nullas enim suæ narrationis adducit tabulas. Quid vero Ansoaldo postea evenerit, incompertum habemus. Annus etiam, quo decessit, ignoratur; ignorari quoque sepulturæ locum, affirmat Faynus; at, eum fuisse ante vestigium S. Petri in Oliveto, est in nota Catalogo nostro appicta, cui consonat Florentinius in Catalogo.

XXXVII.

(2) Quantivis pretii habenda sit hæc Historiola ostensum est numero XV. Præfationis, & in Apollonio pag. 22.

XXXVII.
CUNIPERTUS EPISCOPUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCXC.
AD S. FAUSTINUM AD SANGUINEM.

A Florentinio Amphridus in locum Anſoaldi: at melius a Fayno & Ughello Cunipertus ſufficitur, quippe quibus auctoritas favet Ramperti. Annus, quo Cunipertus Brixianæ Eccleſiæ clavum acceperit, non reperitur. Quod affirmare poſſumus, eſt; ante annum DCCC., eumque non exceſſiſſe ex eo probatur, quod eo anno Succeſſorem habuit Amphridum, ut mox patebit. In quadam ſententia Lotharii Auguſti, filii Ludovici Imp., Mantuæ data XVIII. Cal. Febr. anno Ludovici Imp. XX., æræ vulgaris DCCCXXXIII. in favorem Rotaldi, Epiſcopi Veronenſis, fit mentio Cuniperti, Brixiani Epiſcopi, qui dicitur, olim commutaviſſe quaſdam res cum Volſino. Hujus Epiſcopi locum ſepulturæ incertum eſſe, tradit Faynus locis citatis: at ex notis ad noſtrum Catalogum liquet, fuiſſe in Eccleſia S. Fauſtini ad Sanguinem, ſcilicet, S. Aphræ.



XXXVIII.

XXXVIII.
AMPHRIDUS EPISCOPUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCC.
IN MONASTERIO SS. MARTYRUM FAUSTINI ET JOVITÆ.

CUnipertum consequitur Amphridus, quem Brixianarum rerum Enarratores, Monachum atque Abbatem Monasterii Leneonensis faciunt, quæ tamen res magna apud nos laborat suspicione. In mſ. enim illius Cœnobii Chronica, quam ex Monumentis, Seculo XVI. existentibus, Cornelius Ordinis Prædicatorum, qui nomine Jo: Francisci Mauroceni, Brixiæ Episcopi, illiusque Abbatiæ (uti vocant) Commendatarii, vicarias vices egerat, contexuit, nullus est Amphridio locus. Hic, æqui servantissimus, delectus fuit unus ex Missis Regis Italiæ, Pipini, Caroli Magni filii, nimirum ex Judicibus extra ordinem, sive extraordinaria facultate præditis, ab eodem Carolo Magno institutis, ut in Provincias mitterentur ad audiendas Populi querimonias, oppressamque justitiam reparandam; ita enim discimus ex hac citati Scribæ narratione: *Amphridius Episcopus cum Missis Regis Pipini una cum Regtnando* (1) *Episcopo Pisanæ Ecclesiæ, justitias fecisset contra Hutbaldum, ab ipso accepit turpem injuriam alaphæ. Indignans Amphridius profectus est Veronam ad Regem Pipinum, qui jactavit Hutbaldum de honore ejus, & posuit in locum ejus Ildoinum, Mense Octobre, Indictione* 8.

Itaque Amphridus sedebat in Brixiana Sede, mense Octobri, anni DCCC., cui Indictio VIII. consonat; sex deinde post annos e cœmeterio S. Latini ad S. Mariam in Sylva corpora SS. Martyrum Faustini & Jovitæ transtulisse, eoque loci enixe orando expirasse, & tumulatum fuisse, vulgata est apud Brixianos traditio: cujus fundamentum ex Epigraphe, tumulo insculpta, quamque ex Rubeo in Patriæ Historia mſ. hoc loci damus, repeti potest. *Intiere* (inquit Rubeus)

(1) Hic Regtnandus, Pisanus Episcopus, Ughelio ignotus, erit in posterum in Catalogo Episcoporum Pisanæ Ecclesiæ inserendus.

beus) *abbiamo lette ancora le parole dell' antico sepolcro del Beato Anfrigio: Hic jacet Beatus Amphrigius Episcopus, qui in orando coram Sanctissimis Faustino & Jovita animam Deo reddidit, & erano nella Capella del Crocefisso, oggi atterrata per la nova Fabrica della Chiesa*. An vero huic inscriptioni fidendum sit, aliis relinquimus judicandum. Nobis sat erit animadvertisse, ejus Translationis historiam, a Fayno in Italica SS. Faustini & Jovitæ vita (2) conscriptam, multis narratiunculis permixtam esse ab historiæ veritate abhorrentibus: atque a perturbatis fontibus derivatam, quos fontes innuisse videtur Rubeus dum loco cit. hæc scripsit: *questo è quel Beato Anfrigio, che confondendosi dagl' idioti con S. Antigio ha datto da vaneggiare a molti nel racconto di questa notabilissima trasportazione, e nel formarsi a capriccio la cronologia de' nostri Vescovi*.

Amphridii corpus nunc quiescit in Ecclesia SS. Faustini & Jovitæ, una cum Petro, Ramperto, & Adelmano, uti ex Epigraphe, in Ramperto commemoranda, patebit.

XXXIX.
PETRUS EPISCOPUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCCX.
AD S. FAUSTINUM IN MONASTERIO.

Petrus post Amphridum successit in hac Sede, procul dubio ante annum DCCCXXXIII. Quandoquidem in supra commemorato Lotharii Monumento dicitur: *datis, in recunpensatione Pacti prædictæ Brixianæ Ecclesiæ, congruentibus rebus & mancipiis, a Petro, quondam ejusdem Ecclesiæ Episcopo*. Imo, cum Rampertus se ei successisse affirmet, dicendum est, ante annum DCCCXX. Episcopatu cessisse ex eodem Ramperto, a quo *venerabilis* etiam *memoriæ* dicitur, & arte Medica facienda plurimum valuisse, affirmatur: quod Ven. ejus memoriæ nihil officere debet; Clericos enim Prælatosque tunc temporis, medicinæ studio, quo pro-

(2) Part. I. pag. 86. Part. II. pag. 2.

prohibiti postea fuere in Concilio Romano sub Innocentio II. (1), addictos fuisse, & gratia dignum habebatur & laude.

Eo nomine laudandus est, quod præcipua erga S. Philastrium devotione afficiebatur, cujus rei illud argumentum Rampertus affert, quod cum diuturna febri laboraret, nec ullo medicæ artis remedio morbum allevare posset, ad sepulcrum B. Philastrii venit, & ejus ope enixe implorata, ita improviso convaluit, ut nullus febrium rigor eum amplius corripuerit. Alias inter ejus virtutes elucet maxime mira animi constantia in coarguendo Lupolo, Supponis, Urbis Ducis, filio. Cum enim Lupolus, cæteroquin Petro propter bonam indolem carus, novercæ amore deperiret, exhortationibus atque minis vehementissime hominem exhortatur, ut amore adeo turpi se exuat; quod arbitror fuisse in caussa, cur Petrus, & in Supponis odium venisset. Narrat enim citatus Notarius, cui superiorem quoque notitiam acceptam referre debemus, quod *Suppo cum odio haberet Petrum Episcopum, illum accusavit apud Imperatorem Ludovicum, quod Bernardo Regi dedisset mala consilia contra ejus obedientiam, & testes protulit Petrum, Abbatem Nonnantulanum, & Odonem, Comitem Mantuæ; sed cum adisset Petrus ad præsentiam Imperatoris, testimonio maxime Anselmi, Archiepiscopi Mediolanensis, Innocens absolutus fuit indictione undecima*. Ob quam injustam accusationem Imperium Suppono fuit abrogatum, atque in ejus locum, teste eodem Auctore, suffectus Nautingus (2). Quæ res incidit in annum DCCCXVIII., cui in-

(1) Apud Baron. in Annal. ad ann. 1129. num. 9.

(2) Dissimulandum non est, hujus scribæ narrationem cum Annalibus Bertinianis minus convenire. Ad annum quippe DCCCXXIV. hæc habent Tom. II. Rerum Ital. Par. I. pag. 516. *Suppo, Dux Spolitanus, decessisse nuntiatur*, & infra: *Suppone apud Spoletium, sicut dictum erat, defuncto, eumdem Ducatum Adhalhardus, Comes Palatii, qui junior vocabatur, accepit. Qui cum vix quinque menses eodem honore potiretur, correptus febre decessit, cui cum Moringus, Brixiæ Comes, successor esset electus &c.* Accedit, hunc Supponem unum ex præcipuis fuisse, qui anno 817. prava Bernardi, Italiæ Regis, consilia Ludovico Pio Imperatori nuntiarunt, teste Muratorio in Annal. ad ann. 817. Tom. IV. Annal. pag. 104.; quocirca non mulcta, sed præmio affectum fuisse ab Imperatore, probabilissimum est. Sed nostri scribæ auctoritatem sequi magis placet; namque ex altera parte ab ipso res Patriæ: ab Annalibus vero Bertinianis hoc in loco res a Gallia longe dissitæ, peractæ narrantur; ex altera vero sua & ipse probatur vetustate, suaque fide, cum maxime conveniat cum Annalibus Italiæ, signatarumque indictionum fidelem sequatur rationem, ideo plurimum ei esse tribuendum, monitum est in Ansoaldo. Præterquamquod utrorumque narratio conciliari facile potest, si scribæ verba animadvertantur, quæ sic se ha-

indictio undecima consonat. Illius tempore (3) anno, scilicet, DCCCXVII. constat Annalium testimonio, absolutum fuisse judicium pronunciatamque sententiam adversus Bernardum, Italiæ Principem, eosque omnes, quorum Consilio Bernardus adversus Ludovicum Pium Imperatorem, patruum suum, Italos Populos tyrannico regimine opprimere moliebatur. Porro licet eo in scelere Anselmus, Mediolanensis Præsul, deprehensus sit, ideoque Synodali Decreto atque commemorati Imperatoris jussu, una cum aliis Episcopis, ejus criminis sociis, depositus Monasterioque mancipatus, ejusdem tamen testimonio noster Episcopus absolutus fuit. Suæ moderationis, quam ea occasione tentatam fuisse apparet, satis est hoc testimonium. Nihil præterea hujus de virtutibus vitaque, ex probatis monumentis, enarrare possumus. Sepulturæ mandatus fuit in eadem S. Faustini Majoris Ecclesia, ubi in hanc diem requiescere simul cum Amphrido, Ramperto, & Adelmano inscriptio, mox in Ramperto referenda, docebit.



XL.

habent: *Ludovicus ad suum Palatium, vocato Suppone, misit ad Regimen Comitatus Brissiani Nautingum*. Igitur reputans Imperator ex altera parte, Supponem difficiliter in posterum cum Petro Episcopo consensurum, ex altera vero pro beneficio sibi præstito vices Suppoui rependere volens, id consilii cœpit, ut eum a Brixiano Comitatu amotum ad aliud regimen promoveret; Cum autem Vvinegisius, Dux Spoletanus, decessisset, eam Provinciam Supponi nostro demandavit, ut est in iisdem Annalibus ad eumdem annum:

(3) Notarii nostri auctoritate, trita vulgataque corroboratur Epocha de Bernardi Italiæ Regis obitu, contra quam nullum non movet lapidem, ut persuadeat, anno 817. eum obitum contigisse, Astezatus Epistola in hanc rem edita; verum rationes ibi adductæ tanti nobis visæ non sunt, ut a communi sententia, per Muratorium in Differt. X. Tom. I. pag. 3. Antiq. Ital. splendidissima in luce posita, recederemus.

X L.
RAMPERTUS EPISCOPUS
ANNO CHRISTI DCCCXIX.
AD S. FAUSTINUM MAJOREM.

INde Petro cedente, Ecclesiæ administrandæ admotus, optimis disciplinis præditus, Rampertus, XL. Brixiæ Episcopus, uti ex ejus Sermone mox commemorando liquet. Anno DCCCXIV. regimen iniisse tradunt Faynus & Ughellus, quibus adhærere videtur Galeardus (1), innixi Epigraphe, insculpta gallo æneo, in summa Campanaria Turri Ecclesiæ SS. Martyrum Faustini & Jovitæ, ferreo stilo, e fragmento marmoreæ columnæ assurgenti, ita infixo, ut ventis circumagi queat; eam Epigraphem sic retulere Rubeus in vita SS. Faustini & Jovitæ, Ughellus, & Bollandiani: (2) *Domnus Rampertus, Episcopus Brixianus, Gallum hunc fieri præcepit anno D. N. VHV. XPI. M. octingentesimo, indictione 13., anno Translationis SS. decimoquarto, sui Episcopatus vero sexto*. Sed nostrum adjicere calculum non possumus ita sentientibus, propterea quod anno DCCCXVIII., Petrum ad hujus Ecclesiæ clavum adhuc sedisse, adducto Notarii testimonio, supra ostensum est: cui præ illa Epigraphe fidendum est, ex qua hodie in fragmento pennarum illius galli hæc dumtaxat legi possunt verba, in altero quidem: *Fieri Præcepit Anno D.*, in altero vero: *O Sexto*: quibus ex verbis, ne inanibus conjecturis agatur, quidpiam certi extundi nequit. Sed neque Seculo præterito (quo Rubeus, omnium fortasse primus, eam suis in scriptis publicavit) de claro ejus sensu constabat. Ipse enim Rubeus, loco supra commemorato, legebat: *indictione nona*, Ughellus vero, ex quo Bollandiani, & Galeardus: *indictione* 13. Quamobrem calculo neglecto qui ex ea repeti posset, dicimus: intra annum DCCCXVIII., & DCCCXXVII., quo Mantuano Concilio interfuisse mox dicturi sumus, Rampertum sacram hanc Provinciam subiisse.

Bri-

(1) In notis ad Ughel. pag. 535.

(2) Tom. II. Febr., pag. 808.

Brixianum alii, alii Gallum fuisse scribunt, pro neutra tamen sententia tabulis productis: secunda muniri posset conjectura hac, nimirum, inter eos Monachos præcitati Monasterii Augiensis, qui ad Episcopalem Sedem per varias Urbes fuere promoti nono Seculo, recensetur *Rampertus Episcopus* (3); infra vero patebit, aliqua commercii consuetudine cum Brixianis Cœnobitis Augiense Monasterium fuisse conjunctum. Rampertum autem induisse Monasticum cucullum Ordinis S. Benedicti, sub cujus regula Monasterium Augiense florebat, suaderi posset cum ex ardenti erga Monachos Monasticamque vitam studio, tum ex quibusdam verbis, quæ in Diplomate infra laudando occurrunt, exempli caussa, cum vocat Monachos *proprios intercessores*; sed hæc certam rem minime faciunt.

Certiora habemus in Ramperti laudem prodenda. Inprimis enim unus fuit ex illis Patribus, quos S. P. Eugenius Secundus jusserat sedere in Concilio Mantuæ collecto anno DCCCXXXVII., ut antiqua Episcoporum Italiæ jura, frequenti Barbarorum irruptione confusa, suis Dominis restituerentur. Maxentius, tunc Aquilejensis Patriarcha, postulavit, ut Ecclesiæ a Gradensi Patriarcha seu ab aliis occupatæ Episcopis, Aquilejensi Ecclesiæ antiquo jure pertinentes, restituerentur. At Venerius Patriarcha Gradensis, a sua Ecclesia minime esse amovendas contendebat, eo quod schismatis labe Aquilejensis Ecclesia esset vitiata. Sententia lata fuit in favorem Ecclesiæ Aquilejensis (4). Qua in sententia si quid Rampertus peccavit venia dignus est; quippe qui peccaverit una cum ipsissimet Ecclesiæ Romanæ Legatis, quos omnes fuisse deceptos una Pauli Aquilejensis Ecclesiæ Diaconi auctoritate, præter alios, ostendit doctissimus Tartarottus in Epistola de Episcopatu Sabionensi (5). Elapso decennio, hujus celeberrimi S. Salvatoris, sive S. Juliæ Cænobii jura & prædia examinavit vitæque genus Monialium ibi degentium jussu Lotharii I. Imperatoris (6). In sequenti anno, scilicet, DCCCXXXVIII. Beati Philastrii

(3) Exstat Monumentum Part. III. Tom. I. Thesauri Anecd. Pezii pag. 758.

(4) Hujus Concilii Acta habentur tum Tom. IX. Concil. Labbè pag. 659., tum in laudatis Monumentis Ecclesiæ Aquilejen. Cap. XLVII. pag. 414.

(5) Pag. 76.

(6) Hoc diploma editum fuit a Margarino Tom. II. Bullarii Casinen. pag. 23., & ex eo a Mabillonio Tom. II. Annal. Benedict. pag. 534. Sequuti autem sumus calculum Muratorii ex Tom. IV. Annal. Ital. pag. 869.

corpus ex Æde S. Andreæ transtulit in Ecclesiam S. Dei Genitricis Mariæ (7): qua occasione luculentum habuit sermonem (8), in quo & suorum Prædecessorum seriem contexit, & B. Philastrii egregia merita collaudat, & miracula, quæ tunc contigerunt, enarrat.

Sed quanta pietatis ac religionis laude huic Ecclesiæ præfuerit, satis superque vel ex eo intelligi posse docuit Galeardus in Præf. ad laud. Ramperti sermonem, quod *cum animadverteret collapsam divinorum officiorum disciplinam, eidem restituendæ Cœnobium ad Ecclesiam SS. Faustini & Jovitæ extruxerit, illudque multis prædiis ditaverit, accitis Leutgravio Abbate, & Hildemaro Monacho, quos e Franciæ partibus Mediolanum profectos, ab Angilberto Archiepiscopo ad se mittendos curavit, ut eorum doctrina & exemplo cæteros ad pietatem instrueret*. Hinc colligendum non est, Benedictinorum Monasterium, ad Ecclesiam SS. Faustini & Jovitæ (9) fuisse a Ramperto a fundamentis, ut nonnullis persuasum fuit, erectum. Namque multos ante annos, quam Rampertus id exequi mandaret, quod contigit anno DCCCXL., Benedictinos Monachos ibi degisse, liquido mihi videtur constare ex nominibus Monasteriorum, quibuscum societatem habebat eodem IX. Seculo citatum Augiense Monasterium, quorum index, teste Mabillonio, a quo e tenebris erutus fuit (10), scriptus est sub Rhebaldo Abbate Augiensi sub annum DCCCXVII.; nam in hoc indice ita legitur: *ex Monasterio S. Faustini Brixiæ, Georgius Aristulfus*.

Accedunt etiam verba Diplomatis in fundatione Monasterii a Ramperto expediti, mox proferendi, quæ exprimunt, in eum finem excitatum illud a Ramperto fuisse, ut *primum intentio Deo res suas dicantium cum augmentatione maneret*,

(7) Hanc ipse Ecclesiam vocat, Matrem Ecclesiam *Hyemalem*, qua de voce nonnulla congessimus in Philastrio.

(8) Hunc sermonem sæpe recusum imprimi denuo fecit Galeardus in cit. Collectione veterum PP. Brixianæ Ecclesiæ ad mss. Codices collatum, notisque illustratum, splendidaque Præfatione, ubi scite inter alia observat, Rampertum hoc opusculum conscripsisse morem sequutum illius ævi, quo celebriores hujusmodi Translationes, ab Episcopis aliisque summis viris, scriptis consignari solebant.

(9) Jam ab anno 820. Rampertus ad hanc Ecclesiam Campanile construi fecerat. Malvet. loc. cit. Appellabatur autem S. Mariæ in Sylva, quia surgebat prope sylvam arboribus consitam. Paucos deinde post annos, cum ad Septentrionalem plagam Urbis ambitus protenderetur, nova Ecclesia simul cum Monasterio fuit intra Urbis pomæria recepta; Malvet. loc. cit. pag. 861., atque in posterum cœpta fuit appellari: SS. Faustini & Jovitæ.

(10) In Analectis pag. 427.

neret , quam pervertere malum eſt . Deinde ut in Venerabilium domo Martyrum jugiter ac ſequenter divinum celebraretur officium, quod non tam noſtra, quam anteceſſorum noſtrorum memoria, adeo tunc ſolvebatur indocte , ut hoc uno nobis inſtaret periculum .

Inſtituta igitur, ope ac diligentia Monachorum, ſeu potius reſtaurata, Monaſtica diſciplina in novo SS. Fauſtini & Jovitæ Monaſterio , cum ad Angilbertum II. ambo illi Monachi reverti deberent (11), Rampertus e proximo Bergomate Monaſterio expetivit ab Haganone Epiſcopo Abbatem. *Virum honorabilem , & apprime Monaſticis officiis inſtitutum , Maginardum nomine*, *Presbyterum ac Monachum*, ut eum in prædictum Monaſterium Abbatem ordinaret; Ramperti votis morem gerens Hagano epiſtolam ei ſcripſit a Mabillonio editam (12): illius initium, utpote ea egregie confirmans, quæ de Ramperti zelo hactenus dicta ſunt, exſcripſiſſe non pigebit.

„ Dilectiſſimo, atque Rmo Fratri, atque Coepiſcopo Ramperto, ſervus ſervorum Dei Hagano æternam in Domino ſalutem .

„ Sanctitatis tuæ erga divinum cultum vigil piaque devotio , cum apud Eccleſiam Brixianam Religionem augere contenderet, Monaſterium ſtuduit aptiſſimo loco extra muros præfatæ Urbis , quo Beatiſſimi Martyris Fauſtini corpus quieſcit, conditum iri. His itaque piis æmulationibus tuis , Fratrum quoque & Coepiſcoporum favor comitatus ſuffragia opportuna non abnuit , inter quæ noſtram quoque humilitatem convenire voluiſti rogans , ut præsbiterum atque Monachum noſtrum , virum honorabilem , & apprime officiis Monaſticis inſtitutum , Maginardum nomine, concederemus, quatenus eum in prædicto Monaſterio Abbatem ordinares .

Conſtitutum Monaſterium pingui cenſu (13) ditavit , donatio-

(11) Teſte Mabillon. in Annal. ad ann. 840. lib. 32. num. 29.

(12) Cum in Analectis pag. 417. , tum laud. Annalium loco .

(13) Hujuſmodi cenſui comparando , cujus caput erat locus *Turbula* nuncupatus , ſeptem milliariis Occidentem verſus ab Urbe diſſitus , quique ſub eorumdem Monachorum ditione adhuc exſtat , multa aureorum millia enumerata ſunt in monumento Fundationis mox commemorando. Ex hac pingui donatione inferre licet, quantum abhorreret Rampertus ab eo more , quem eo circiter tempore natum ita deſcribit Muratorius Diſſert. 73. Antiq. Ital. Tom. VI. pag. 302. *Epiſcopi ſibi non raro Abbatias conferri curabant , quibus ſub ſpecie beneficii , aut commenda , ut nunc appellare ſolemus , fruebantur , dum vita fruerentur .*

nationemque tutam reddidit publicis tabulis, quas licet alibi editas (14), hic ex membrana vetustissima Archivi SS. Faustini & Jovitæ exscriptas recudimus, ne Lectores earum legendi cupidos cogamus alibi illas requirere, cum lectu dignissimæ sint:

„ In nomine patris & filii & spiritus sancti. Rampertus
„ indignus beate brixiensis ecclesie antistis. Notum per hanc
„ institutionem esse volumus cunctis pie matris ecclesie fi-
„ liis. quod cum nostra parvitas statum plebium ac xenodo-
„ chiorum canonice disponere vellet reppererit loca que
„ quondam monasteria ac xenodochia fuerant ordinata mise-
„ rabiliter destituta. Qua de re sollicitus mecum volvere
„ ceperim qua ordinatione non solum districti judicis anim-
„ adversionem aliquomodo evaderem. sed etiam pia edifican-
„ tium sancta intentione servata. pro multarum salvatione
„ animarum nobis aliorum daretur remissio peccatorum.
„ Hoc & forte sufragantibus sanctorum precibus exitum
„ perspexerit. ut in loco ubi sanctorum faustini & jovittę
„ martirum corpora quiescunt monachorum edificaretur ce-
„ nobium. Et cum super hujus negotii deliberatione admo-
„ dum hesitarem. clara sanctissimi nostri archiepiscopi alio-
„ rumque episcoporum & cunctorum potissimum deum ti-
„ mentium assertione hec pro multis deliberatio confirmata
„ deo revelante fuerit rebus. Primum ut intentio deo res
„ suas dicantium cum augmentatione maneret quam per-
„ vertere malum est. deinde ut in venerabilium domo mar-
„ tyrum jugiter ac sapienter divinum celebraretur offitium.
„ quod

(14) Tabulas istas, sive Rampertianæ donationis monumentum protulit Margarinus Tom. II. Bullarii Casinen. Sed Muratorius jure ac merito conqueritur, omissa in iis fuisse verba quædam profecto digna, quæ minime omitterentur, quæque ipse ex Membrana supplet Dissert. 70. Antiq. Ital. Tom. V. pag. 955. Laudanda sane Muratorii diligentia & sinceritas. At æque laudandus Canon. Galeardus, qui cum animadvertisset, non solum apud Margarinum, verum etiam apud Octavium Rubeum in vita SS Faustini & Jovitæ, quibus addimus & Faynum in eorumdem SS. Vita Part. II. pag. 8., idem monumentum mendosum ac mutilum, recudi fecit integrum ex Chartulario Monasterii SS. Faustini & Jovitæ, in sæpe cit. ad Ughellum notis pag. 533., viginti annis antequam quintus Antiq. Ital. Tomus ederetur, cujus Galeardi diligentiæ mentionem præterire non debebat Muratorius. Porro quæ magis animadvertenda verba a Margarino prætermissa dolet Muratorius ea sunt, quibus statuitur census libræ argenti Episcopo Brixiano a Monachis persolvendæ, quorum mentio *fortasse visa est aliena moribus nostrorum temporum*, inquit Muratorius, *ac propterea minime ab Ughello* (lege Margarino) *edita, ac suis tenebris relicta*.

„ quod non tam noſtra quam anteceſſorum noſtrorum deſi-
„ dia adeo tunc ſolvebatur indocte ut hoc uno nobis inſta-
„ ret periculum . Poſtmodum ut proprios haberemus inter-
„ ceſſores vel etiam quorum vita & exemplo . non ſolum
„ laicorum verum etiam clericorum vita ac devotio inſtrui
„ poſſet . Noviſſime vero ut nulla noſtris eſſet difficultas ſe-
„ culo abrenuntiare volentibus . quoniam hec ratio tepidis
„ adhuc mentibus tarditatem nonnunquam ad deum generat
„ convertendi . Denique cum noſtrorum fidelium & maxi-
„ me ſacerdotum ad hoc multorum ſaluti profuturum pro-
„ vocaremur opus . petere a ſanctiſſimo viro dño angelberto
„ archiepiſcopo fratres curavimus quibus hujus offitii curam
„ noſtra committere poſſet ſagacitas . Ipſe vero ut vir do-
„ ctiſſimus multorum affatim illuſtrationem deſiderans . &
„ non ſua ſed que ſunt ihu chriſti per omnia querens . con-
„ ceſſit nobis fratres ex francie partibus advenientes quoſque
„ ob illuminationem ſuę eccleſię inſolubili ſibi ſotiaverat
„ vinculo . leutgarium videlicet abbatem & hildemarum mo-
„ nachum quatinus ita nobis preſtarent adjutorium quemad-
„ modum illi nunc preſtant & ſemper preſtabunt quorum
„ vita atque doctrina plurimi hoc in regno illuſtrati eſſe
„ noſcuntur . Predictis itaque viris hujus operis curam cum
„ noſtrorum ſacerdotum conſenſu commiſimus . ea utique
„ ratione ut pro ſui defenſione ipſa congregatio quo quiete
„ atque tranquille ſuum deo perſolvere valeant votum . li-
„ bram argenti epiſcopo iſtius perſolvant eccleſię in beatiſſi-
„ morum fauſtini atque jovittę martyrum feſtivitate . ha-
„ beantque nichilominus ex ſe ipſis ſecundum ſue normam
„ profeſſionis licentiam abbatem ſemper creandi . Decrevi-
„ mus etiam ut ſi aliquis ſucceſſorum noſtrorum quod mi-
„ nime credimus aliquid ab ipſa congregatione ſupra quam
„ diffinitum eſt exigere quolibet modo voluerit . vel quamli-
„ bet inquietudinem facere ipſi temptaverit quicquid ab hac
„ die ipſi loco ſancteque congregationi datum fuerit vel
„ queque adquirere quolibet modo vel arte potuerint in eo-
„ rum perpetuo maneant jure . quatinus his libere utendo
„ & quem voluerint defenſorem habendo quiete atque tran-
„ quille votum deo ſuſceptum perſolvant . Nam ſicut propter
„ inquietudinem hinc eos exire cum ſuis omnibus permitti-

,, mus. ita si absque inquietudine & oppressione fuerint nisi
,, propter obedientiam uspiam ipsos ire non sinimus. Obte-
,, stor quapropter unumquemque successorum nostrorum co-
,, ram deo & christo ihu. ut nullam ipsis inquietudinem
,, fratribus ingerat. Quod si aliquid de his que ipsi congre-
,, gationi per hoc preceptum data sunt. quis diabolica frau-
,, de deceptus vel avaritie peste corruptus subtraxerit vel
,, aliquam perturbationem intulerit. maxime cum de his
,, unde episcopus vivere consuevit nichil datum sit ipsis
,, preter duas vineas que ipsorum prato adjacent propter
,, quas alias plantare precepimus. sciat se pro certo cum
,, his sanctis martyribus & cum his qui res suas deo dica-
,, runt. in districto dei judicio causas habiturum penasque
,, perpetuas luiturum. & merito quia sanctam sanctorum
,, devotionem decusque ecclesie pervertere minime timuit.
,, Hec igitur sunt que ipsorum fratrum utilitati concessi-
,, mus idest curam ipsius ecclesię & edificia & ortum &
,, pratum & omnia quæ circumdata sunt muro. & duas
,, supradictas vineas. idest campum melesi. & tabernula
,, cum torculari. & sabblonaria cum massariis & familia &
,, omnia sicut vassallus noster liuthfredus usque nunc in be-
,, neficio habuit. & monasteriolum sancti martini quod est
,, in vico qui dicitur turbulas cum omnibus que ad ipsum
,, pertinent. & casam sancti viti cum omnibus que ad eum
,, pertinent. & monasteriolum sancti michaelis quod situm
,, est in loco qui vocatur calsitius cum xenodochio sancti
,, nazarii & omnibus que ad eum pertinent. xenodochium
,, etiam quod est in loco qui dicitur campedellus cum om-
,, nibus que ad ipsum pertinent. & casam sancti eusebii
,, que est in monte boenne cum omnibus que ad ipsam
,, pertinent. Propter oleum vero ad luminaria ecclesię &
,, fratrum necessitatem dedimus quicquid de Walperto venit
,, de cuniculo & quicquid de Johanne venit de ausemo.
,, Dedimus illis silvam quæ dicitur ad montem. cum illis
,, hominibus qui ibi habitant. Concessimus etiam illis sortem
,, in montepiano unam locus qui nuncupatur villasca. &
,, alteram in monte digno ad vineas faciendas & lignaria
,, componenda. & secundum suam necessitatem & ut acci-
,, piant de ipso monte absque contradictione. Et concedi-

,, mus

„ mus eis in suburbano vico ipsorum unum quod deerat
„ massarium gisulsum nomine & omnia que per ipsum re-
„ guntur quod liuthfredus antea non habuit. Volumus etiam
„ ut in tegularia sancti faustini que est in loco qui dicitur
„ freores habeant licentiam terram cavandi tegulasque co-
„ quendi ad ecclesiam sanctorum martyrum cooperiendam
„ & monasterium continendum. Concedimus eis casam al-
„ tam cum omnibus que ad eam pertinent que Wichelenda
„ & lea filie Wiconis habent nunc post mortem ipsarum.
„ Hec vero sunt nomina famulorum quos illis concessimus
„ de ministerio. vitalis. audebertus. ursebertus. boniper-
„ tus. luvembertus. leopertus. gisulsus. De ministerio si-
„ cheradi vicedominis. leopertus. benedictus, rachipertus.
„ justulus. theodepertus. nigrius. De medulas. lupus.
„ martinus. item lupus. item martinus. De fasiano. leo-
„ pardus. martiolus. ursebertus. albutius. mascarellus.
„ Item de regiade. amatus. gisulsus. dominicus. leo. ur-
„ sus. ropertus. De luciago. leopertus. cagotius. gisem-
„ pertus. amso. andelpertus. Walpertus. Clerici vero.
„ graselpertus. & ursebertus. & fredebertus. & audeber-
„ tus. Ut igitur hec institutio firmior haberetur archiepi-
„ scopo nostro hanc optuli. quatenus suo ipsam confirma-
„ ret precepto. cum episcoporum ac suorum sacerdotum
„ subscriptione quamque odelbertum ecclesię nostre notarium
„ scribere jussimus & propria manu subscripsimus. ✠ Actum
„ anno dominice incarnationis. DCCCXLI. Anno etiam
„ imperii christianissimi hlotarii imperatoris vigesimo secun-
„ do. Indictione quarta die pridie Kalendarum mensis
„ junii.

„ Ego Rampertus indignus episcopus hanc institutionem
„ a me factam propria manu mea subscripsi.

„ Bilongus diaconus jussus a dño Ramperto episcopo ma-
„ nu mea ss.

„ Persus archipresbyter ex jussione dñi Ramperti episcopi
„ manu mea ss.

„ Audovi presbyter ex jussione dñi ramperti episcopi ma-
„ nu mea ss.

„ Ego constabilis presbyter ex jussione dõni ramperti epi-
„ scopi manu mea ss.

 „ Gi-

„ Gifempertus diaconus ex juffione dõni ramperti epifcopi
„ manu mea ff.
„ Lupus presbyter ex juffione dõni ramperti epifcopi ma-
„ nu mea ff.
„ Agimundus presbyter ex iuffione dõni ramperti epifco-
„ pi manu mea ff.
„ Simpertus presbyter ex juffione domni ramperti epifco-
„ pi manu mea ff.
„ Deufdedit presbyter ex juffione dõni ramperti epifcopi
„ manu mea ff.
„ Ego theodorus presbyter ex juffione dõni ramperti epi-
„ fcopi manu mea ff.
„ Pelprandus presbyter ex juffione dõni ramperti epifcopi
„ m̃ m̃ ff.
„ Lampertus presbyter ex juffione dõni ramperti epifcopi
„ m̃ m̃ ff.
„ Ropertus presbyter ex juffione dõni ramperti epifcopi
„ m̃ m̃ ff.
„ Vitalis peccator & inutilis diaconus juffus a dõno ram-
„ perto epifcopo ff.
„ Ego garipertus presbyter ex juffione dõni ramperti epi-
„ fcopi m̃ m̃ ff.
„ Agipertus diaconus ex juffione dõni ramperti epifcopi
„ m̃ m̃ ff.
„ Lovimpertus ultimus presbyter ex predicta juffione m̃
„ m̃ ff.
„ Adelradus diaconus ex juffione dõni ramperti epifcopi
„ m̃ m̃ ff.
„ Bonipertus minimus omnium diaconus ex predicta juf-
„ fione m̃ m̃ ff.
„ Bonipertus presbyter ex juffione dõni ramperti epifcopi
„ m̃ m̃ ff.
„ Ermenpertus fubdiaconus ex juffione dõni ramperti epi-
„ fcopi manu mea ff.
„ Adrepertus fubdiaconus ex juffione dõni ramperti epifco-
„ pi m̃ m̃ ff.
„ Lampertus minimus fubdiaconus ex predicta juffione
„ manu mea ff.

Mo-

Monachorum deinde ſecuritati conſultum ire volens amantiſſimus Præſul (propterea quod moleſtias Epiſcopi per ea tempora Monachis (15) inferre ſolebant) dedit operam, ut omnia Metropolitæ Mediolanenſis, qui tunc erat Angilbertus II., & Comprovincialium Epiſcoporum ſuffragio & auctoritate approbarentur confirmarenturque: quod feliciter factum eſt anno DCCCXLII. decreto ſolemni Synodali, Mediolani edito (16). En charta hujus decreti, ſive Placiti ex citato SS. Fauſtini & Jovitæ Archivo deprompta:

„ ✠ Angelbertus humilis beatę mediolanenſis eccleſię antiſtes. Notum eſſe cupimus cunctis chriſti dei noſtri cultoribus. quod confrater atque coepiſcopus noſter Rambertus cum ſuorum ſacerdotum aliorumque fidelium conſenſu. in loco ubi ſanctorum fauſtini atque jovittę martyrum corpora quieſcunt. monachorum edificavit cenobium. Super cujus perpetuo ſtatu inſtitutionem facere. ipſamque nobis ut noſtro roboraretur percepto curavit offerre. Et quia officii noſtri eſt non extinguere bonorum ſed magis magiſque accendere ſtudia. alacri devotione inſtitutionem quam jam predictus deo gratus epiſcopus nobis vero cariſſimus ideo edidit ut ſalva maneret intentio res ſuas deo dicantium. & in eccleſia nobili omnibus canonicis horis divinum perſolveretur offitium.. & ut nullam quis pateretur tarditatem ad dominum convertendi. firmare ac roborare hoc noſtre auctoritatis precepto curavimus. Eo videlicet modo ut nil amplius ab ipſa congregatione quam libra requiratur argenti. liceatque ei abſque ulla ſuperimpoſitione ſuſceptum deo perſolvere votum. habeantque

„ ni-

(15) Quod clare cum ex aliis, tum ex ipſo Rampertiano Monum. colligit Muratorius Tom. V. Antiq. Ital. pag. 985.

(16) Muratorius eam chartam tranſtulit in citatum locum Tom. V. pag. 986. ex manuſcripto Julii Galeardi, germani fratris Canonici Pauli. Porro Synodale hoc Decretum idem credo fuiſſe, ac Placitum Synodale, quod in hujuſmodi negotiis cogere olim ſolebant Epiſcopi, ut oſtendit de Rubeis in Monumentis Aquilejen. cap. 59. pag. 559. Donationem in eo Decreto approbatam Romani poſtmodum confirmavere Pontifices Calliſtus II. anno 1022., Stephanus IX. (per errorem apud Faynum loc. cit. Part. II. dictus X.) anno 1057., & Innocentius II. anno 1133. Placet etiam hic adnotare, eos inter Epiſcopos, qui Synodale hoc Decretum ſubſcripſere, inveniri Agamum quemdam Epiſcopum, qui non alius fuiſſe dicendus eſt, quam ille Bergomenſis Eccleſiæ Præſul in Ramperti vita commemoratus; unde illius Eccleſiæ Epiſcoporum emendanda ſeries, in qua ab anno dumtaxat 855. ſedem tenuiſſe dicitur. De quo plura in Synopſi Bergomen. Eccleſiæ a ſupra memorato Can. Guerino edita pag. 53., ubi vocatur etiam Agauno, ſive Hagannonus.

„ nichilominus licentiam de se ipsis semper abbatem crean-
„ di. Et si umquam aliqua inquietudo eis illata fuerit.
„ quicquid ab hac die ipsis datum fuerit. vel adquirere quo-
„ libet modo vel arte potuerint. in ipsorum sit potestate.
„ quatenus his libere utendo & quem voluerint defensorem
„ habendo. quietius deo valeant militare. Ut igitur institu-
„ tio sancti coepiscopi nostri predicti Ramperti a nullo suc-
„ cessorum ejus possit aliquo modo corrumpi. sed firma &
„ inconvulsa atque inviolata permaneat. per hoc nostre au-
„ ctoritatis preceptum eam firmare curavimus. canonice
„ proclamantes ut si quis eam violare temptaverit anathema
„ sit. Quod etiam andream ecclesie nostre notarium scribe-
„ re jussimus propriaque manu subscripsimus. Anno domi-
„ nice incarnationis. DCCCXLII. Anno etiam imperii chri-
„ stianissimi lotharii imperatoris vicesimo tertio. Indictione
„ quinta:—Angelbertus indignus episcopus confirmans sub-
„ scripsi. Ego aldigisus episcopus consensi & subscripsi. P.
„ Gratia dei Hagamo episcopus huic sacre sinodali Pragma-
„ tice manu mea subscripsi. ✠ Pancoardus episcopus ss.
„ Ermenfredus episcopus ss. Walfericus episcopus ss. ✠ Er-
„ chanbertus episcopus ss. Verendarius curiensis ecclesię epi-
„ scopus subscripsi.

Post hæc restauratum Templum, ut celebriori cultu frequentaretur, Sanctorumque Martyrum Faustini & Jovitæ sacra lipsana majori devotione colerentur: in idem ea Rampertus ex proxima Æde S. Mariæ in Sylva, Comite Urbis Villaredo, viro pio ac probo, transferri curavit. Rei memoriam posteris testatam reliquit cit. Adonis Reginæ Svecorum Martyrologium, in quo VII. Idus Maji ita legitur: *Translatio B. Martyrum Faustini & Jovitæ in Civitate Brexia facta a D. Ramperto, ejusdem Civitatis Episcopo, anno Incarnationis D. N. J. Christi D.CCC.XLIII. Indict. VI.* (17), qua occasione,

(17) Quod etiam fuit adnotatum a Bollandianis Comment. SS. Faustini & Jovitæ num. 14. Tom. II. Febr. pag. 808. Eam quoque Translationem ex vetustissimo Calendario Monachorum S. Faustini majoris Capreolus refert Lib. V. Histor. pag. 80., ubi merito carpit nonnullos, (inter quos recensendus est Malvetius pag. 808.), eo quod eam sub Antigio, sive Amphridio celebratam referat. Calendario per Capreolum commemorato consonat vetustum Martyrologium, relatum a Mabillonio in Annalibus Benedictinis ad annum 843. Tom. II. pag. 601. hisce verbis: *VII. Idus Maii Translatio BB. Mar-*

fione, ut frequentior effet atque utilior Populi concurfus, fertur promulgaffe anniverfariam peccatorum remiffionem, qua de fufius dicturi fumus in Joanne Flumicello ad annum MLXXXIX.

Paucis deinceps annis fuperftes fuit; licet Rubeus in mf., cui cònfonat Faynus (18), obiiffe referat die XI. Junii anno DCCCLII. At feptem circiter annis ejus mortem effe retrahendam, facile fuaderi poteft ex ejus Succefforis Notingi chronologia, qua, hunc ei ante eum annum fuffectum fuiffe, conftabit.

Illud poftremo adnectere placet ex teftimonio fupracitato Ridolfi Notarii, quod *ordinationem obtinuit a Gregorio Papa* (hujus nominis IV.) *ut in loco ignoto transferretur corpus Ritaldi Abbatis Leonenfis* (19), *cujus miraculis Monachi congregaverant magnam Thefauri copiam, fed Rampertus dicebat, illa miracula effe fcandala*. Sepulturæ mandatus fuit in ea, quam auguftiorem fecerat, S. Fauftini Majoris Ecclefia, ejufque tumulus fplendidior redditus anno MDXII.: variis deinde temporum incommodis labefactatus, laudanda Monachorum erga Patrios Epifcopos charitate, noftris hifce diebus reftauratus fuit, infculpta hac Epigraphe:

Amphridio Petro
Ramperto Adelmanno
Epifcopis Brixiæ
Monumentum
A Monachis pofitum
Anno æræ vulgaris
M.D.XII.
Ævo, & igne
Fere confumptum
Reftauratum
Anno M.D.CC.XLVI.

XLI.

Martyrum Fauftini, & Jovitæ in Civitate Brixia facta a Domno Ramperto Epifcopo ejufdem Civitatis anno Incarnationis Domini Noftri Jefu Chrifti octingentefimo quadragefimo tertio. Indictione fexta.

(18) In Cælo Brixiano ubi de Ramperto.

(19) Tertius hujus Cænobii Abbas, & Ludovici Imperatoris confanguineus, fi fides Malvetio, loco in Herculani commentario citato pag. 79.

XLI.

NOTINGUS EPISCOPUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCCXLIV.

IN CIVITATE PAPIA.

RAmpertum, cui male Rubeus loco cit. suffectum scribit Antonium, excepit Notingus, qui excelluit doctrina, sacraque præsertim in Theologicis disciplinis eruditione, cujus testis est Epistola mox citanda, quam Rabanus, Moguntinus Archiepiscopus, ipsi inscripsit. Ejus Sedis initium licet certo & perspicue statuere nesciamus, certe desumendum esse ante annum octingentesimum quinquagesimum tertium, quo fuit a Fayno (1) statutum, Tabulæ mox proferendæ indicabunt. Galeardus ipse hanc temporis anticipationem fuerat suspicatus: *Martyrologium Gallicanum* (2) *sub pridie Idus Octobris Notingi, Brixiensis Episcopi, meminit, qua die Translationem celebrat sacrarum reliquiarum S. Callisti I. Papæ & Martyris, inquiens, eas primum obtinuisse Notingum Brixiensem Episcopum a Sergio Papa, & in sua Brixiensi Ecclesia perhonorifice collocasse. Quod si res ita se habet, jam erat Pontifex circa annum* 845. *Cum Sergius Papa sedisset a mense Februario anni* 844. *usque ad Mensem Apri-*

(1) Cæli Brixiani pag. 28.

(2) Aubertus Myræus in Fastis Belgicis, & Burgundicis ad diem 14. Octobris, pag. 610. contentus fuit hæc scribere: *Ad Cisonium idem Everardus ex Italia corpus S. Calisti, seu Callisti Papæ, & Martyris attulit.* Martyrologii Gallicani, per Saussajum editi, ista sunt verba: *Natalis S. Calisti P., & Mart., qui Romæ Via Aurelia fame diutinn in custedia cruciatus, fustibus tasus ... Pontificatum magnifico inclyti certaminis tropheo consummavit. Hujus corpus deinde a Christianis hinc eductum, & religiose conditum Notingus Brixiensis Episcopus dono accepit a Sergio Papa, suaque in Ecclesia multo cum honore collocavit; at precibus compulsus Everardi Marchionis, id ipsi, de Italia benemerito, ob bellum adversus Saracenos fortiter gestum, pro eximio munere concessit. Et a quo in Galliam translatum, condecenti cultu Cysonii, cujus oppidi Dynasta erat, in Cœnobio, quod in tanti Martyris venerationem condiderat, repositum fuit anno Christi triumphantis* 855. *Ac paulo post, scilicet anno* 898., *quum Normanni Gallias miseranda strage vastarent, hinc, ne diriperetur ab infida gente, Remos transvectum a B. Fulcone Archiepiscopo, deinde Martyre, cum sacris S. Gibriani, & Sociorum ossibus reverenter susceptum, ac in æde Metropolitica S. Mariæ reconditum est, juxta corpus S. Nicasii, & B. Eutropiæ, ubi ad hæc usque tempora quiescit, multa cum nominis sui, quod hodierno ibi natali colitur, celebritate. Servatur tamen apud Bellovacenses in Suburbicario Cœnobio S. Quintini Brachium dextrum SS. hujus Pontificis, quod Ivo Abbas illius loci primus, postea Carnotensis famosus Antistes ex Ecclesia Remensi acceptum, illic cum debita honorificentia deposuit.*

Aprilis 847. Hæc Galeardi verba (3) postulare a nobis videntur, ut Caput hoc abs Tillemontio (4) vel leviter tactum, ex quo Cisoniensis, Rhemensis, Brixianæque Ecclesiæ Historia illustratur, quam maxima possumus diligentia, pertractemus.

Rem itaque perinde se habuisse, ac Sausajus loc. cit. exposuerat, Molanus quoque affirmat in Nat. SS. Belgii ad diem XIV. Octobris. At Sausaji sententia de corpore S. Callisti Brixiam primum a Notingo deducti, Tillemontio in eo, quem supra laudavimus loco, minus probatur; tum quia putat, eam conciliari non posse cum Fulcone: tum quia patet ex Ughello, Notingum Episcopum & Sergium Pontificem jam ab anno DCCCXLVII. obiisse.

Sed utrumque Tillemontianæ objectionis Caput nullum negotium nobis facessit. Namque ad Ughellum quod attinet, nusquam ille scripsit, Notingum & Sergium e vita excessisse ante annum DCCCXLVII. Sunt enim hæc omnino in utraque editione ejus verba: *Notengus Brixiensis Episcopus, cujus meminit Baronius anno* 853. *inde suspicor Brixiensi Ecclesiæ duos Notengos præfuisse*. Porro ultra annum DCCCXLVII. hunc Episcopum vitam produxisse, ex Monumentis infra citandis, clare constabit. Alterum vero Caput, cum mere sit negans, nihil fere apud eruditos viros obtinere debet. Non enim Fulco negat (5), Brixiam S. Callisti corpus deductum fuisse: sed solum affirmat, Everardum Comitem a Rom. Sede illud impetrasse, quod contingere potuit duplici modo: nimirum vel interposita Rom. Pontificis concessione, aut etiam auctoritate illud obtinuit a Notingo: vel Notingo ea conditione a Rom. Sede datum fuit, ut postea Everardo remitteret, qui bello Italico adversus Saracenos expedito, Patriam eo thesauro locupletare desiderabat (6). Rem ita contigisse, testem habeo locupletissimum Albericum Triumfontium (7), diligentem Seculi XIII. Historicum: *Ab hoc Sergio*

(3) In citatis ad Ughell. notis pag. 535.

(4) Tom. III. Hist. Eccles. pag. 252.

(5) Fulco Archiepiscopus Rhemensis in Epistola ad Rom. Pont. Formosum, cujus sensum conservavit Flodoardus seculi X. Scriptor in Histor. Ecclesiæ Rhemensis, ubi Lib. IV. Cap. I. prope finem (Tom. I. Biblioth. PP. Lugdun) dicit, Fulconem scripsisse Formoso Pontifici, *qualiter Everardus Marchio S. Callisti Papæ, & Mart. venerabile corpus a Rom. Sede impetraverit, atque in ejus honore Monasterium in prædio suo* (Cisonium in Belgio inter Tornacum, & Insulas) *constituerit*. Floruit Fulco sub finem Seculi IX.

(6) Everardi gesta recenset Tillemontius loc. cit.

(7) Editum a Pistorio Tom. III. Scriptorum Germaniæ ad ann. 844. pag. 63. Consonat Al-

gio (Secundo) *Papa*, inquit Albericus, *Notingus Episcopus Brixiæ Corpus Callisti Papæ impetravit, & ad suam Diæcesim transferens in Cæla aurea ad tempus reposuit*; de industria fuit ab Auctore posita restringens particula: *ad tempus;* namque ad annum DCCCLIV. hæc scripsit: *hoc anno Comes Eberardus* (8), *cognomento Rhodolfus, Dux Forojulii a Lothario constitutus, corpus Callisti Papæ ab Episcopo Brixiæ Notingo impetravit, & ad prædium suum apud Coronium Tornacensis Diœcesis attulit*. Quibus omnibus cognitis nimiæ confidentiæ notam apud Eruditos nos minime incursuros speramus, ex eo quod Tillemontii, magni profecto nominis viri, objectionem utramque nihil nobis facessere negotii dixerimus; atque constitutum manet, Notingum regiminis clavum accepisse intra annos DCCCXLIV. & DCCCXLVII.

Objici quidem posset Auctor Chronici Virdunensis (9), qui ad annum MXXVI. refert, Monachum & Abbatem S. Michaelis ad Mosam, Roma redeuntem, corpus S. Callisti P. M. e cœmeterio S. Valentini obtentum, in Patriam attulisse; verum neque Mabillonio (10), neque Calmeto (11) tanta visa est narrationis hujus auctoritas, ut translationem per Everardum ante ducentos & amplius annos factam in dubium vocarent; quocirca in aliquam fraudem eum Monachum inductum fuisse facile creditu est; quis enim amplius ambigere potest de priori translatione, tot confirmata Monumentis atque auctoritatibus? (12)

Con-

Alberico Auctor magni chronici Belgici, qui circa medietatem Seculi XV. inter Ordinis S. August. prope Nurciam Canonicos Regulares florebat, publicique juris facti ab eodem Pistorio loc. cit.

(8) Hunc fuisse Comitem Veronensem affirmat Marchio Scipio Maffejus Par. II. cap. 2. della *Verona Illustrata*.

(9) Apud Mabillon. in Analectis pag. 354., & in Annal. Bened. ad ann. 1026. num. 88.

(10) Mabillon. loc. cit.

(11) Calmet Histoir. Ecclef., & Civile de Lorroine Tom. I. lib. 9. pag. 1091.

(12) Præter citatos Flodoardum, Albericum, Magnum chronicum Belgicum, idem affirmant inscriptio sepulchralis, posita Everardo apud Tillemont. Tom. III. pag. 252., Colvenerius in notis ad Flodoardum cap. 6. lib. 2., vetustum Calendarium Corbejense editum a Dacherio Tom. II. pag. 65., ubi die 27. Aprilis recensetur *adventus Calisti Papæ, & Valeriani*, in quem locum advertit Bayletius in Vitis Sanctorum die 14. Octobris pag. 216., intelligendum esse diem, quo corpus S. Martyris receptum fuit apud Cisonium; nec omittendum ex eodem Saussaji, & Bayletii loco, Ivonem Carnutensem obtinuisse labente Seculo XI. ab Archiepiscopo Rhemensi Os brachii S. Callisti, unde Ecclesia sua ditaretur; quibus auctoritatibus & illud labefactatur, quod scribunt aliqui eum Enschenio Tom. II. Aprilis ad diem 12., atque Tom. II. Maii ad diem 10. pag. 499., S. Callisti Papæ corpus translatum fuisse per R. P. Innocentium II. circa Seculi XII. medietatem in Ecclesiam S. Mariæ trans Tyberim. Postremo tandem adnotare placet, nullam hujus facti mentionem occurrere in octo primis Galliæ Christianæ Voluminibus: etsi de iis Galliæ Ecclesiis, iisque viris, quorum meminimus, sermo habeatur.

Consuetudo pariter, quæ Notingum inter, & præclarissimum Galliarum lumen, Rabanum Maurum, Moguntinum olim Archiepiscopum intercessit aliud suppeditat momentum, quo ante statutum a Fayno tempus, Notingum fuisse Brixianum Episcopum invictissime evincitur. Consuetudine quippe illa factum est, ut ad Notingum daret Rabanus epistolam ab Ughello primum de Episcopis Clusinis (13) loquente publici juris factam, deinde a Sirmondo (14) ex variis Codicibus erutam: qua ex epistola habemus, Notingum, *cum ivisset ad Serenissimum Imperatorem Ludovicum in transitu expeditionis hostilis in Pago Loganæ* (15), nuntiavisse Rabano, se audivisse Monachum quemdam, Gottescalcum nomine, apud Eberardum, Comitem Forojuliensem, diversantem verba miscere non prius illic audita de gemina prædestinastione: altera Bonorum ad vitam: altera vero Malorum ad interitum, multis S. Augustini locis in eamdem rem adductis; quæ cum Rabano, & Notingo a Scripturarum veritate abhorrere visa essent, hoc inter eos captum consilium, ut Rabanus e divinis Scripturis, & Orthodoxorum Patrum sententiis aliquod Opusculum conficeret *ad convincendum errorem eorum, qui de Deo bono & justo tam nequiter sentirent*. Confectum Opusculum misit postea Notingo Rabanus una cum mox commemorata Epistola, cujus titulum, utpote Episcopo nostro, præter illius temporis morem, honorificum placet hic exscribere: *Viro Venerabili, & omni nomine dignissimo Notingo electo* (16) *Episcopo Hrabbanus in Christo salutem*.

Etsi vero nihil lucis mutuari possit chronologia Notingi ex illa, in Pagum Loganæ, Ludovici Imperatoris hostili expedi-

(13) Tom. III. pag. 592.

(14) Tom. II. Opp. pag. 985.

(15) Qui locus ea probabiliter est regionis pars Brixiam inter, & Veronam ad Occidentales Benacensis lacus ripas, ubi surgit vetus Castellum *Caldera* nuncupatum. Certe Diplomata Imperatorum non pauca, mox referenda ita signantur: *Datum Calderia feliciter*. Plura in hanc rem dici possent, quæ sciens & volens prætermisi, utpote facile obvia.

(16) Etsi dumtaxat *electus*, munera tamen Episcopalia, saltem aliqua obiisse dicendus est. Hujus rei alia in promptu habemus exempla v. gr. Arimannus noster Episcopus Ecclesiam S. Viti, ac prædia nonnulla, juris Brixianæ Ecclesiæ concessit Abbati S. Benedicti inter Padum & Lironem anno 997., quo nondum fuisse consecratum Episcopali Dignitate, sed solummodo initiatum, seu Electum suo loco ostensuri sumus: Jordanus etiam anno 1214. dicitur Episcopus Patavinus *electus* in iis Actis, quibus liquet plurima, quæ juris erant Episcopalis, ab eodem peracta fuisse. Tabulas dabit Joannes Brunatius in egregia, quam parat, Patavinæ Ecclesiæ historia, ex quamplurimis monumentis, majori ex parte nondum editis, deprompta.

peditione, propterea quod apud Scriptores veteres, recentioresve commemoratam invenire non potuimus: & in ipsa Epistola anni nota desideratur; nihilotamenminus ex materia, circa quam Opusculum, una cum Epistola missa Notingo, versatur, lucem aliquam accipere potest. Etenim cum Gottescalco disputationem, unde (17) *tot malorum, ac tempestatum caput ac origo extitit*, Notingus habuit anno, juxta Norisium, DCCCXLVII., eodemque anno Rabanum sollicitavit, ut aliquo Opusculo Monachum confutaret, quod perfecit anno DCCCXLVIII. Opusculo commemorato, ut putat Mabillonius cum in Præf. Part. II. Secul. IV. Benedict. Cap. 2. num. 140., tum in Annal. Benedict. ad hunc annum Lib. XXXIII. n. 70.: patet ergo, ante annum DCCCLIII. figendum esse initium Episcopatus Notingi.

Sed ais, argumentum hoc ad rem non est; etenim Notingum Rabani amicum non Brixianum, sed Veronensem fuisse, non uno confici potest momento. Illud primum est, quod Guillielmus Pastrengus, haud indiligens Seculi XIV. Scriptor in suo de Originibus Libro inter Rabani Opera istud recenset: *De Prædestinatione, & Præscientia ad Novergum Veronensem*, cui consonat ms. a Sirmundo editum vitæ Rabani, Auctore Rodulpho Presbytero: *de Præscientia &c. ad Notingum Episcopum Veronensem*.

Præterea ex eadem Rabani epistola habetur, hunc Notingum ad Imperatorem, per Loganam transeuntem, accessisse.

(17) Si Card. Norisio fides Cap. I. Synopsis Hist. Prædest. Tom. IV. Operum pag. 582. Quoniam vero de Card. Norisio sermo incidit, omittere profecto non possumus, quin Lectores admoneamus, nos plane fugere, quibusnam innixus Tabulis affirmare loc. cit. potuerit doctissimus Cardinalis, Notingum in Augustiniana palestra parum fuisse exercitatum; cum nullus adhuc innotuerit Notingi fœtus; neque ex collatione, quam cum Gottescalcho Notingum habuisse Rabanus prodidit, neque ex sæpe laudata Rabani ad Notingum Epistola extundi aliquid tale posse credo. Sed totus cum esset Norisius in Gottescalcho ab impacta de læsæ divinæ voluntatis nota liberando, in illis omnibus, quos in perturbata illa implicitaque historia sese immiscuisse, quosque in Monachi Gottescalchi opiniones non ivisse deprehenderat, nedum sibi visus est Augustinianæ Doctrinæ inscitiam videre, verum etiam Gottescalchi oppugnatores ita acriter excepit, ut vitio mentis ob effœtam ætatem diceret tribuendum, quod doctissimus Jacobus Sirmundus, octogenario major, Prædestinationis historiam, in qua Gottescalchus perstringitur, contexendam suscepit. At a Sirmundo non solum octogenario, sed etiam nonagenario saluberrima ad fingendos mores, ad studia instituenda, se accepisse, dum Parisiis versaretur, consilia, testatus est veritatis, si quispiam alius, cultor eximius Daniel Huetius in Comment. de rebus suis Lib. I. pag. 25. Illud idem, si esset opus, confirmare possem tum auctoritate vitæ Sirmundi, quæ exstat sub initium Tom. I. suorum Operum, cum argumentis, ab ipsa prædestinatiana historia ingeniose ac erudite pertractata, depromptis. Sed hæc obiter, neque omnino præter suscepti operis rationem.

fisse. Porro cum Loganæ locus intra Veronensium fines eo quoque tempore jaceret, vero est conformius Veronensem, minime vero Brixianum fuisse hunc Episcopum. Neque movere quemquam debet a Pastrengo scriptum esse: *Novergum*; sæpe enim hujusmodi vocum inflexionibus nomina tunc temporis exprimebantur, v. gr., Noterius & Notcherius idem erat. His argumentis persuasum se dicit Cl. Scipio Maffejus, ut a Brixianis, quibus in Epistola edita Tom. V. Ughelli (18) Notingum concesserat, repeteret: suisque Conterraneis citra ullam dubitationem postliminio restitueret in suo Opere: della *Verona illustrata* (19). Ad quam opinionem corroborandam accedere potest auctoritas Natalis Alexandri litem sub judice relinquentis (20), Sirmundi, Mabillonii, & Cavei, a quibus Veronensi Cathedræ tribuitur.

Nihilo tamen minus Brixianis esse postliminio reddendum nullus dubito. Etenim ex altera parte in nullo cum veteri, tum recentiori ad hanc usque diem detecto Veronensium Episcoporum Catalogo ullum recenseri hoc nomine Episcopum, pro certo habemus: ex altera vero non solum in omnibus Brixianis Catalogis recensetur, sed in aliis etiam Monumentis infra proferendis commemoratus invisitur Notingus Brixianus Episcopus. Quamobrem non erat cur, nostra quidem sententia, Maffejus deflecteret ab opinione, quam secutus fuerat in laudata Epistola, ubi opportune monuerat, virum doctissimum (Sirmundum scilicet) erroneam quamdam inscriptionem in laud. Rabani Epistola fefellisse, eamdemque arbitramur in errorem traxisse Caveum & Mabillonium inconsultis omnino rationibus.

Neque novi aliquid in citato Opere producit Maffejus; quandoquidem ad Pastrengum quod attinet, non video cur illi adaptari nequeat responsio, quam Sirmundo Maffejus ipse accomodavit. Ad conjecturam vero ex Notingi itinere ad Luganæ locum petitam, perfacilis est & expedita responsio: nimirum, Episcopos non solum illius Diœceseos, in qua Rom. Imperatores degebant, sed proximos etiam, & universæ ferme Galliæ Cispadanæ consuevisse eosdem Imperatores per Galliam Cispadanam transeuntes ire salutatum.

I Dein-

(18) Pag. 677.
(19) Part. II. Lib. II. pag. 36.
(20) In Differt. V. Secul. IX. §. 11.

Deinde Luganæ pagum intra Brixianorum confinia Seculo VIII. reputatum fuisse, suspicandi ansam mihi præbet citati Ridolfi narratio de Hunnorum invasione in Italiam regnantibus Franchis Imperatoribus facta; ait enim: *Septem anni cum essent evoluti posteaquam Sigifredus regebat Comitatum Brixiensem, mense Augusto, Indictione quinta Hunni Italiam invaserunt, & cum devastationes facerent usque ad fines Brissianos, ipse eis occurrit, & in Selva Lugana multos occidit.* Deinde Brixiani Episcopi limites eo usque productos olim fuisse verisimile facit Bulla Sum. Pont. Cælestini III. data IV. Idus Novembris an. MCLXXIV., qua ratam habere vult donationem quarumdam decimarum ab Episcopo Brixiano (Joanne Flumicello) factam Monasterio S. Georgii Montis-Clari Canonicis Lateranensibus S. Aphræ adjuncto, quas in loco Luganæ ad Brixianum Episcopum pertinuisse, quadam nostra Epistola Romæ edita ostensum est.

Responderi etiam posset, Luganæ locum a Rabano commemoratum non illum fuisse, quem Maffejus supponit, prope Veronam situm, sed alium a Verona longissime distantem, vulgo *Luganogovve*, in confiniis Trevirensis Episcopatus. Sed hæc interpretatio nimium longe repetita nonnullis videri posset, neque nobis necessaria. Satis enim superque Maffejanis objectionibus refutatis certum manere arbitramur, Notingum Rabani familiarem, non Veronensem, sed Brixianum fuisse Episcopum: quemadmodum inter alios (præter auctores Brixianos & Ughellum) confessus est versatissimus cum in aliis, tum in patriis historiis Card. Norisius in Synopsi mox commemorata historiæ Prædestinationis (21), & Muratorius in Annalibus Italiæ (22), atque Biancolinus in diligenti de Ecclesiis Veronensibus Opere.

Sed ut ad ea, quæ Notingus præclare gessit veniamus, rerum gerendarum exquisita eum valuisse dexteritate, qua Imperatoris gratiam maxime sibi conciliarat, nullum reliquum faciunt dubitandi locum salebrosæ, quas sustinuit Ludovici II. Imperatoris jussu, provinciæ. Inprimis cit. Ridolfi scribæ vestigiis insistentes, eum omnium primum ex nostris Episcopis ab eodem Imperatore creatum esse Brixiæ Comitem affirmamus, quam ei dignitatem demandatam fuisse

(21) Tom. IV. Operum pag. 582. (22) Tom. V. pag. 26.

ſe conjicimus anno DCCCLI., aut probabilius ſequenti DCCCLII. Ut id rectius colligamus altius rem oportet repetere, atque animadvertere quid prædictus Scriba narret. Ait hic, Mauringo ex Brixiæ Comitatu ad Spoleti Ducatum evecto, ſucceſſiſſe Villeradum ad illam adminiſtrandam Indictione III. menſe Majo. Juxta Annales Bertinianos Dux Spoletanus evaſit Mauringus anno DCCCXXIV. ſuffectus Supponi ſeniori, qui eodem anno obierat (23). Ideo anno ſequenti, in quem cadit Indictio III., Villeradus Comes creatus videtur. Hanc adminiſtrationem XXV. annos tenuit, eodem Ridolfo teſte: nimirum, ab anno DCCCXXV., ad annum DCCCL. Inter Villeradum & Succeſſorem ejuſdem, anni ſpatium forſitan interfluxit, neque hoc eſt inveriſimile; nam Ridolfus affirmat Villerado ſucceſſiſſe Iſelmondum menſe Novembri Indict. XV., nempe, Novembri vertente anni DCCCLI., cujus anni Sextilis initium dederat prædictæ Indictioni. Indicata Iſelmondi creatione, ſtatim ſubdit Ridolfus, eumdem Epiſcopo Notingo injurium, Imperatoris juſſu dignitate dejectum fuiſſe, Comitemque Notingum declaratum. Quæ a Ridolfo indiſtincte agglomerata, ſine mentione Indictionis, quæ ineunti Notingi adminiſtrationi congruebat: quæ, inquam, indiſtincte præter morem (nam in Comitibus antecedentibus Indictio continenter adnotatur) a Ridolfo glomerata ſuadere videntur, creationem & depoſitionem Iſelmondi, creationemque Notingi in eamdem Indictionem inciſſe, hoc eſt, aut labente anno DCCCLI., aut (quod probabilius) anno DCCCLII. vertente.

Ex noſtris igitur Epiſcopis, ut ſupra dictum eſt, Notingus primus fuit, qui titulo Comitis Civile Urbis dominium obtinuerit. Utrum vero ejus juriſdictio ad Urbem tantum & loca finitima ſe extenderet, an Agrum etiam complecteretur, definire non poſſum. Exempla quidem in promptu ſunt, quæ Muratorius exhibet (24), unde comproba-

 tur,

(23) Tom. II. Par. I. Rer. Ital. pag. 516. ubi Nautingus appellatur Mauringus. Suppo autem hic commemoratus intelligendus eſt ſenior, ut ab illo diſtinguatur juniore qui Spoletanis præfuit ab anno 871., quo dejecti fuere Lambertus & Guido antea Spoletani Duces, uſque ad annum 879. Vide Diſſert. VI. Tom. I. pag. 282. Antiquitatum Italiæ Muratorii.

(24) Diſſer. VIII. Tom. I. pag. 416. Antiquit. Ital. medii ævi: Comes autem dictus fuit juxta morem illius ævi Regum Carolingorum, ſub quibus Urbis Præfectus vocabatur promiſcue Comes, Dux, & Marchio; cum antea, ſub Langobardis nimirum, vocaretur *Dux*: Vide de Rubeis in citatis monumentis Aquilejenſibus cap. 51. pag. 459. & Muratorium loc. cit.

tur, morem Imperatorum Seculo VIII. cœptum obtinuiſſe: quo fiebat, ut Epiſcopis in Italia, una cum titulo Comitum, adminiſtrandæ permitterentur Urbes cum finitimis locis, eorum ditione modo intra I. II. III. aut IV. milliaria, coarctata: modo ad totum Agrum ſe extendente, ut uberius oſtendetur in Uldarico I. Scriba noſter nihil addit præterea, niſi Civilem, Notingi exemplo, poteſtatem tenuiſſe etiam Epiſcopos Ardingum, Gotfredum, Landulphum, Adelbertum, & Ulderіcum.

Hac Dignitate Notingo inſignito, ejus prudentia ac opera in difficilioribus expediendis cum Civilibus, tum Eccleſiaſticis negotiis Ludovicus II. Imperator uti cœpit. Itaque cum anno DCCCLIII. Leo Pontifex hujus nominis IV. indixiſſet Concilium Romæ celebrandum (25), in quo cognoſcenda erat cauſſa Anaſtaſii Presbyteri Cardinalis tituli S. Marcelli, qui Parochiam ſuam per quinquennium cum deſeruiſſet, revocatus diligenti ſtudio & humanitate in Urbem a Pontifice, non ſolum renuerat Apoſtolicis admonitionibus morem gerere, ſed etiam ambitionis œſtro percitus ad Ludovicum Imperatorem ſe contulerat, ut ejus auxilio ad Pontificatum, quem ambiebat, aditum ſibi muniret: Imperator prudentes viros ablegavit (26), qui ejus nomine Concilio intereſſent, omnique depoſito partium ſtudio, vera ne eſſent, quæ ſibi inſuſurraverat, perque Aulam diſſeminaverat Anaſtaſius, accuratiſſime inveſtigarent: & ii fuerunt quatuor Epiſcopi, quos inter Notingus noſter; reque in Concilio diligentiſſime examinata, communi Patrum Decreto, gradu amotus, ſanctaque Communione privatus fuit Anaſtaſius. Cum vero Pontifex Ravennam ſe contuliſſet, ut degentem ibidem Imperatorem alloqueretur, juſſus fuit ab Imperatore Notingus, una cum Aldigiſio Comite, ut *revertentem ovem*, ſcilicet, Anaſtaſium conſpectui Paſtoris repræſentarent. Sed quacumque adhibita Imperatoris, Oratorumque diligentia, ad bonam frugem redire cum reſpuiſſet, anathematis vinculo, Sacerdotum conſenſu, opemque ferente Notingo, adſtrictus fuit. Ravenna Romam rediit Pontifex, ubi ſua in perfidia obfirmatum Anaſtaſium a *Sacerdotali miniſterio modis omnibus removit*,

(25) Ex Baronio ad annum 853. num. 33.

(26) Vocati ſunt Miſſi Imperatoris, juxta eorum temporum mores.

movit, ſententiamque confirmavit una cum LXVI. in Concilio ſedentibus Epiſcopis, inter quos recenſetur Notingus noſter (27).

Aliud ſub idem tempus fuit ei impoſitum perdifficile munus ab eodem Imperatore. Epiſcopi Senenſes, & Aretini multas inter ſe habebant ſimultates. Concilium ad illas finiendas Romæ coram eodem Imperatore celebravit Pontifex anno DCCCLIII. (28). Diſcedens autem a Concilio Imperator reliquit penes Pontificem, ut ſuo nomine Actis intereſſent, Joſephum Archicapellanum, Angelbertum Archiepiſcopum, Notingum Epiſcopum, Adſcalcium Comitem: pronuntiatæque pro Senenſi Epiſcopo contra Aretinum ſententiæ ſubſcripſit poſt Archiepiſcopum Mediolanenſem *Notingus Epiſcopus Brixienſis* (29).

Poſthæc legationem obiit, juſſu ejuſdem Imp. Ludovici, ad Ludovicum Germaniæ Regem Imperatoris Nepotem, in Civitate Ulmæ degentem, anno DCCCLIX. De legatione hac a Muratorio commemorata (30) nihil aliud invenire potuimus, niſi Comitem Eberardum datum fuiſſe Notingo ſocium.

Imperatoris gratia fultus, Eccleſiæ ſibi traditæ jura extra ſuam Diœceſim protendere cupiens, ædificare fecit in flumine Mincio quoddam opus, ut ex piſcationis fructibus, ad Bobienſe Monaſterium ſpectantibus, aliquid emolumenti ſua Eccleſia perciperet, quo deinceps Imperatoris Ludovici Decreto edito anno DCCCLXV. ſpoliata fuit (31).

Hoc anno aut ſaltem ſubſequenti Notingum obiiſſe credimus: ſic enim Ridolfus Scriba noſter proſequitur narrans: cum inter vivos eſſe deſiiſſet Notingus, Bertarius ſuſcepit regimen hujus Comitatus *menſe junio indictione decima tertia*. Cui indictioni poſt annum DCCCLII. (quo anno Comes Notingus, ut ex rationibus ſubductis ſupra conjecimus, declaratus eſt) reſpondet annus DCCCLXV. Hujus rei fidem facit Scriba pergens in hunc modum: *Cum Ludovicus*

 Imp.

(27) Apud Baronium ad annum 853. num. 34. & ſeq., & apud Labbè Tom. IX. Concilior. pag. 1145.


(28) Juxta Muratorii calculum in Annal. ad hunc annum, cujus laboribus Concilii hujus notitiam, & Acta debemus inlata in Tom. VI. Antiquit. Ital. pag. 389.

(29) Tom. VI. Antiquit. Ital. pag. 396.

(30) Tom. V. Annal. Italiæ pag. 50.

(31) Colligitur ex Diplomate Ludovici Imp. dato Non. Octob anno 865., ubi ut Monaſterio Bobienſi illud jus reſtituatur, decernit. Diploma eſt in Epiſcopis Bobien. Ughelli Tom. IV. pag. 963.

Imp. promulgasset edictum mense septembri, indictione XIV. Cum vero Ludovicus II. unum tantum generale Edictum, quod sciamus, contra Saracenos publicaverit, hoc ipsum videtur Scriba innuisse. Revera assignatur mensis September indictioni XIV., quæ anno competit DCCCLXVI. juxta Pisanorum calculos, de quibus aliqua in Villano Episcopo nostro adnotabimus. Excipit quidem Edictum senes, unicosque in familiis filios, excipit quoque alios quosdam, neque omnes laicos ad arma cogit: at turbæ seditioni proximæ in Urbe obortæ indicant, Bertarium qui Urbi preerat, Imperatori gratificari cupientem, vim Edicti in majus extulisse. Utcumque res fuerit, Ridolfi narratio compertum facit, paullo ante memorati Decreti publicationem, Notingum decessisse. Hinc obitum ejusdem validis momentis ducti adscripsimus anno octingentesimo sexagesimo quinto: postquam, scilicet, Episcopus diu suo gregi præfuisset, eumdemque temporali etiam ditione XIV. aut XV. annos gubernasset. De loco ubi corpus jaceat, nihil a Scriptoribus traditum inveniri affirmat Faynus: ast invenisset sane si alterum illum Notingum a Florentinio quoque & Ughello admissum ad annum DCCCCXL., exclusisset: quo veterum Catalogorum silentio permotus jure ac merito dubitabat Galeardus in notis ad Ughellum: invenisset, inquam, exstitisse Papiæ (32), eo saltem tempore, quo nostro Catalogo appictæ sunt notæ.



XLII.

(32) Consonant hæc Totti verba in Notingum: *Qui jacet in Civitate Papia.*

XLII.
ANTONIUS EPISCOPUS
ANNO CHRISTI DCCCLXV.

NOtingo credibile eſt eodem anno Antonium ſucceſſiſſe, qui adminiſtrationem vix aggreſſus populum ſibi devinxit, propterea quod Imperatoris animum, ob turbas obortas proximeque indicatas exaſperatum, ipſe demulſit & pacavit, adjuvante ſimul Gisla, Abbatiſſa Monaſterii S. Juliæ, Imperatoris filia. Quia vero hæc omnia nobis ſuppetunt ex unius noſtri Scribæ narratione, eja totum textum recitemus: *Hac re delata* (ſcilicet tumultu, quem ſupra in Notingo innuimus) *Imperatori, qui in finibus Mediolanenſibus aderat, commotus in iram movit greſſus adverſus Briſſiam, non major terror unquam fuit in Civitate Brixiana: qui timebant Imperatoris arma: capere portas, claudere proclamabant; ſed plures objectabant ne alienæ culpæ ipſi ſimiliter ſolverent pœnas. Epiſcopus Antonius, & Gisla, filia Imperatoris, Abbatiſſa Monaſterii S. Juliæ cum feſtinatione adierunt Ludovicum, & talia verba reportaverunt, quæ tumultum mitigare fecerunt. Ingreſſus eſt Ludovicus portam Civitatis habens enſem nudum in manu, & obviam facti ſunt Antonius Epiſcopus, Aſtulphus Archicapellanus, Remigius Abbas Leonenſis, Atpertus Abbas Nonantulanus, ſequente multitudine Civium, qui ad conſpectum Imperatoris cum lacrimis & gemitu ſe humi procubuiſſent, Antonius mitibus verbis hortatus eſt Imperatorem ad clementiam & miſericordiam. Ille nullum dixit verbum, ſed ſolum poſuit gladium in vaginam, & manu indicavit Civibus, ut ſurgerent de terra, quum ad Curiam veniſſet, ſequenti die, nomine Gislæ Abbatiſſæ, & Antonii Epiſcopi Edictum clementiæ & veniæ publicare fecit* (1).

Hinc colligitur quantum fuci faciant ſupputationes Scriptorum Brixianorum & Ughelli, epocham Epiſcopatus ab Antonio initi anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto affigentium; certum quippe eſt ex Monaſterii S. Juliæ Monumen-

(1) Hic deſinit Ridolfi Notarii Hiſtoriola.

mentis (2), Gislam per nostrum Notarium commemoratam, anno octingentesimo sexagesimo primo illius Cœnobii regimen subiisse, eoque quatuor circiter annis administrato, e vita cessisse.

Eamdem horum Scriptorum Epocham evertit aliud quoque memorabile opus, quod anno DCCCLXXIV. Antonio obtigit, ut tumulo, quamvis temporario, eum Brixiæ donaret Imperatorem, quem Brixiani excidium necemque Urbi sibique minitantem formidaverant. Eo quippe anno, in Agro Brixiano, & quidem non die XIII., uti vulgo, sed XII. Augusti obiit Ludovicus, cujus funus Episcopus noster Antonius in hac principe Ecclesia hyemali, tunc S. Mariæ, nunc *Rotunda* appellata, curavit. Hujus rei notitiam acceptam referre debent Brixiani cuidam Andreæ, qui præsens aderat, eamque litteris consignavit, sed præstat ex ejus brevi Chronico verba referre: *Anno Dñi Hludovici Imp. XXIII. Completus annus centesimus, ex quo Francorum gens Italiam ingressa est, anno Dñi Hludovici Imp. XXIII., & Mense IV. Indictione VI. finita, ingrediente VII. Indictione, hoc est anno Incarn. D. N. J. C. octingentesimo septuagesimo tertio transacto. Imperator vero venit de finibus Beneventanis post multam victoriam super Saracenos factam. Igitur post annum, hoc est Indictione VIII. Stella Cometis in cælo comparuit similitudine radians longa caudæ per totum mensem Junium mane & vespere. Deinde mense Julio Saraceni venerunt, & Civitatem Beneventi cum multo igne cremaverunt. Sequenti autem mense Augusto Hludovicus Imp. defunctus est pridie Idus Augusti in finibus Brescianis. Antonius vero Brescianus Episcopus tulit corpus ejus, & posuit in sepulcro in Ecclesia S. Mariæ, ubi corpus S. Philastrii requiescit. Auspertus Mediolanensis Archiepiscopus mandavit ei per Archidiaconum suum, ut reddat corpus illud, ille autem noluit. Tunc mandavit Garibaldo Bergomensi Episcopo, & Benedicto Cremonensi Episcopo, ut cum suis Sacerdotibus, & cuncto Clero irent, sicut ipse Archiepiscopus faciebat. Episcopi vero ita fecerunt, & illuc perrexerunt, trahentes eum e terra, & mirifice condientes, die quinto post transitum in pheretrum posuerunt cum omni honore hymnis Deo psallentes in Mediolanum perduxerunt. Veritatem in*

Chri-

(2) Exstant Tom. II. Bullarii Casinen., atque in Annalibus Histor. Monasterii S. Juliæ per Angelicam Baitelli ejusdem Monasterii Monialem collectis.

Christo loquor, ibi fui, & partem aliquam portavi, & cum portantibus ambulavi, a Flumine, quod dicitur Oleo *usque ad Flumen* Adua; *adductus igitur in Civitatem cum magno honore, & lachrymabili fletu, in Ecclesia B. Ambrosii Conf. sepelierunt die septimana ejus* (3).

Plures ad hunc Episcopum datas fuisse Epistolas ab Joanne Papa VIII. scripsere Florentinius & Ughellus. Ex illis aliquid nos lucis accepturos, Operi nostro aspergendæ, in spem venimus, at brevi ea cecidimus; etenim viginti supra trecentas cum aliquot fragmentis leguntur quidem in Tomo XI. Concil. Labbè Joannis VIII. Epistolæ, singulasque lustrantes in duas tantum incidimus huic Antonio datas, ex quibus fere nihil ad ejus res illustrandas elici posse, cognovimus. In prima enim, quam Ughellus quinquagesimam octavam notat (4), id unum intelligimus, nempe accersitum fuisse nostrum Antonium, una cum suo Mediolanensi Metropolita Ausperto ad Concilium Ravennatense: ex altera vero (5) constat, in jussis habuisse a Summo Pontifice, ne communicaret cum Lutfredo Comite, in quem excommunicationis sententiam Joannes tulerat (6), proptereaquod Comes ille ejusque conjux Sanctimonialem nomine Gherlindam e Placentino Monasterio (7) fuga lapsam receperant. Puderet autem nos tempus terere in labefactanda sententia, quam invenimus in quibusdam mss. Brixianis ajente, Joannem VIII. Epistola CCLXII. huic Episcopo excommunicationis pœnam

(3) Qui primus fragmentum hoc ad illustrandam Italiæ historiam pretiosum e tenebris eruit, fuit Joannes Burchardus Menchenius, a quo luce donatum fuit Lipsiæ anno 1728. Tom. I. Scriptorum Rerum Germanicarum pag. 99. Muratorius deinde intulit in Tom. I. Antiquit. Ital. pag. 36. Ex hoc Monumento emendandi Annalista Saxo, qui Ludovici mortem transtulit in annum proxime sequentem, & alii, Mediolani obiisse Ludovicum II. narrantes: quod advertere non omiserunt Saxius in notis ad Regnum Italiæ Sigonii, Tom. II. Opp. Sigonii pag. 326. & Muratorius in Annalibus ad anno 875., ubi insuper eumdem Andream patria Bergomatem fuisse ex eo opinatur, quod a Flumine Oleo, usque ad Addam, nimirum intra Bergomatis Diœcesis terminos, Imperatoris corpori se humeros supposuisse ipse Andreas narret.

(4) In Romana vero Epistolarum Pontificum Collectione est CCXXXVII. & LIII. in Labbeana Conciliorum Editione Tom. XI. pag. 42.

(5) Quæ est CCXXXVII. juxta Labbæum Tom. XI. Concil. pag. 164.

(6) Ex Epistola CLXV. pag. 106. Campius Part. I. Histor. Plac. pag. 223. id referens ad an. 879. addit, Lutfredum una cum Gherlinda Brixiam se recepisse, quæ res etsi in Pontificiis Epistolis haud legatur, persuaderi tamen facile potest: cum ad illam prohibitionem faciendam nulla alia caussa motus videatur Joannes, quam fortasse innuit iis verbis, quæ eo loci desiderari in margine citatæ paginæ 164. merito animadversum est.

(7) Nimirum S. Sixti, interprete Mabillonio Tom. III. Annal. Bened. Lib. XXXVIII. num. 27. Hoc deinceps Monasterium Monachis Benedictinis traditum fuisse narrat eo loci Mabillonius.

nam comminatum fuisse, nisi Bona suo Metropolitæ Mediolanensi per vim ablata restitueret; præter enim quam quod Attonio cuidam, non vero Antonio ea inscripta sit, liquido ex ejus lectione patet, hujusmodi bonorum invasorem Laicum fuisse & quidem perditi moris: nostrum autem Antonium cum reliquis virtutibus pietatem etiam coluisse, constans fuit ac pervulgata traditio.

Ravennæ coactæ Synodo interfuit Antonius anno 877., illiusque Acta confirmavit sua subscriptione (8).

Immiscuit etiam sese salebrosis illis, quæ tunc temporis vehementi animorum æstu agitabantur, de germana Summorum Pontificum electione & exauctoratione, concertationibus. Namque in Concilio Romano, in quo Stephani VI. Acta rescissa sunt & improbata, cum Stephanus Hostiensis Episcopus dixisset: *omnes contra Dominum Papam insurgitis, Antonius Brixiensis in persona omnium dixit: jam quia nos separatos dicis a gremio Apostolico in crastinum sit examinandi suspensio, & latæ sunt induciæ in crastinum* (9). Equidem a Conciliorum Editoribus una cum Baronio & Mabillonio scio, fuisse Concilium hoc, non quidem ad annum 894., uti oscitantia, ut probabilius est, typographi scriptum est in Galeardi notis ad Ughellum, sed ad annum DCCCCIV. Quod si historiæ consonus esset iste calculus, Antonius ille, Brixianus esse non posset; eo enim regnabat, ut mox constabit, Ardingus. Verum Concilium illud ad annum 898. referendum esse evincit Pagius senior (10): unde & omnis exemtus est scrupulus, & corrigendus Faynus (11) Antonii mortem collocans ad annum DCCCXCI. Ejus corpus in S. Petri Ecclesia majori tumulatum fuit posito metrico hoc Epitaphio, quod fortuito inveni in vetusta membrana:

Præsulis Antonii .... quod membra quiescunt,
Quem morum probitas vexit ad astra Poli.
Omnia, quæ nunc hic potiora videntur in Aula,
Multiplici studio fecerat ipse pius.
Pro quibus hoc quicunque vides Epigramma Viator
Ambo perpetua dic rogo luce micent.

XLIII.

(8) Tom. XI. Concil. Labbè pag. 307.
(9) Apud Labbè loc. cit. pag. 699.
(10) In Critica Baronii ad eum annum.
(11) Loc. cit.

XLIII.

ARDINGUS EPISCOPUS

ANNO DCCCCI.

ANTE POSTERULAM S. MARIÆ MAJORIS.

ANtonium inde Ardingus eſt conſecutus. Faynus (1) ſcribit : *quod Comitem Brixiæ auctoritas ſtatuit Imperialis*. Eccleſiaſticam ſimul atque Civilem Urbis poteſtatem tenuiſſe conſtat ex fragmento noſtri Ridolfi, quod ſupra retulimus. Civilis hæc auctoritas, quam Comitis nomine, uti erat eorum temporum conſuetudo, geſſit, comperta fuit etiam Fayno & Rubeo, quorum ultimus in Hiſtoria ſæpe citata addit, hanc ei dignitatem a Berengario Rege, cui erat amiciſſimus, collatam fuiſſe, cum Rex die XIII. Octobris anno nono ſupra octingenteſimum nonageſimum Brixiæ verſaretur. Cujus tamen Berengarii adventus a nullo alio, quem ſciam, probato auctore commemorati, fides ſit penes Rubeum.

Annum, quo ad hanc ſedem evectus fuit, unus Faynus notat, ſcilicet, DCCCXCII.; verum monumentis mox citandis calculus ille poſſet in dubium vocari : namque in Diplomate a Berengario Italiæ Rege, cujus ipſe (uti ex dicendis patebit) Archicancellarius erat, expedito ſeptimo Idus Auguſti anno DCCCCII. in favorem Gottifredi Mutinenſis Epiſcopi (2) : & in alio ejuſdem Berengarii dato nono Calendas Junii anni ſequentis in favorem Adelberti Bergomenſis Epiſcopi (3) appellatur Ardingus dumtaxat Archicancellarius. At in Diplomate ejuſdem Regis dato in favorem Theodoliſi Abbatis Bobienſis XIV. Calendas Novembris ejuſdem anni DCCCCIII. Archicancellarius ſimul & Epiſcopus

(1) Loc. cit.

(2) *Ambroſius ad vicem Ardinghi Archicancellarii recognovi datum 7. idus Auguſti ann. Incarn. D. N. J. C. 903. anno vero Regni D. Berengarii glorioſiſſimi Regis XV. indict. V.* Apud Ughellum in Epiſcopis Mutinenſibus Tom. II. pag. 102.

(3) *Ambroſius Cancellarius ad vicem Ardinghi Archicancellarii recognovi. Data nono Calendas Junii anno Dominica Incarnationis 903. Domini vero Berengarii Regis 17. indictione VI.* Apud Ughellum in Epiſcopis Bergomenſibus Tom. IV. pag. 425., ubi corrigendus eſt annus Berengarii, qui eſſe debet XVI. juxta Muratorii calculos in Annalibus Italiæ ad hunc annum Tom. V. pag. 248.

pus vocatur Ardingus (4). Idcirco conjici posset Episcopali dignitate fuisse initiatum anno tertio supra nongentesimum eo temporis intervallo, quod intercedit inter mensem Maji, & Octobris. At Judicium Ludovici Imp., quod in Episcopis Lucensibus ex Originali Lucensi protulit Ughellus (5) certam fidem facit, mense Februario anni DCCCCI. Brixianam Ecclesiam jam ab eodem administratam. Ibi enim ejus nomen inter Italicos Episcopos recensetur, qui Petrum Lucensis Ecclesiæ Episcopum ad suæ Ecclesiæ recuperationem bonorum coram R. P. Benedicto IV., & Imperatore Ludovico IV. juverunt. Verum quidem est, illud Judicium ab Ughello in Episcopis tum Lucensibus tum Brixianis (6) in annum DCCCCIV. conjici. Ast in aliam sententiam me impellit Notarii subscriptio hæc: *Ego Thomas Notarius D. Imperatoris ex amonitione supprascrip. misso, & judicium scripsi anno Imperii D. Ludovici Primo, mense Febr. Ind. IV.* (7). Primum autem Imp. Ludovici IV. annum incidisse in Ind. IV. anni DCCCCI. deducitur ex alio ejusdem Ludovici Diplomate in Ecclesiæ Cumanæ favorem dato *XV. Kalendas Febr. die*, *Anno Incarnationis Domini DCCCCI. Indictione IV. Anno autem Ludovici Regis in Italia Primo*, ut est in Episcopis Comensibus apud eumdem Ughellum (8). Unde assentior Sigonio (9), Saxio (10), & Muratorio (11), qui relictis Baronii & Pagii calculis opinantur, Ludovicum coronatum fuisse Imperatorem post Januarium, & ante finem Maji an. DCCCCI. a Benedicto IV. Pontifice. Itaque Ardingo ante illud Incoronationis Ludovici tempus Brixianas Infulas traditas fuisse anno, scilicet, DCCCCI. statui posse reor.

Ejus honori præcipuo sane tribuendum est, quod sublimi Archicancellariatus munere apud Berengarium Italiæ Regem pluribus annis persunctus sit. Si notæ Chronacæ Diplomatis Berengarii, quo bona quædam (impræsentiarum ad

(4) *Ambrosius Cancellarius ad vicem Ardinghi Episcopi, & Archicancellarii recognovi data 14. Calendas Novemb., anno Dominica Incarnationis 903. Regni Domini Berengarii 16. Actum in Papia Civitate Palatio Ticinensi indict. VII.* Apud Ughellum in Episcopis Bobiensibus Tom. IV. pag. 968., ubi legendum indict. 6.

(5) Tom. V. Italiæ Sacræ pag. 799.

(6) Tom. IV. pag. 536.

(7) Apud Ughellum Tom. I. pag. 800.

(8) Tom. V. pag. 274.

(9) De Regno Italiæ ad an. 901.

(10) In notis ad eum Sigonii locum pag. 377.

(11) In Annalibus ad an. 901.

ad Abbatiam S. Mariæ in Organo Ordinis Benedictini, uti vocant, *Clarorum* ſpectantia) conceſſit Odelberto Presbytero Veronenſi, ſibi conſtarent, concludendum eſſet jam ab anno nongenteſimo id muneris Ardingum exercuiſſe, atque Epiſcopali dignitate inſignitum, ita enim ſe habet illius Diplomatis ſubſcriptio:

Ambroſius Cancellarius ad vicem Ardingi Epiſcopi Archicancellarii recognovi &c. Dat. Kald. Auguſti anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. Domini vero Berengarii Sereniſſimi Regis XVIII. indic. III. (12). Verum annus XVIII. Regni Italici Berengarii correſpondet anno DCCCCV., atque Indictioni IX. Accedit etiam non ſolum Ardingi nomine notatum nullum nos offendiſſe anno DCCCC. Diploma, ſed neque anno proxime ſequenti, quo quidam Vitalis Epiſcopus Berengarii Archicancellarius erat, ut prodit Diploma in hunc modum ſignatum: *Ividebertus Not. ad vicem Vitalis Epiſcopi Archicancellarii recognovi & ſignavi. Dat.* 10. *Kalendas Septembris anno Incarnationis D. N. J. C.* 901. *anno vero D. Berengarii glorioſiſſimi Regis* 14. *indic.* 4. (13). Quamobrem hoc ei munus collatum fuiſſe anno DCCCCII. probabile eſt; hoc enim anno ſubſcriptum apparet Ardingi Archicancellarii nomine Berengarii Diploma in favorem Gotifredi Mutinenſium Epiſcopi (14). Quo in munere plurimis annis perſeveraſſe liquido conſtat ex aliis Berengarii Diplomatibus ſuo nomine ſignatis (15); nimirum uſque ad annum DCCCCXXI. (16). Inter hæc Diplomata illud eſt animadverſione dignum, quod refert

(12) Apud Ughellum in Epiſcopis Veronenſibus Tom. V. pag. 726.

(13) Apud Ughellum in Epiſcopis Vicentinis Tom. V. pag. 1032. Duos autem eodem tempore ejuſdem Regis Italiæ Archicancellarios fuiſſe, me nullibi legiſſe recordor.

(14) Apud Ughellum in Epiſcopis Mutinenſibus Tom. II. pag. 102.

(15) Anno 904. apud Ughellum in Epiſcopis Regis Lepidi Tom. V. pag. 258., & apud Muratorium Tom. I. Antiquitatum Italiæ Medii Ævi pag. 1018. Anno 905. Tom. III. Antiquitatum Italiæ pag. 736., ubi loco *Ardingi Epiſcopi, & Cancellarii*, proculdubio legendum *Archicancellarii*, propterea quod in alio Diplomate eodem anno ſignato 905., quo Berengarius varia jura & inſulam donat Monaſterio Veronenſi S. Mariæ ad Organum legitur *Ambroſius Cancellarius ad vicem Ardingi Epiſcopi, & Archicancellaris recognovi*. Apud Ughellum in Epiſcopis Regii Lepidi Tom. V. pag. 258. In eumdem modum, ut alia prætereamus, ſubſcripſit Diploma quo anno 917. confirmat idem Rex quædam Privilegia Monaſterio Caſaurienſi Tom. VI. Antiq. Italiæ pag. 65., atque aliud ſignatum anno 920., quo Berengarius ad Imperatoriam dignitatem evectus, ratam habet conceſſionem Curtis Breonii factam Berctelo filio Theutelmi, Tom. II. Spicilegii Dacherii pag. 941., ubi notandum in Indice legi in Monaſterio Vivarienſi. Diploma dicitur datum anno 28. piiſſimi Regis, Imperii autem ſui ſecundo.

(16) Illud etiam fuit animadverſum a Muratorio Tom. V. Annalium Italiæ ad annum 945. pag. 357.

refert de Rubeis in Monumentis Aquilejensibus (17), utpote datum prope finem ejusdem anni, scilicet, *quinto Nonas Octobris*. Quod videtur pugnare cum alio Diplomate ejusdem Berengarii in favorem Hinonis apud Muratorium (18), ubi subscribitur: *Joannes Episcopus & Archicancellarius .. Datum V. Kalendas Augusti anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXI.* Quamobrem aliquod mendi latere arbitror in nota Chronaca Muratoriani Diplomatis; namque duos simul Archicancellarios ejusdem Regis fuisse dicendum esset, quod, ut supradixi, nullo monumento constare arbitror. Florebat itaque Ardingus Imperatoris gratia; unde cum Episcopus Regiensis facultatem petiisset ab eo Rege ædificandi cujusdam Castri, hanc ei se facultatem fecisse testatur Berengarius motum precibus *Ardingi Reveritissimi Episcopi, & Ingilfridi dilecti fidelis* (19).

De anno, quo obiit nihil certi habemus. Sed pro certo habendum, multum aberrare Faynum (20) & Rubeum (21), qui fixerunt obitum Ardingi in annum sextum supra nongentesimum, cum in longius ævum vitam produxisse dubitari non sinant Berengarii Diplomata modo commemorata: ultimum, quod vidimus, præfert notam Chronacam anni DCCCCXXI. (22).

Antequam ab hoc loco discedamus, removendus est quidam scrupulus, quem injicere tentavit Muratorius quinto Annalium Italiæ Tomo ad annum DCCCCXLV. ita scribens: *dice ivi il Re Ugo* (in Diplomate acto Papiæ an. Dominicæ Incarnationis DCCCCXLV.) *che quella Corte nobis obve-*

(17) Cap. 51. pag. 456.

(18) Tom. V. Antiquit. Italiæ pag. 638.

(19) Diploma signatum anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXI. habetur Tom. II. pag. 470. Antiquitatum Italiæ.

(20) Faynus loc. cit.

(21) Rubeus in Manuscripta Historia ad annum 907., ubi addit Berengarium mense hujus anni Majo Brixiam venisse, ut sua præsentia celebriorem redderet solemnitatem, qua Berta ejus filia, & Hermelinda neptis Monasticum induebant habitum in S. Juliæ Monasterio, cujus etiam privilegia confirmavit. Berta vero statim electa fuit Abbatissa, agente Landulpho nostro Episcopo, qui etiam cultui Divino sacravit Ecclesiam S. Remigii vulgo de *Teatro, la quale*, inquit ipse, *hora è come una picciola stanza profanata da Servi di quelle Monache*. Verum hujus itineris Berengarii in hanc Urbem nullum invenitur vestigium in aliis Brixianarum rerum Scriptoribus, neque in Annalibus Italiæ Muratorii.

(22) *Joannes Episcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi Archicancellarii: anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. XXI. Domini vero Berengarii Regis vigesimo octavo, Imperii autem septimo, Indictione X. Actum Verona*. Ita est in edito a Francisco Madrisio pag. 261. Opp. S. Paulini Patriarchæ Aquilejæ: sed in apographo apud de Rubeis in cit. monumentis Aquilejensibus cap. 51. pag. 455. additur *Dat. octavo Kal. Aprilis*, ex quo recte colligit de Rubeis designari annum Julianum 922.

obvenit per Cartulam donationis ab Ardingo Venerabilis Ecclesiæ Mutinensis Episcopo. Questo Ardengo Vescovo di Modena non fu riconosciuto dal Sillingardo, nè dall' Ughelli; e però si deve riporre nel Catalogo de' Vescovi Modenesi tra Gottifredo e Guido. Nei Diplomi di Berengario Imperatore si vede, che un Ardengo Vescovo fu suo Arcicancelliere fino all' anno DCCCCXXI.: quando questi non fosse stato Vescovo di Brescia, doverebbe tenersi per quell' Ardengo Vescovo di Modena, di cui si fa menzione in questo Diploma. Hæc Muratorius Tom. III. Annalium Italiæ pag. 357., qui paucos ante annos Tom. V. Antiquit. Italiæ pag. 728. ita scripserat occasione Necrologii Ecclesiæ Mutinensis exarati Seculo X. aut XI., in quo Ardingus recensetur: *quis ille Ardingus Episcopus fuerit frustra hucusque investigavi: crederes Episcopum Mutinensem; sed nulla ejus mentio in Catalogo Antistitum Mutinensium apud Sillingardum & Ughellum*. Omnem postea movet lapidem, ut ei locus in posterum detur in hujusmodi Catalogo inter Widonem & Hidelprandum Episcopos: & ostendit, ante annum DCCCCLXX. fortasse e vivis excessisse. Detur, per me licet, locus Ardingo in Catalogo Antistitum Mutinensium, sive inter Gottifredum & Widonem, uti datus jam fuit in Veneta Ughelli editione (quod mirum diligentissimum Muratorium fugisse) sive inter Widonem & Hildelprandum, nihilo tamen minus videre nequeo, cur nobis sit Ardingus abripiendus? Qui, si Mutinensibus concederetur, eam Ecclesiam gubernasset simul cum Gottifredo & Widone, quorum alter an. DCCCCII., alter vero DCCCCXLV. erant Præsules Mutinenses: vidimus enim ex citatis Diplomatibus Ardingum Episcopali Infula insignitum labente an. DCCCCIII. Accedit etiam per Brixianos Auctores, longe ante an. DCCCCXLV. suum obiisse Ardingum: quæ tamen omnia nonnisi conjectando a nobis dicta esse volumus. Compertum enim habemus, temporum rationes ab hisce Diplomatum Chronacis notis deductas haud raro incertas esse, quod jamdiu a viris doctis observatum est.

Notitiam tumuli acceptam debemus Auctori notarum ad nostrum Catalogum, scilicet, post *Posterulam S. Mariæ Majoris*, nimirum, post Portam minorem, qualis reipsa aderat in Templo S. Mariæ Majoris ad latus Aquilonare, atque in S. Petrum aditum præbebat.

XLIV.

XLIV.

LANDULPHUS I. EPISCOPUS

CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCCCXXII.

POst Ardingum invenimus in probatioribus noſtris Catalogis Landulphum hujus nominis Primum. Initium ejus regiminis poſuit Faynus (1) anno DCCCCVII., at monumenta in Ardingo proximo ejus Prædeceſſore data nullum reliquum dubitationis locum faciunt, quatuor ut minimum ſupra decem annis illud eſſe differendum. Ex metrico Epitaphio ſatis rudi & inculto ad ejus Sepulcrum in S. Petri Majoris, edito a Galeardo (2) diſcimus, eum fuiſſe clarum cum nobilitate, tum opibus, & probitate: inopum etiam egeſtatibus opitulatum large fuiſſe. Seculi procellas fortiter ſuſtinuit, ut hoc Epitaphii dyſtichon ſignificat:

Alta ſilex ceu, quam non turbidus impulit Auſter
Manſerat immotus turbine ſlante ſecli.

Ejus munificentia Monaſterium S. Euphemiæ extramuranum in latere olim Montis, qui dicebatur *Dignus*, pro Monachis Benedictinis erectum affirmat poſt alios Ughellus innixus auctoritate cujuſdam Diplomatis per Callixtum R. R. dati, ubi jura confirmat & bona huic Monaſterio, *quod a piæ memoriæ* (inquit Pontifex) *Landulpho Brixienſi Epiſcopo ab ipſa ſui fundatione conſtructum eſt* (3). Verum ex hoc monumento non liquido conſtat huic ne Landulpho, an alteri juniori tribuenda ſit Monaſterii Euphemiani erectio; datum enim eſt die XI. Febr. anni MCXXIII., ante quem annum non minus alter, quam primus floruit Landulphus. Sed ex charta in Landulpho juniore edenda luculentiſſime patebit non Primum, ſed Secundum Landulphum fuiſſe hujuſce Monaſterii conditorem. Cæterum hic Landulphus dicitur obiiſ-

(1) Loc. cit.
(2) In notis ad Ughell. pag. 539.
(3) Apud Margarinum Tom. II. Bullar. Caſinenſis pag. 136.

obiisse anno DCCCCXXIV. (4), atque tumulatus sub ara, quam ipse construi jusserat prope sepulcrum ejus Prædecessoris Antonii, ut est in citato Epitaphio. Ejusdem sepulcri locus est prætermissus in notis nostro Catalogo adjunctis: sed si fides Florentinio in Catalogo locus ille fuit ad S. Petrum Majorem, ubi jacuisse etiam anno MDCIV. affirmat loco supra commemorato Galeardus. Scripsit Faynus ejus corpus in Sacello SS. Chrysanti & Dariæ, in antiquo Baptisterio solo æquato reconditum fuisse (5), neque temere; eo quia illorum Martyrum Sacellum vetustæ Cathedrali Apostolo Petro sacræ esset proximum.

X L V.

ANTONIUS EPISCOPUS

ANNO CHRISTI DCCCCLII.

IN ECCLESIA S. CRISANTI.

POst Landulphum recensent Ughellus & Faynus Notengum illum II., quem explosum iri fuit supra a nobis ostensum (1): post Notingum, Gonsum, sive Josephum ætate viridem, sed virtute clarissimum, qui anno DCCCCXCVII. eamdem obtinuit dignitatem. Honore Episcopali a Berengario fuit exutus, ut retulit Sigonius de Regno Italiæ ex Luitprando Lib. V. Cap. XIII.,

 Luit-

(4) Apud Fayn. loc. cit.

(5) Idem loc. cit.

(1) Sane dissimulari nequit, Florentinium in Catalogo, Rubeum in Patria Histor. mss., Bolland. in Comment. SS. Faustini & Jovitæ num. 16. Tom. II. Febr. pag. 808., & Astezatum in Comment. ad Manhelmum pag. 58. Viros plane in arte critica versatos, hunc Notingum admittere: at uno omnes inniti momento, Bullæ nimirum Stephani Papæ, qui ad preces Notingi Episcopi dicitur circa annum 939. confirmasse Privilegia Monasterii SS. Faustini & Jovitæ. Sed admonet Galeardus in notis ad nostros Episcopos Ughelli pag. 536. non satis constare de illa Privilegiorum confirmatione; Reipsa non solum edita hactenus non est, sed etiam Brixianos omnes locus latet, in quo jaceat. Objici quidem posset, ejus fieri mentionem in Bulla, qua Callistus II. anno 1137. eidem Monasterio multa confirmat Privilegia, quæ Bulla est apud Faynum in monumentis Italicæ Vitæ SS. Faustini & Jovitæ pag. 12., & apud Margarinum Tom. II. Bullarii Casin., sed quid hinc emolumenti elici possit ad statuendum Notingum nullus video. Etenim ex Callisti verbis id unum constat, se cognovisse ex scriptis sui Prædecessoris Papæ Stephani Vener. Rampertum ædificasse Monachorum Cœnobium, & ipsum bonis & possessionibus ditavisse in loco ubi SS. Martyrum Faustini & Jovitæ corpora requiescunt, quod æque contingere potuit Notingo, ac alii cuivis Brixiano Episcopo.

Luitprandi autem & Sigonii loca fuere a Galeardo relata cum quibusdam suis observationibus, quas inter ea præcipue animadversione digna, qua interfuisse affirmat anno 952. Concilio Augustano in caussa Disciplinæ Ecclesiasticæ restaurandæ habito, ut videre licet Tom. VI. Conciliorum Harduini (2): at quominus inter nostrorum Episcoporum album Gonsum hunc sive Josephum admittamus, facit probatissimorum Catalogorum silentium, unde dicere & nos possumus cum Florentinio in Catalogo: *hujus Episcopi in Tabulis nostris memoriam nullam reperimus*. Neque moramur Sigonii, Rubei, Galeardique (locis citatis) auctoritatem, utpote haustam e lutulento in hac re Luitprandi fonte. Constans enim est inter Eruditos sententia, quam Muratorius in Præfat. Tom. II. Rer. Italic. uberrime comprobavit, prope immensis Luitprandi historiam scatere fabellis, ad quas religioni non ducimus hanc de Gonso narrationem amandare. Quod vero spectat ad Concilii Augustani subscriptionem, quæ vim maximam faceret, dicimus: non Gonsi aut Josephi nomen exstare, sed *Antonii* in omnibus aliis Conciliorum Editionibus, quas inter unam sufficiat laudasse omnium accuratissimam, Venetam Labbeanam (3). Quamobrem dici non immerito potest ex Luitprandi fabella eum irrepsisse in Harduinam collectionem. Neque mirum, si in Harduino loco Antonii legatur Josephus; plurima enim illa in editione, etsi sua non careat laude, sphalmata haud levis momenti deprehenderunt Viri docti (4). Ex aliis autem Conciliorum editionibus clare patet anno DCCCCLII. Antonium hujus nominis II., quem nullo plane fundamento Veronensem appellat Faynus loc. cit., Brixianam administrasse Ecclesiam. Affirmat Ughellus l. c. (5) interfuisse Mediolanensi Concilio celebrato anno DCCCCLXI. sub Valperto Archiepiscopo, ubi Berengario ejusque filiis Regno amotis, Otho provectus fuit ad Regnum; at scite in notis ad Ughellum observat Galeardus apud tres, qui Concilii hujus meminere, Landulphum nempe seniorem, & Gualganeum Flammam, & Sigonium, Anto-

(2) Pag. 616.

(3) Tom. XI. pag. 865.

(4) Videsis Biblioth. Græcam Fabricii Tom. XI. pag. 124.

(5) Aurelius Corbellinus pag. 48. Operis, cui titulus: *Vite de' Vescovi Vercellensi* addit, Brixianum Episcopum sedisse ad lævam partem Præsulis Mediolanensis. De loco Episcopi Brixiani in Conciliis Provincialibus vide tertium Dissert. Procemialis Caput.

Antonii hujus vestigium esse nullum; quam ob rem nonnisi per conjecturam id licet affirmare, ex eo quia *adstantibus D. Ambrosii suffraganeis universis celebratum* fuisse illud Concilium senior affirmat in patria historia Landulphus (6). Porro illius Ecclesiæ suffraganeam semper fuisse nostram Brixianam, nunquam vero Aquilejensis, evincere conati sumus tertio Capite citatæ Differt. Prooem. Bene vero interfuit Synodo Provinciali, quam idem Valpertus in S. Theclæ Basilica, auctoritate Summi Pontificis Joannis XII. & Othonis Magni Imperatoris celebravit anno DCCCCLXVI., ut Astensi uniretur Ecclesia Albensis apud Insubres, quam Flocardus anno DCCCCLX. electus Albæ Episcopus adeo a Saracenis & Hungaris devastatam invenit, ut victum propriis manibus quærere cogeretur. Hujus Synodi nullam habet Ughellus hoc loci memoriam, quæ tamen prætereunda ipsi non erat, utpote qui in Episcopis Albensibus ejus cogendæ occasionem uberi calamo exposuerat, Episcopos præsentes enumeraverat, quos inter primus legitur: *Antonius Brixiensis*. Unum ex iis fuisse Episcopis, quos vocare placet Imperiales, quod per ea tempora, propriis, ut plurimum, relictis sedibus, Aulam sectabantur, deductum fuit a Galeardo loc. cit. ex illa Antonii subscriptione, quæ exstat ad calcem Diplomatis Othonis Augusti Papiæ dati anno Domini DCCCCLXII. apud Ughellum in Episcopis Astensibus (7). Præsens etiam fuit Concilio Ravennatensi a Joanne XIII. celebrato anno DCCCCLXVII. in quo Heroldus Salisburgensis Archiepiscopus cæcitatis, & quorumdam criminum caussa exauctoratus fuit, Friderico ejus loco suffecto, quæ omnia in Conciliorum editionibus, Labbeana potissimum (8), obvia aliquam saltem suspicionem ingerere debuissent Muratorio, ne tam fidenter laudatæ Luitprandi narrationi fidem haberet; quam habuisse credendus est, dum Tom. V. Annalium Italiæ (9) de Berengario loquens hæc scripta reliquit: *senza motivo alcuno, senza consilio de' Vescovi tolse a Giuseppe quella Chiesa* (Brixianam) *e conferilla ad Antonio, che la tenne fin l' anno DCCCCLX.*

Post annum ergo DCCCCLXVII., aut certe sub illius exi-

K 2

(6) Tom. IV. Scripp. Italiæ.
(7) Loc. cit. pag. 285.
(8) Tom. XI. pag. 911.
(9) Pag. 339.

exitum vita functus est Antonius, atque sepulturæ traditus in Ecclesia S. Chrysanti (10).

XLVI.
GOTFREDUS EPISCOPUS
ANNO DOMINI DCCCCLXX.

Gotfredus inde Episcopatum iniit, Civilemque Urbis politiam teste laudato Notario Comitis honore insignitus administravit; unde error, ut arbitror, irrepsit in Wolfangium Latium, dum Lib. XII. de Transmigratione Gentium Bressinæ Episcopus dicitur: Unus fuit ex tribus filiis, quos Atho, sive Adelbertus Comit. Mathildæ atavus genuerat (1). Cum ejus Pater sacris pignoribus munire celebrioremque statuisset reddere Arcem, quam super editum Regiensibus in collibus saxum extruxerat, Canusinumque appellaverat, inter alia sacra pignora S. Apollonii Brixiani Episcopi Caput, Humerum dexterum atque lacertum a Gotfredo filio Brixiæ Episcopo obtinuit. Pater, tanto muneri, ut nostræ Ecclesiæ, suoque filio responderet *terræ propriæ decimamque monetæ vovit*. Ita Donizo Lib. I. Cap. II. Vitæ Mathildis, cujus integer locus datus est in Apollonio (2). Quid juris in suam monetam sive pecuniam Pater filio contulerit, prorsus ignoro. Producta Donizonis verba adeo sunt obscura, ut Muratorius sub finem Dissertationis de Monetis Italiæ alibi a nobis citatæ (3) ea-

(10) Hujus Ecclesiæ nullum hodie remanet vestigium: Celebris tamen olim fuit, namque ineunte Sæculo XI. Landulphus II. Episcopus sanctissimis legibus Presbyteros SS. Chrysanthi & Dariæ instruxisse fertur. Exstabat prope Cathedralem: solo deinde æquata, ejus titulus translatus fuit ad Sacellum iisdem Sanctis dedicatum in vetustissima S. Joannis ad Baptisterium Ecclesia, de qua videsis, quæ sunt adnotata in S. Felice.

(1) Ex stemmate Gentilitio Comit. Mathildæ concinnato per Bacchinium sub initium historiæ Monasterii S. Benedicti, vulgo *di Polirone*: ex cujus accurata Historia nobi legitur hunc Adalbertum fuisse Brixiæ Marchionem, uti nullis productis tabulis affirmatum est a Mabillonio in Annal. Benedictinis ad annum 1082. Tom. V. pag. 170., qui tamen in viam rediisse credendus est; namque ad annum 1091. p. 272. quæ priori loco scripserat de Adalberto repetens eum vocat, omisso ditionis loco, simpliciter Marchionem.

(2) Pag. 21., ubi ita emendandus quartus versus:

Nam caput, ac humerum dextrum pariterque lacertum.

(3) Cap. 11. Dissert. Procem.

eadem animadvertens decernere non audeat, quid velint significare: *quippe* (inquit ipse) *jus monetæ Athoni Comiti temporibus iis, hoc est Sæculo Christi X. fuisse concessum ab Othonibus Augustis difficile ad credendum inducar: nisi exempla paris facultatis apud Italos exarentur*. Bacchinius narrat (4) eas reliquias fuisse pretiosum thesaurum Reliquiarum S. Victoris; unde hujusmodi notitiam ipse hauserit, omnino silet. Verum Donizonis verba animadvertenti, a Gotfredo non alias præter commemoratas exuvias S. Apollonii: illas vero S. Victoris a quopiam alio, cujus nomen ibi desideratur, Athonem obtinuisse constabit. Primo enim loco Donizo Canusium S. Victore Athonis opera ditatum fuisse affirmat: deinde Reliquiis aliis (Capite nimirum, ac humero dextero, pariterque lacerto S. Apollonii), quas acceperat a Gotfredo Episcopo: eique *terræ propriæ decimamque Monetæ* ob illud beneficium Athonem vovisse. Quemadmodum vero hac de re mihi cum Bacchinio haud convenit, multo minus convenire potest de annis, quibus Gotfredus ad Brixianæ Ecclesiæ Clavum sedebat: namque ex eo quia sacra Lipsana, sive Victoris, uti ipsi visum fuit, sive Apollonii, ut certo ostendisse mihi videor, Athoni per Gotfredum concessa sunt cincto muris Canusio, Adalbertum Brixiæ Episcopum sedisse circa annum DCCCCL. conficiendum esse Bacchinius (5) affirmat. Atqui Antonius, quem Gotfredo præcessisse nulli dubium esse potest, ab an. DCCCCLII. Brixiani Episcopatus regimen tenuit; igitur conficiendum Bacchinii chronologiam prorsus esse deserendam; eo pacto quo Sigonium eamdem rem ad an. DCCCCXLVI. collocantem deseruit Saxius (6), atque ad an. DCCCCLXX. cum Fayno & Bollandianis collocandam esse docuit.

Gotfredum deinceps suæ Ecclesiæ Privilegiorum confirmationem ab Imperatore Othone Brixiam divertente obtinuisse affirmat Rubeus (7). Hanc tamen Privilegiorum confirmationem concessisse dicendus est Imperator potius Adalberto, quam Gotfredo. Otho enim Brixiæ esse non potuit nisi vel anno DCCCCXCVI., vel DCCCCXCVIII., ut colligitur ex Italiæ Annalibus, qui lucem accipere possunt ex hisce Malvetii ver-

(4) In præfatione citati Operis.

(5) Loc. cit.

(6) In notis ad Librum sextum Regni Italiæ Sigonii Tom. II. pag. 409.

(7) In manuscripta Historia.

tii verbis (8) : *Cum Otho tertius Imperator anno circiter DCCCCXCVIII. ab adventu Filii Dei, in Lombardiam ingressus fuisset, apudque Brixianam Urbem inducias afferret*; utroque autem hoc anno Adalbertum Brixianæ Ecclesiæ regimen habuisse, mox ostensuri sumus.

Cæterum quo anno Gotfredus decesserit, in tenebris latet. Sepultus olim jacebat in Canusina Abbatia, si fides Guidoni Mellino (9); namque ejus Sepulcri locus Brixianos Scriptores omnino latet.

XLVII.
ATHO EPISCOPUS
CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCCCXCV.

GOtfredum excepit inde Atho, cujus admodum perbreve fuit hujus Ecclesiæ regimen quippe ad annum DCCCCXCVI. in hac invenimus Cathedra Adalbertum clarioris nominis Episcopum; quæ enim Octavius Rubeus in Elogiis Clarorum Brixianorum de hoc Athone comminiscitur, silentio cum Florentinio & Ughello præterire malumus, quam diligenti eorum inquisitione Lectorum irrisioni nosmet objicere. Etenim quid præclari egerit hic Episcopus, Majores ad nos minime transmisere. Ejus etiam ossa quo loco humata fuerint, nullum hactenus emersit vestigium.



XLVIII.

(8) Malvetius Tom. XIV. Rer. Italic. pag. 871.

(9) Apud Florentinium in Catalogo ms.

XLVIII.
ADALBERTUS EPISCOPUS
ANNO DCCCCXCVI.

Athoni substitutus est Adalbertus, seu Adalbero. Ejus nomen in aliquot apparet illorum temporum mox citandis coram Othone III. Italiæ Rege celebratis Diplomatibus; idcirco & ipsum unum fuisse ex Episcopis Imperialibus, de quibus aliqua sunt a nobis delibata in Antonio II., conjectura assequi licet. Illud inprimis se se offert in caussa Marchionis Adalberti & Abbatis Monasterii S. Floræ, Othonis III. Italiæ Regis anno II., Incarnationis vero nongentesimo nonagesimosexto Aretii habitum generale Placitum, ubi Episcopus S. Brixianæ Ecclesiæ eos inter adstantes recensetur: *Nobilitatis pollentes viros, bonæ opinionis, ac laudabilis famæ*; subscripsit autem hoc pacto: *Ego Adalbertus S. Brixiensis Ecclesiæ Episcopus* (1). Anno proxime sequenti una cum quodam Archidiacono electus missusque fuit ab eodem Othone III. Imperatore ad caussam cognoscendam, quam Joannes Abbas Benedictini Monasterii olim celeberrimi, nunc pene excisi & sublati, S. Vincentii Martyris siti super fontes fluminis Wulturni in Provincia Samiifluentis, moverat adversus Comitem Raynaldum, qui Monasterium *Cælum* nuncupatum aliaque bona prædicti Cœnobii S. Vincentii invaserat: caussa Monasterio S. Vincentii adjudicata fuit, compulsusque Raynaldus ad bonorum restitutionem (2).

Post hæc Papiæ invenimus Episcopum nostrum prosequentem primo Seculi XI. anno eumdem Imperatorem: enumeratur enim inter eos Episcopos, qui assederunt Placito in illa Urbe habito hoc anno ab Othone sacri Palatii Comite (3). Hic etiam ille fuit Episcopus, in quem Ardoinus Marchio Eporediensis, in Italiæ Regem electus anno MII. propter Othonis III. Imperatoris obitum, vehementissimum suæ iracundiæ monumentum dedit; cum enim Brixiæ versaretur, & ab Epi-

(1) Tom. I. *delle Antichità Estensi* pag. 187.

(2) Vide Chronicon Vulturnense Tom. I. Par. II. Rer. Ital. pag. 476.

(3) Placitum editum est eodem Estensium Antiquitatum Tomo pag. 25.

Episcopo nostro de suis flagitiis se corripi sensisset, cæspite propriis manibus apprehenso, in terram venerabilem Episcopum projecit (4). In quod facinus lapsus est Ardoinus, tum quia ad iram proclivissimus, tum quia ægro foret animo erga Adalbertum: junxerat enim se Episcopus noster suo Metropolitæ Arnulpho II. (5), qui electionem Ardoini factam sine assensu Archiepiscopi Mediolanensis (ad quem spectabat inprimis Regis Italiæ electio & inauguratio) contemnens, collecto Episcoporum in Roncaliis Concilio, coronam Italiæ Henrico II. Germaniæ Regi missa Legatione exhibuit anno MIII., quam cum acceptasset Henricus immenso milite Italiam penetravit anno MIV., eximiisque lætitiæ signis ab Episcopo populoque Brixiano in hanc Urbem receptus (6): Papiæque Italici Regni corona ab Archiepiscopo Mediolanensi redimitus fuit. Relicta duobus post annis Italia novus Rex in suam se recepit Germaniam, Episcopo nostro verisimiliter comitante. Etenim Concilio Francfordiensi anno MVII. coram ipsomet Henrico celebrato interfuit, ac ita subscripsit: *Adalbero Brixiensis Episcopus* (7). Eo in Concilio Bambergensis Ecclesia Henrico, qui illam a puero dilexerat, postulante, & R. P. Joanne XVIII. approbante, Episcopalis Cathedræ honore aucta fuit. Eum fuisse Urbis Comitem, testem damus fragmentum Ridolfi Scribæ Brixiani in Notingo commemoratum.



XLIX.

(4) Apud Murat. Tom. VI. Annal. pag. 13.

(5) *In voluntate hujusmodi* (Henrici) *aliqui manifesti, aliqui erant occulti ... Archiepiscopus Mediolanensis, & Episcopi Cremonensis, Placentinus, Papiensis, Brixiensis, Comensis, quod volebant manifestabant: omnes tamen in commune Regem Henricum desiderabant precibus per Legatos, & Litteras invitabant*. Adelboldus in vita S. Henrici.

(6) Murat. Tom. VI. Annal. Italiæ pag. 22. ubi merito Ughellum carpit, eo quod hunc distulerit ingressum ad Adalberti successorem Landulphum nomine.

(7) Tom. XI. Concil. Labbè pag. 1056.

XLIX.
LANDULPHUS II. EPISCOPUS
ANNO MVIII.
AD S. EUPHEMIAM.

EX Adalberti mox posita subscriptione liquido constat deferendos esse Florentinium, Faynum, Ughellum, eosque omnes, qui Landulphi in nostrum Episcopum electionem referunt ad annum MII. Quandoquidem proximus illius decessor Adalbertus præsens invenitur laudato Francfordiensi Concilio anno MVII. celebrato. Fama est Mediolanensem fuisse, nobili Castillioneorum sanguine progenitum, & fratrem Arnulphi cujus in Adalberto meminimus, hujus quoque nominis II., qui ab anno DCCCCXCVII. ad annum MXVII., juxta Papebrochii (1) supputationem, Mediolanensem administravit Ecclesiam (2). Rubeus in patria historia ms. eum intervenisse dicit anno MII. Concilio Laude celebrato a citato Arnulpho Archiepiscopo Mediolanensi, qui (ut innuimus in Adalberto) cum insignem sibi illatam injuriam reputaret, quod injussu suo Rex Italiæ Ardoinus electus & coronatus esset, Patribus proposuit declarandum, Ardoinum vitio factum Regem: atque Henricum Bavariæ Ducem a Germanis proceribus Regem Germaniæ subrogatum, Italiæ Regem deligendum. Quæ Rubei narratio duobus in locis correctione indiget: primum enim illud Concilium coactum fuit non quidem in Urbe Laudis Pompejæ, sed Roncaleis prope Placentiam (3): secundo non Landulphum, sed Adalbertum proximum ejus decessorem eidem interfuisse diximus.

Cæterum noster Landulphus missus fuit anno MXIII. nomine laudati Arnulphi Archiepiscopi Mediolanensis Orator ad Hen-

(1) Tom. VI. SS. Maji, pag. 19. num. 93.

(2) *Interea volventibus sese annis Landulphus .... Episcopus virtute sublimis. ... Arnulphi frater, Mediolanensis Ecclesia Archipræsulis ..... Pastor eligitur.* Ita est in veteri Legenda ms. vitæ S. Apollonii Episcopi, asservata in Chartulario Cathedralis.

(3) Tom. VI. Annal. ad annum 1003. pag. 37. Concilium illud prorsus suppostitium visum est Muratorio, atque a Landulpho seniore in Patria Historia excogitatum; At credi vix potest, eum Historicum, qui eo ipso tempore Patrias conscribebat historias, frontis adeo perfractæ fuisse, ut universo Orbi fucum facere voluerit. Certe Sigonio minime visum fuit suspectum, licet in eo erret, quod in Urbe Laudis Pompejæ celebratum credat, a quo & Rubeum arbitror in errorem inductum.

Henricum, qui Germaniam repetierat, ut Italicis rebus, ab Ardoino Rege vehementer vexatis, opem ferret. Legatio ista a Rubeo narrata probabilitatem accipit ab eorum temporum historiis; siquidem Henricus, accepta Papiæ Italici Regni corona, reversus erat in Germaniam; unde Ardoinus eos omnes, quos sibi adversarios expertus erat, vexare non destitit. Arnulphi tamen precibus iterum in Italiam descendit Henricus magna militum copia anno MXIII., & Ardoinum penitus attrivit. Huic Landulpho tribuenda translatio facta anno MXXV. in S. Petrum Majorem reliqui corporis S. Apollonii. *Postquam vero SS. corporis* (Apollonii) *diminuti cognovit delationem, nequid simile iterum fieret, SS. corpus, quod extra Civitatem sepultum fuerat intra ejusdem Civitatis muros reconditum iri fore dignissimum reputavit*, verba sunt citatæ Legendæ. Fertur etiam Canonicos Ecclesiæ majoris, & Presbyteros SS. Chrysanti & Dariæ (4) sanctissimis legibus subjecisse anno MXXIII. Monasterii Benedictinorum, Ecclesiæque D. Euphemiæ (5), nunc prope Portam Turrislongæ, olim in latere mon-

(4) Ecclesia SS. Chrysanti & Dariæ exstabat olim prope Cathedralem S. Petri majoris.

(5) Hoc est illud Monasterium, cujus mentionem fecimus in Landulpho I. ex privilegio Callisti II. edito a Margarino Tom. II. Bullarii Casin. pag. 136., ex quo probabiliter Mabillonio innotuit: nam ipse in Indice Tom. IV. Annal. Benedict. ad syllabam L. edit. Parisiensis, nec non Lucensis ita refert: *Landulphus Episcopus Brixiæ* num. 110; cujus tamen Episcopi mentionem neque loco notato, neque sexcentis aliis, quæ lustravimus, invenire potuimus. Alicubi tamen, etsi extra ordinem, eam notitiam haberi creditu facile est, tum quia indices ex rebus pertractatis confici soleant: tum quia difficile est, Monasterium S. Euphemiæ accuratissimam fugisse Mabillonii diligentiam. Nos aliqua apposite de eo notabimus ex mss. ab Astezato citatis pag. LI. Prolegom. ad Evangelistam Manhelmum. Euphemianum Cœnobium situm olim erat secundo ab Urbe lapide in Vico S. Euphemiæ: at anno 1432. soluta Pieminana Brixiæ obsidione, cum illud esset solo æquandum, ne contra Urbem in eo deinde hostes sese communire possent, Monachi ibidem commorantes immigrarunt in Urbem ad Oratorium SS. Simonis & Judæ eorumdem juris, atque ad ædes, quæ in usum erant urbani hospitii in *contrata* ut dicitur *Turrislonga*. Hujusmodi ædes incolebant olim sub titulo *S. Mariæ*, Fratres Sororesque Humiliatorum de Urceis. At eas anno 1322. Joannes XXII. per Paganum Aquilejensem Patriarcham, atque Apostolicum in hac re delegatum junxerat Abbatiæ Euphemianæ, ea lege, ut Fratres quatuor, totidemque Sorores ex illis superstites Monasticam disciplinam sub regula S. Benedicti profiterentur, eisdem victum, vestitum, cæteraque quoad viverent sufficientibus Monachis Euphemianis, neque una omnes ut antea, sed ex seorsim ab illis deinceps viverent. Erat enim Cœnobium hoc, ut dicitur, *Duplex*; cujusmodi plurima fuisse non solum in Hispania, aliisque regionibus, sed etiam in Italia vetustæ chartæ nos docent, apud Cl. Brunatium in libro, cui titulus: *Ragionamento sopra il titolo di Canonichesse delle Monache di S. Pietro*, & apud Cl. Fortunatum Vigna in Opusculo inscripto: *Preliminare di alcune dissertazioni intorno alla Storia della Città di Vicenza pag.* 111. Quæ chartæ, quemadmodum & aliæ a nobis inspectæ, si Muratorio innotuissent, haud certe negasset duplicia hæc Monasteria usquam in Italia exstitisse; ita enim scriptum reliquit Dissert. de Monasteriis Monialium Tom. V. Antiq. Ital. pag. 527. *Porro ignotum mihi est, an apud Italos spectata unquam fuerint Monasteria duplicia,*

montis, qui dicebatur *Dignus*, ipse procul dubio dicendus est Auctor: minime vero Landulphus hujus nominis I. Rem testatam facit sepulcralis inscriptio, quam nunc primum in lucem proferimus ex frustulo Calendarii ad usum Ecclesiæ Euphemianæ Seculo XIII. in pergamena charta conscripti, quod frustulum hodie exstat in Archivo Monasterii Euphemiani, donatum a laudato Doneda.

„ Presul Landulfus pater almus factor & huius
„ Cenobii cripta. hic jacet exigua
„ Assumpti xpi de forma virginis anni
„ Dum ruit hac vita, sumpsit amena via.
„ Nam decies centum: terni deciesque fuerunt
„ Inditio penta bis super atque tria
„ Hicque die majas sexto ruit ante Kalendas
„ Pro quo felices en modo ferte preces.

Hoc Monumentum simul de auctore Monasterii Euphemiani probatissimam facit fidem, simul Landulphi obitum contigisse exprimit die XXVI. Aprilis anni MXXX. Namque decies centum significat millesimum: terni decies reddunt trigesimum: deinde Indictio *penta* (quæ vox græca est) nempe quinta, bis ducta reddit Indictionem decimam, cui si addas vocem tria Indictionem habebis XIII., quæ utique incidit in annum MXXX. Reliqua vero per se fluunt. Accedit etiam in eodem

cia, hoc est conjuncta Monachorum & Monialium domicilia, seorsum tamen habitante utroque sexu, & in alterius septa ingredi vetito, quam consuetudinem jamdudum, & longe antequam nasceretur S. Benedictus Orientis Monachi invexerant. Quo tandem loco illud colligitur, consuetudinem etsi pluries olim vetitam, nihilominus non solum extra Italiam, uti loco laudato observat Muratorius, sed etiam intra Italiam seculis etiam posterioribus obtinuisse. Reipsa medio seculo decimoquarto Brixiana in Diœcesi præter commemoratum Humiliatorum, & aliud erat Monasterium duplex secundo ab Urbe lapide cis Mellam. Porro & hoc Monasterium duplex fuisse palam facit pergamena in Archivo hujus Seminarii, cui Monasterium illud & bona jamdiu unita fuerunt, asservata, signataque die duodecima Aprilis anni 1353., ex qua hæc decerpsimus eam consuetudinem confirmantia:

„ Subter porticu domorum habitationis Sororum Sancti Jacobi de la Mella Ecclesiæ „ predictæ Diocesis Brixienlis..... Ibi con„vocato & congregato Capitulo & Conven„tu Fratrum & Sororum Ecclesiæ S. Jacobi „ de la Mella Diocesis Brixiensis more & „ loco solitis de mandato generosi & pru„dentis Viri Dum Boni Prioris dictæ Eccle„siæ S. Jacobi.... In quo quidem Capitulo „ erant SS-tus Prior, & Frater Johannes de „ Gavataris de Flumicello, confrater & con„versus Ecclesiæ antedictæ. Et Soror Oriel„da Priorissa dictæ Ecclesiæ, Soror Benve„nuta de Navis; Soror Jacobina de Mayra„no. Soror Graciolla de caspia. Soror Sibil„la de Tercio. Soror Agnelina de Urago. „ Qui dñs Prior & Frater Johannes & ipse „ Sorores erant totum Capitulum dictæ Ec„clesiæ, ut confessi fuerunt &c.

eodem Monasterio tumulatum fuisse testibus, præter citatam inscriptionem, nostris Catalogis, cum mss. tum editis. Porro omnibus notus est vetus usus Episcoporum, aliorumque insignium Virorum ad eum sibi eligendum sepulturæ locum, singulari aliquo ab ipsis beneficio affectum.

Statutæ chronologiæ obesse posset Florentinii auctoritas, qui in catalogo affirmat, hunc Landulphum ante annum MXXVII. obiisse, eo *quod privilegia S. Gratæ Virginibus Bergomi concessa anno MXXVII. auctorem habeant Odericum successorem* (6). At nihil inde moveor; propterea quod in hisce privilegiis aliquid mendi suspicari jure meritoque licet: recentioris enim ævi sunt procul dubio apographa, quæ accepimus a nobili Mario Lupo Canonico Bergomensi sedulo Patriæ Historiæ perscrutatore: a quo certiores etiam facti sumus autographa nullibi reperiri. Cum vero Monumentum supra adductum indubiam sibi vindicet fidem, ab ejus auctoritate minime recedendum esse arbitror.

Illud postremo admonitum volo, hunc Landulphum cum sacris tum civilibus Urbis rebus præfuisse; noster enim sæpe citatus Notarius eumdem refert in nostrorum Episcoporum numerum, qui exemplo Notingi facti sunt Comites Urbis, unde potestate etiam civili una cum Civitatis Consulibus donati fuerunt usque ad Raymundum, in quo videtur desiisse, quam iterum sibi Berardus Madius vindicavit.



L.

(6) Florentinius in Catal. edito.

L.

UDURICUS EPISCOPUS

ANNO DOMINI MXXXI.

AD S. MARIAM MAJOREM.

LAndulpho inde Uduricus sufficitur, qui teste Rubeo (1) unus fuit ex paucis Italiæ Episcopis, a quibus Conradus Franconiæ Dux in Regem Italiæ, mortuo Henrico, salutatus coronatusque fuit Mediolani in S. Ambrosii, uti mos erat, Basilica anno MXXVI. ab Heriberto Mediolanensi Archipræsule, præcipuo Conradi electionis auctore (2). Ea de caussa Uduricus, novi Regis gratia maxime sibi conciliata, ab eo muneribus fuit cumulatus. Hæc inter illud est maxime commemorandum, quo omnium primus Conradus Diplomate dato Idibus Julii anno MXXXVII. (3) Brixiano Episcopo, Ecclesiæque principi S. Mariæ concedit pro *Dei amore*, & pro *sua anima remedio* Monasteria, Abbatias, Curtes, Plebes, præcepta: nominatim *montem de Castenedulo cum Sylva* cunctisque inibi pertinentibus, & *Montem Dignum* cum suo circuitu in integrum, portas Urbis, districtum Ecclesiasticum, omnemque publicam functionem Urbis, tam intus, quam foris in circuitu per quinque milliariorum spatium; ambas insuper ripas fluminum, Olei videlicet & Mellæ, quæ ad publicam Imperialemque jurisdictionem pertinebant, ab iis scilicet locis, ex quibus ipsa insurgunt, usque dum eadem flumina in Padum fluvium intrant. Tandem quod nemini liceat in iis fluminibus portum habere, nec

(1) In ms. Historia ad annum 1031. Hujus coronationis, de qua dubitare non licet, tempus & locum in tenebris latitare affirmat Muratorius in Annal. ad annum 1026. Tom. VI. pag. 82.

(2) Vide Sigonium ad annum 1026.

(3) Licet ex monumentis a Muratorio productis Differt. LXXI. Tom. VI. Antiquit. Ital. constet, longe ante hoc ævum Italiæ Episcopos Regum concessione hujusmodi privilegiis frui cœpisse, ex Brixianis tamen nullum, cui fuerint concessa, Ulderico antiquiorem invenio. Diximus quidem Notingo, Ardingo, Gotfredo, Adalberto, Landulpho II. Comitis dignitatem, hoc est civile Urbis regimen traditum fuisse; at non statim conficiendum, eorum jura extra Urbem, Urbisque pomœria producta fuisse. Nonnullis quippe Episcopis Urbs, universusque ejus Comitatus: nonnullis vero sola Urbs cum suis pomœriis, trium aut quatuor, aut quinque mille passuum regenda tribuebatur, quod etiam in Notingo adnotabamus pag. 131.

nec noviter ædificare ad navale negotium exercendum in grano, vino, & sale, nisi per licentiam & consensum Episcopi, qui pro tempore in hac Sede fuerit ordinatus & constitutus (4). Tanta autem auctoritate tantisque juribus donatus merito Urbis Dominus appellari potest. Huic honori & alium addidit Conradus, nempe, a secretis Episcopum nostrum sibi eligendo, quo fulgens munere, Ecclesiæ quoque Taurinensis commoda apud Conradum maxime promovit. Rem testatam fecit Imperator Diplomate dato in favorem Vidonis, qui anno MXXXVI. consecratus fuit Præsul Taurinensis, verba Diplomatis huc spectantia sunt hæc: *omnibus....innotescat quod petitione, atque precamine Odolrici Brixianæ Civitatis Episcopi omnes..., & proprietates* (Ecclesiæ Taurinensis) *confirmamus.... omnia, ut dictum est per Imperialem paginam confirmamus huic nostro fideli Vidoni Episcopo pro remedio animæ nostræ, nostrorumque Successorum, & pro petitione a supradicto Odolrico nostro Consiliario Brixiano Antistite: Datum XVIII. Kal. Aprilis Anno Dom. Incar. MXXXVIII. Indict. VI. Anno autem Conradi regnantis XIV. Imperatoris XII. Actum Coloniæ feliciter* (5).

Eximiis hisce muneribus Episcopum nostrum auxit Imperator tum quia ejus suffragio, ut diximus, in Italiæ Regem electus fuerat, tum quia multis reverentiæ atque humanitatis argumentis ab eodem fuerat acceptus, quando ineunte anno MXXXVII. Mediolanum contendens Brixiam pertransierat. Cujus itineris, quod Malvetium fugit, notitiam acceptam referre debemus Hermanno Contracto: *Imperator*, sunt hæc ejus verba in Chronico ad hunc an. MXXXVII. (6), *celebrato Veronæ Natali Domini per Brixiam & Cremonam, Mediolanum pervenit*. Verum tam splendida Principis munificentia effecit, ut cum Civitate controversiam contraxerit; namque Civitas in Montem Dignum, in Castenedulum, in

Op-

(4) Ita est in Diplomate Conradi signato Idibus Julii anno Dominicæ Incar. MXXXVII. Indict. V., & acto in loco qui dicitur *Caldera feliciter*, qui locus est ditionis Veronensis ad ripas lacus Benacensis occidentales. Publici autem juris ex Regesto membranaceo Civitatis factum est a Galeardo in notis ad Ughellum pag. 539., quod tamen ex eodem Regesto septem & quadraginta ante annos in erudito Tractatu juridico de fructibus pag. 90. Franciscus Gallus Brixianus ediderat.

(5) Illius Diplomatis meminere Augustinus ab Ecclesia cap. 5. Hist. Pedemontis, & Ughellus in elogio Vidonis Præsulis Taurinensis Tom. IV. Ital. Sacræ pag. 1037., editum deinceps fuit ex Archivo Regio Taurinensi Tom. I. pag. 167. Collectionis Monumentorum Gothofredi Hoffmanni.

(6) Tom. III. Veterum Lectionum Henrici Canisii pag. 266.

Oppidum Castri omne se habere jus dicebat; quo ut spoliaretur nulla ratione pati poterat. Prudens vero Episcopus Civium benevolentiam & pacem præ bonorum dominio reputans, disceptationi imposuit finem, facta Civitati eorum locorum donatione, cujus rei testis est charta, quam ex autographo *Poteris* (7) libro in secretiori Cancellariæ Civitatis Archivo custodito Lectorum oculis nunc primum subjicimus.

,, ℞. Concessionis Privilegij Olderici olim Epī Brixien.
,, super facta Castri & Montis Digni, & Casteneduli.

,, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Con-
,, rado gratia Dei Imperatore Augusto. anno imperij ejus
,, undecimo mense Januario Indictione septima *. Vobis La-
,, franco & Manfredo, & Amizoni, Tizoni. Gariardo.
,, Vualberto. Ildeprando. Vicigelmo. Miloni. Giselberto.
,, Moysi Judici. Uberto. Teutaldo. Anselmo. Lanfranco.
,, Adæ. Davit. Laurentio. Redienzoni. Tenzoni. Vuiliel-
,, mo. Raconi. Senoconi. Azoni. Uberto. Grimoldo. Ga-
,, riardo. Patrico. Brixiano. Lanfranco. Vualperto. Obi-
,, zoni. Petro. Eimoni. Teutaldo. Gandulfo. Giselberto.
,, Odoni. Amizoni. Lanfranco. Benedicto. Lanfranco. Gi-
,, selberto. Arderico Notario. Alberico. Patrico. Nigroni.
,, Amizoni. Ingelberto. Vualperto. Andreæ. Alberico. Il-
,, deprando. Tezoni. Teutaldo. Alberico Notario. Eriber-
,, to.

(7) *Potere Comunis Brixiæ* complectitur contractus, & conventiones, tractatus, & stipulationes undecimi, & duodecimi Seculi spectantes ad publica Urbis Brixianæ jura. Huc relata fuerunt acta, petita ex autographis, quæ jam disperierunt. Volumen pergamenum est paginarum centum quinquaginta, opus cujusdam Sacerdotis nomine Joanois, dicti de Pontoleo, Archipresbyteri Ecclesiæ Trensani, cœptum anno 1255. die 9. Septembris io ædibus Episcopalibus Brixiæ, quo tempore Prætor Urbem regebat D. Izelinus de Marcellinis, Mediolanensis. Hæc, quæ ad auctorem & tempus pertinent, comperi in Inventario omnium librorum & Scripturarum prostantium io reconditiore Tabulario Illmæ Civitatis ad diem 17. Junii anni 1627., quod mihi consulere licuit octo ante annos. Qua de caussa plurimum debeo Illmis Publicis Septemviris, qui mihi tunc ejusdem legendi atque exscribendi copiam humanissime fecerunt. Exemplar ejus libri vulgari charta compactum asservatur etiam in Cancellaria ejusdem Civitatis ad usus quotidianos. Porro in hoc, quod edimus, Monumento, sub ioitium citati *Poteris* descripto, utile & jucundum erit formulas legere tunc usitatas, cujusmodi sunt *Capellare*, scilicet coodúcere; *ingazare*, scilicet jus pascuandi: *launechild crosinam*, quod erat pallii aut vestis genus, pellibus plerumque confectum; item genus oominum, ex quibus cognoscitur, familiarum cognomina oondum apud Brixiaoos obtinuisse. Denique aliquod de quibusdam viis & locis documentum, quod intelligendæ hujus Urbis antiquæ typographiæ inservire potest.

* Ita in ms., sed fortasse legendum quinta.

„ to . Amichoni . Oddoni . Lafranco . Oddoni . Arialdo :
„ Ardrado . Johanni . Petro . Rainerio . Lupedeo . Alberto .
„ Johī . Giſelberto . Picioni . Petro . Teudaldo . Iſac . Ge-
„ beconi . Obizoni Notario . Oddoni . Amizoni . Giſulfo .
„ Ricardo . Ugoni . Rainfredo . Vualdoni . Petro . Vuilliel-
„ mo Notario . Uberto . Gebizoni . & iterum Vuillielmo
„ Notario . Gariardo . Mauronto . Teudaldo Notario . An-
„ ſelmo . Miloni . Grimoldo . Turiſendo . Johī . Grimizoni.
„ Meclunzoni . Aldrado . Mainfredo . Giſelberto . Vuidoni .
„ Ildeprando . Leuperto . Oberto . Attoni . Landulfo . Johī .
„ Rainerio . Grimaldo . Ildiprando . Bonizoni . iterum Bo-
„ nizoni . Attoni . Arderardo . Gariardo . iterumque Gariar-
„ do . Johī . Armeſſulfo Notario . Rodulfo Notario . Tezo-
„ ni . Maurunto . Lafranco . Arduinc . Jubiano . Amizoni
„ Archidiacono . Urſoni Archipresbitero . Boneſomo . Teuzoni .
„ iterum Teuzoni. Vitali. Johī . Rodulfo . Ambroſio . Lanfranco .
„ iterum Lanfranco . Gotefredo . Recordato . Amiconi . Vui-
„ doni . Petro Diacono . Uberto . Johī . Abraam . Indever-
„ to . Oddoni . Teuzoni , Vualperto . Uberto Subdiacono .
„ Amiconi Archidiacono . Bonoſilio . Vualdoni . Ariſeo .
„ Mauringo . Anſelmo . Gariardo . Giſelberto . Vuidoni pre-
„ sbiteris . ceteriſque liberis hominibus Brixiam habitantibus
„ meis ſpiritualibus filijs . Ego Odelricus Dei gratia Epūs
„ Brixien . qui profeſſus ſum lege vivere Romana ut exem-
„ plum pacis & humilitatis exiſtam vobiſcum . Ut pater
„ cum filiis letanter & pacifice vivam , omnem occaſionem
„ omnemque reſpectum litigij & contentionis auferre decre-
„ vi ut deinceps ſub meo regimine meorumque Succeſſorum
„ abſque ulla moleſtia & vaſtatione * ex iſtis cauſis ut ſub-
„ ter legetur vivatis . Quapropter obligo me ego qui ſupra
„ Oldericus Epūs meoſque Succeſſores & noſtras ſumittentes
„ perſonas vobis ſupradictis hominibus veſtriſque filijs filia-
„ bus & hęredibus & prohęredibus ſimulque omnium pro-
„ genie * infinitum ut deinceps in antea nullo umquam in
„ tempore non habeamus licentiam nec poteſtatem per nul-
„ lum quodvis ingenium nullamque occaſionem quæ fieri
„ poteſt nullum edificium facere in illo Monticello qui eſtat
„ infra eamdem civitatem Brixiam a parte Montis cum his
„ co-

* Ita in mſ. , ſed fortaſſe legendum : vexatione . * Supple : in infinitum .

„ coherentijs quę fubter leguntur. Coheret ei qui fupra
„ Monticello a mane & monte ac fera Murus ipfius Civi-
„ tatis a meridie via quę inchoat ita a fiftula quę dicitur
„ ampheo quę pergit per Cafalta ufque ad Carnarium &
„ de ipfo Carnario ufque ad Turrim quę dicitur Saranci.
„ infuper obligo me qui fupra Oldericus Epūs meofque fuc-
„ ceffores ac noftras fumittentes perfonas adverfus vos qui
„ fupra vicinos eiufdem Brixię civitatis habitantes veftrofque
„ filios & filias & hęredes & prohęredes fimulque omnem
„ progeniem veftram Montibus qui nominantur Monte Di-
„ gno & Caftenedulo qui funt de foris muro ipfius civitatis
„ nullam interdictionem faciemus nec ego aut mei fucceffo-
„ res pafcuandi incidendi & capellandi five ad comunem
„ utilitatem mecum & cum meis fucceſſoribus ingazandi
„ quocumque tempore veluti & funt cum coherentijs unuf-
„ quifque eorum quę fubter leguntur a mane ipfius Montis
„ qui dicitur Monte Digno vallis quę dicitur Botecino. a
„ meridie terra Monafterii Scē Euphemię & fontana quę
„ nominatur Cazeferrea. a fera iam dicta civitas Brixia &
„ in parte coniculus ipfius civitatis. & terra quę pertinet
„ de villa Montifpiano. a monte terra quę pertinet de villa
„ quę dicitur Nave. Coheret eidem Monti qui dicitur Ca-
„ ftenedulo. ab una parte via quę dicitur Mantuana. ab
„ alijs omnibus partibus Campania. Quod fi amodo aliquo
„ tempore ego qui fupra Oldericus Epūs meique fucceffores
„ aut noftre fubmittentes perfone in prenominato Monti-
„ cello qui eftat intra hanc urbem Brixiam ficut fuperiori-
„ bus coherentijs declaratum eft. aut fi ego prędictus Ol-
„ dericus Epūs meique fucceffores aut noftre fubmittentes
„ perfone vobis prenominatis hominibus veftrifque filijs filia-
„ bus veftręque progeniei contradicere prefumpferimus de
„ Montibus qui nominantur Monte Digno & Caftenedulo.
„ ficut fupra legitur. mecum & cum meis fucceſſoribus ad
„ incidendum & capellandum atque ingazandum five ad
„ pafcuandum. tunc ego qui fupra Oldericus Epūs obligo
„ me meofque fucceffores componere per hanc meam pro-
„ miffionem adverfum vos prędicti homines veftrofque filios
„ & filias & hęredes ac prohęredes veftramque progeniem
„ pęnam auri optimi libras duo millia. & poft pęnam com-

L „ po-

„ positam prędens hęc mea promiſſio omni tempore firma
„ & ſtabilis eſſe permaneat atque perſiſtat inconvulſa . cum
„ ſtipulatione ſubnixa & ad confirmandam hanc meam pro-
„ miſſionem accepi ego qui ſupra Oldericus Epũs a vobis
„ prędictis vicinis in eadem Civitate habitantibus ex inde
„ launechild Croſinam unam ut hęc mea promiſſio perhen-
„ ni tempore firma permaneat atque perſiſtat inconvulſa
„ cum ſtipulatione ſubnixa ac infra ſupraſcriptam civitatem
„ Brixiam feliciter ☧ Oldericus Dei gratia Epũs a me facta ſſ

„ Aldebertus iudex ſacri pallatii doctus me ſſ
„ Albericus rogatus teſtis . ſſ.

Hic Uduricus unus fuit ex Epiſcopis , qui ſubſcripſere Latiſundiorum ac jurium donationi per Poponem (qui & Wolffgangus appellatur) Patriarcham ſuæ Aquilejenſi Eccleſiæ factæ anno MXXXI. (8) . Deducta vero ex hac ſubſcriptione ab Aſtezato conſecutio , ut Aquilejenſi Eccleſiæ Brixianam illo ævo paruiſſe conficiat , fuit a nobis ad trutinam revocata atque exploſa Cap. III. Diſſertationis Proœmialis in Reſponſione ad tertiam objectionem . Anno deinde 1046. petiit Uduricus Ticinum , ut Concilio regia illa in Urbe celebrando intereſſet (9) .

Henricus , laudati Conradi filius , hoc anno defuncto Patri in ſolio Imperiali ſubrogatus appellatuſque Henricus ab aliis II. , ab aliis III. a ſecretis eum ſibi elegit , plurimumque ei tribuens , Monaſteriis Tollenſi & S. Conſtantii , quorum alterum in Placentina , alterum vero in Taurinenſi Diœceſi ſitum erat , Udurici noſtri , & Guidi Taurinenſis Epiſcopi precibus , aſſeruit prædia , quæ illis Monaſteriis ab Heriberto Mediolanenſi Præſule donata Guido , Heriberti Succeſſor , *diſſipare* atque *deſtruere* conabatur (10) . Henrici Placitum in Tabulario Abbatiæ Tollenſis exiſtens datum eſt anno Domini MXLVII. Hinc patet deferendam eſſe Floren-

tinii

(8) Tabulæ citantur ab Ughello in Epiſcopis Brixianis pag. 539. & extant in citatis monumentis Aquilejenſibus pag. 518.

(9) Tom. XI. Concil. Labbè pag. 139. , & apud Ughellum in Epiſcopis Veronenſibus Tom. V. pag. 760.

(10) Ex Archivo Tollenſi publici juris fecit Campius Tom. I. Hiſt. Placentinæ pag. 509.

tinii chronologiam ſcribentis, e vivis abiiſſe Uduricum anno MXLI., atque adhærendum Ughello & Fayno Udurici mortem figentibus in annum MXLVIII. (11) Sepulturam accepit ad S. Mariam Majorem. Hic eſt ultimus ex noſtris Epiſcopis, quos temporalem quoque Urbis politiam Comitis titulo annexam tenuiſſe, enumerat ſupra commemoratus Landulſus Notarius. Ne tamen colligas velim eam Dignitatem in eo prorſus deſiiſſe, ut enim impræſentiarum prætermittam, quod ſuo loco adverſus Aſtezatum ſum oſtenſurus, Berardum nempe Madium in res quoque Civicas ſummum habuiſſe dominium, illud cum eodem Aſtezato mihi convenit, textum pacis Conſtantienſis initæ anno 1183. inter Fridericum I. Imperatorem & Civitates Lombardicæ Societatis ſuadere, Brixianum Epiſcopum non titulo ſolum, ſed & reipſa fuiſſe Urbis Comitem, ſcilicet, ut ea ferebant tempora, ſummum tenuiſſe una cum Conſulibus dominium: Aſtezati verba ad rem ſpectantia ſunt hæc (12). *Cum enim cautum ſit ibi* (in pace Conſtantienſi), *ut qualibet Lombardiæ Civitates, quarum Comitatus Privilegio Imperatoris vel Regis penes Epiſcopos non ſit, Conſulatum ab Imperatore recipiant; inter eas vero, quæ receperant, neque in textu apographo autentico ex Tab. S. Juliæ....neque in editis ullis, quod ſciam, Brixia legatur, Comitatu Civitatis eum re potitum inde crediderim*.



L 2 LI.

(11) Nulla ratione ferendus Malvetius, qui p. 872. citati Chronici ſcribit, circiter annum 1050. tres in ipſa Urbe Roma fuiſſe Summos Pontifices, quorum unus *Damaſus Brixienſis Epiſcopus apud Baſilicam S. Petri ſedebat, ſed anno ſuæ electionis defunctus eſt*. Decepit hominem ſimilitudo vocis apud Hermannum Contractum, a quo Damaſus in Rom. Pont. electus anno 1058. *Epiſcopus Brixienſis* appellatur, ſed hic procul dubio erat Poppo ex Germania oriundus Brixinorum Epiſcopus in Comitatu Tirolenſi; ſunt qui putant, eam vocem in Hermanno Contracto Amanuenſium oſcitantia vitiatam, ſed alii e contrario ſuſtinent, eos populos haud raro appellatos fuiſſe *Brixienſes*. Obiter hic adnotatum volumus eadem vocis ſimilitudine in errorem adductos fuiſſe aliquos Scriptores, quibus perſuaſum fuit in noſtra Brixia habitum fuiſſe Concilium ab Epiſcopis, qui Henrico IV. Imperatori per Gregorium VII. anathemate percuſſo favebant. Sed errorem jamdiu ſuſtulerant Editores vitarum Rom. Pon. typis Vaticanis an. 1630.

(12) Pag. XXXIV. citati Commentarii.

L I.
ADELMANNUS EPISCOPUS
CIRCITER ANNUM MXLVIII.
IN MONASTERIO SANCTI FAUSTINI.

VEnio nunc ad Adelmannum, variis nominibus appellatum, prout cuilibet de illo ſcribenti libitum fuit; vocatur enim Almannus, Haritmannus, utque alios taceam, ab illo famoſo Berengario Hæretico, de quo infra loquendi occaſionem habebimus, per jocum: *Aulus Mannus*. Adelmannum itaque ſua & poſterorum ætate ob ingenii acumen, eloquentiæ laudem, atque Euchariſtici Sacramenti a falſis opinionibus vindicandi zelum celeberrimum, natione Germanum fuiſſe, trita eſt vulgataque opinio. At Galeardus omnium fortaſſe primus dubium movit, atque in aliam viſus eſt declinare opinionem. Etenim ſub finem Adelmannicæ, de qua mox acturi ſumus, præfationis, Gothifredi Siberi (1) expoſita ſententia, ita ſequitur (2): *Quam probabiliter faciat, alii viderint: ego profecto non facile aſſentiri queo; cum Adelmannus ipſe inter Teutonicas gentes hoſpitem ſe ac peregrinum eſſe dixerit, ut in notis obſervavimus: nec ratio ulla ſit cur eum a gentis nomine, ut vult Siberus, Almannum ſeu Alemannum vocemus; cum ipſemet in Rhythmis alphabeticis diſerte ſe Adelmannum appellet.*

Nota vero ad quam in præfatione Galeardus provocat ſic ſe habet (3), recitatis Adelmanni verbis iſtis: *ut non ſolum latinas, verum etiam Teutonicas aures, inter quas diu peregrinor. Videtur Adelmannus hoc dicere, quaſi pertæſus Leodienſis Domicilii, ſi tamen hæc Epiſtola, ut mihi veriſimile eſt, Leodii data fuerit; Leodienſis enim Epiſcopatus Germaniæ accenſetur in VVeſtphalico Circulo; ideoque Teutonicas aures nominat, inter quas nimium longo incolatu peregrinari ſe profitetur. Itaque Adelmannus, nec Leodienſis erat, nec Teuto. At numnam aliqua hinc extundi poteſt conjectura de natione Adelmanni? Plane non*

(1) Lib. de Illuſt. Alemannis.

(2) Pag. 302. edit. Patavinæ, Brixianæ vero pag. 408.

(3) Loc. cit.

non video, quamvis verba ista "non solum latinas, verum etiam Teutonicas aures, inter quas diu peregrinor" aliquid subindicare videantur. Num quia inter aures Teutonicas peregrinabatur, inter latinas minime hospes erat, ideoque latinas Teutonicis opponit? Nihil ausim temere affirmare, licet alioqui sciam, ea tempestate magnos viros natione Italos Fulbertum Carnotensem, & Lanfrancum Cantuariensem in transalpinis regionibus una cum Adelmanno claruisse. Hactenus Galeardus, cujus ratiocinatio adversus communem Scriptorum consensum quanta sit, tanto non valemus ingenii acumine, nostrum ut interponamus judicium. Illud certum est, Conditoribus Actorum Lypsiensium, in suis vindicandis Germanis quavis occasione promptissimis, Galeardi objecta omnia minus fuisse probata, unde ad annum MDCCXXII. (4) Galeardo his verbis litem intentarunt: *Verum idipsum, quod ad auferendum Germanis Adelmannum Cl. vir protulit, tanto fortius eumdem Germanis vindicat. Hoc ipsum enim Adelmanni nomen plane Germanicum est, originesque Brixiensis Præsulis satis demonstrat. Nec peregrinatio inter Teutonicas aures hanc assertionem destruit, quum peregrinandi vox meram vivendi significationem apud Adelmannum habeat, quod ex ejusdem Epistola constat; unde certum est non alia ratione se peregrinantem dixisse, atque David se peregrinum cum Patribus dixerat, qui tamen constanter in Palestina resederat. Præterea cum Berengarium Francum fuisse constet, cujus se collactaneum vocat Adelmannus, cum quo adolescentulo ipse majusculus in Academia Carnotensi fuerat educatus, ad quem, cum litteras mittere vellet, hominem linguæ Franciæ non ignarum quærebat, & certe non amplius dubitandum erit Adelmannum Germanis, ad quos Franci pertinebant, accensendum esse.*

Ad hæc nihil responsi dedit Galeardus, etsi reliqua eodem loci objecta sibi sphalmata diluere strenue non prætermiserit data ad Burchardum Menchenium Epistola typis Brixianis edita Cal. Octobris MDCCXXIII., nihilo tamen minus a pristina non recessit opinione, cum eadem prorsus verba in nova inculcet facta sex supra decem annis ab edita ad Burchardum Epistola, veterum Brixianorum Patrum editione. Galeardi opinionem nuperrime sequutus est Comes Joannes

(4) Pag. 287.

Maria Mazzuchellus (5), quem honoris caussa nominamus, cum ob ingentem in re potissimum litteraria eruditionis copiam, tum ob strictissimum quo sociamur amicitiæ vinculum.

At qualis demum cumque fuerit Adelmanni Patria, illud pro certo habendum, a prima Adolescentia sermonibus se dedisse eximiorum virorum, qui per ea tempora in celebri Academia Carnotensi versabantur. Fulgebat enim in Adolescente indoles virtutis. Itaque ad amicitiam accessit Fulberti Urbis Episcopi, quo favente Galliarum studia floruere, brevique tempore in intimam pervenit familiaritatem Socratis hujus venerabilis, (6) cujus exemplo usus & instructionibus tantum in divinis litteris profecit, ut Fulbertus anno MXXIX., quo etiam obiit, Reginaldum Leodiensem Episcopum securum esse jusserit, *de illa ove, quæ* (7) *in nostris pascuis obversatur, fratrem A: Subdiaconum loquor, qui Dei gratia bene ruminat & Luporum insidias sagacitate cavet*. Quocirca permanata Adelmanni virtute Leodiensium scholarum obtinuit præfecturam anno MXLI., quo Watho eodem fungens munere Urbis renunciatus fuit Episcopus. Suscepta Adelmannus Provincia hac occasionem paullo post nactus est ostendendi, quanto arderet vindicandæ orthodoxæ doctrinæ studio, quantam consecutus fuisset sacrarum litterarum peritiam, quanta valeret elegantiæ copia & ingenii acie. Quandoquidem eos inter, quorum dulcissimo contubernio, & amicitia Carnotensibus scholis operam dando utebatur, unus fuerat ex præcipuis minor se natus, Berengarius domo Turonensis. Hic e Carnotensibus scholis domum reversus, clero adscriptus, ecclesiæque Andegavensis creatus Archidiaconus apud suos perseverans Turonos præceptoris munus agebat tempore illo, quo ex Italia in Franciam veniens Lantfrancus in Beccensi Monasterio sanctimoniæ litterarumque Academiam tanta hominum frequentia ex universis Galliæ partibus instituerat, ut discipulorum Berengarii numerus non parum fuerit imminutus. Hoc ægre ferens, qua erat animi elatione, Turonensis præceptor *ad eructanda impudenter divinarum Scripturarum arcana* (teste Guitmondo Archiepiscopo Aversano (8) ipsius Berengarii coævo sub initium libri I. de veritate Euch.) *quibus adolescens, & aliis eatenus detentus studiis, nondum adeo inten-*

(5) *Degli Scrittori Italiani* Vol. I. Par. I. pag. 137.

(6) Sic Fulbertus vocitabatur.

(7) Inquit Epistola 59. ad R.

(8) Tom. II. pag. 351. Biblioth. PP. Colon.

tenderat, se se convertit, & ea, quorum novitate omnium corda permoveret, atque omnium ad se oculos traheret studiose perquirens, maluit esse sub aliqua hominum admiratione hæreticus, quam sub oculis Dei private vivere catholicus. Quapropter receptam de SS. Eucharistiæ Sacramento avitam doctrinam labefactare inprimis cum sibi proposuisset, docere cœpit Eucharistiam non esse vere substantialiterque Corpus & Sanguinem Domini, sed teste eodem Guitmondo, sola voce sic appellari, eo quod tamquam umbra & figura significativa sit Corporis & Sanguinis Domini.

Pravarum opinionum rumorem ut percepit Adelmannus in Teutonicis partibus degens, Amici commiseratus casum mentisque abalienationem, duas conscripsit Epistolas: alteram ad Paulum, sive Paulinum Metensem Primicerium eum cohortans, ut Berengarium communem Amicum ab erroribus revocare studeat, quam Epistolam nondum esse detectam maxime dolendum: alteram vero ad eumdem Berengarium, in qua admirando quodam genere eloquentiæ, ac sermone plane diserto, Sanctorumque Patrum dictis referto, Amicum monet, hortatur, increpat, quaquaversum coarctat (9).

Eodem anno scilicet MXLVIII., quo scriptam putat Galeardus hanc Epistolam ad Episcopalem, hanc sedem evectus dicitur. Quonam vero pacto homo alienigena, si reipsa Alemannus erat, eamdem acquisiverit non erit ab re, quod nos omnium (ut putamus) primi investigemus. Neque difficile erit conjecturam probabilem innuere, si vicissitudines illius seculi memoria repetamus. Etenim in exemplis, quæ tertio quoque verbo in illorum temporum historiis occurrunt, procul dubio constat, morem tunc obtinuisse, ut conferretur ab Imperatoribus Romanis temporale Ecclesiarum dominium (10). *Illis diebus investituras Ecclesiarum Imperatores conferre solebant*, inquit Anonymus Scriptor Vitæ S. Othonis Archiepiscopi Bremensis. Roma ipsa cæteræque Italiæ Urbes videntur id juris Imperatoribus contulisse; mortuo enim Episcopo baculum, anulum aliaque Episcopalia ornamenta Curiæ Imperiali transmittebant, quæ novus Episcopus ab ipsomet Imperatore accipiebat.

(9) Pulcherrimum hoc opus etsi haud magnæ molis quantivis pretii sit vel ipsæ testantur Cl. Virorum de eodem laudes atque repetitæ editiones, quarum elenchum loco supra commemorato dedit Mazzuchellus.

(10) Brixiam eo tempore Imperatoribus Germanis ita paruisse, ut publicæ res per Consules excluso tunc Episcoporum in civicas res Dominio gubernarentur (quod & post longis temporibus observatum est) testis est Malvetius loc. cit. pag. 870.

bat. Unde *Investituras* dicebantur Episcopi accepisse, quemadmodum fuit observatum a Cardinali Norisio sub initium libri, cui titulus *delle investiture, e dignità Ecclesiastiche*. Cum igitur Henricus hujus nominis III. Germaniæ Rex Occidentis fuerit Imperator, cupiens etiam Italiam sibi devinctam tenere, nihil est mirum, si hac in Urbe Germaniæ proxima Episcopum sibi cognitum sibique benevolum, utpote Germanum collocavit eumdem in finem, quo & alterum Veronæ dederat Germanum Episcopum Brunorum nomine, uti scite fuit ab eodem Norisio observatum: eumdemque in finem miserat Romam Poponem Brixinensium Episcopum hoc anno, ut in Pontificem consecraretur, uti reipsa accidit (11) atque fuit nominatus Damasus II. quo, tertio supra vicesimum a sua consecratione die, vita functo, alium quoque Germanum misit in eamdem Urbem, Episcopum scilicet Tullensem, nomine Brunonem, qui & ipse a Romanis in Pontificem electus fuit, dictusque Leo hujus nominis IX. Hæc de Rom. Pontificis electione a Baronio ad annos MXLVIII. MXLIX. narrata haud leviter confirmare videntur nostram conjecturam (12).

Post hæc nostro de Episcopo, silentibus auctoribus, nihil commemorare possumus. Sed antequam iter absolvamus, amolienda ab eo est Simoniacæ labis suspicio, cujus insimulatum fuisse ab uno Flavio Blondo Forojuliensi scriptum reliquit Galeardus in præfatione ad Adelmannum (13). At nisi aliorum quoque Scriptorum objici possent testimonia, Flavii auctoritas parum negotii nobis facesseret: *Sane Blondum* (verbis utor Galeardi loco citato) *indiligentem fuisse Scriptorem constat inter eruditos: Nec valde morosum in iis discutiendis, quæ in Commentarios inferret, nec quam vera potius, sed quam multa scriberet, curam habuisse*. Quæ Galeardi censura, cum de universis Blondi Operibus vera sit, de Italiæ Historia, in quam potissimum incumbere pro virili debuisset, verissimam olim cognoverat Sigonius; unde in nuncupatione Regni Italici ad Jacobum Boncompagnum hoc de illo Opere judicium tulit: *majora ille multo complexus, quam præstare homini occupatissimo licuit, nequaquam tantum, quantum oportuit, consequi studio aut diligentia potuit, nam cum omnium gentium Regumque bella motusque colligere ac me-*

(11) Ex Baronio ad annum 1048. num. 7.

(12) Alia exempla Episcoporum a Principibus in exteras Provincias missorum suppeditat Thomasinus de nova & veteri Disciplina Tom. II. Par. II. cap. 33.

(13) Pag. 406. Collectionis citatæ,

memoriæ mandare voluit, Italiam, quam intentiore ornare studio atque accuratiore perpolire opera debuisset, festinanti prope stylo & præcipiti quadam, ut ita dicam, industria pertractavit. Verum Ughello, Sigonio, atque Cardinali Nicolao de Aragonia, Cencioque Camerario, a quibus propter idem crimen Adelmannus vapulat nulla perinde, ac Blondo adhibenda erit fides? Namque Sigonius vetera Italiæ, & maxime Galliæ Cispadanæ Tabularia, atque omnia fere, quæ apud Civitates, Ecclesias, Monasteria, Pontificum, Regum, atque Imperatorum Diplomata residebant; singularum etiam Urbium Chronica, quæ post millesimum a Christo annum confici in Italia cœpta apud privatas familias asservabantur, a se fuisse perlustrata affirmat loco supra commemorato. De Brixianæ vero Urbis monumentis, quæ Sigonii ævo plurima exstabant, veram esse illius confessionem, testem habemus Florentinium in sæpe laudato catalogo ad annum DCCCCXLVII.

Sed cui dubia esse poterit auctoritas Cencii Camerarii, qui uno circiter seculo a Nicolao II. distans ejus vitam accurate descripsit, ejusdemque deinceps Cathedram ascito sibi nomine Honorii III. ascendit? Integrum ejus locum dare non piget, utpote qui fons & origo existimandus est, ex quo cæteros arbitramur rivulos profluxisse: *Liberata itaque Urbe ab eorum tirannide & in suo statu Ecclesia restituta, Legati Mediolanenses venerunt ad eumdem Pontificem suppliciter exorantes, ut Mediolanensis Ecclesie contritionibus misereri dignaretur, & compati. Hujus rei gratia venerabilem Virum Petrum Damiani Ostiensem Episcopum Nicolaus PP. illuc destinavit, & vices suas in corrigendis & statuendis ei concessit. Quod ubi ad memoratam Mediolanensem pervenit Ecclesiam, tamquam vir discretus & prudens sapientibus, & insipientibus se communem exhibuit, & paulatim ad honestatis & rectitudinis statum non tantum ipsam Ecclesiam, sed totam Mediolanensem provinciam per gratiam Dei reduxit. Post cujus reditum idem beatus PP. generale concilium celebravit, in quo cervicosos Lombardie antistites Guid. videlicet Mediolanen. cum C. Taurinen. G. Asten. B. Alben. G. Vercen. O. Novarien. A. Brixien. & O. Lauden. Episcopis fretus religiosorum auxilio sedere coegit; quibus districte precepit ut diaconos & Sacerdotes concubinatos ab amministratione altaris penitus removerent, & manifeste symoniacos ab honoribus suis deponerent. Alia quoque plurima de profectu Ecclesia-*

ſiarum & religionis obſervantia in eodem Concilio auctore Deo ſtatuta & ordinata ſunt (14). In idem recidit Cardinalis de Aragonia teſtimonium ex citato opere, quod nos cum Vaticano mſ. contulimus, ex quo & Blondum, Sigoniumque ſua derivaſſe, quemadmodum ex Cencio Camerario Cardinalem de Aragonia nullus dubito.

Sane per litteram initialem A. nonniſi Adelmannum poſſe intelligi, & ratio temporis ſuadet; cum Nicolaus II., teſte eodem de Aragonia, anno MLIX. Romanam, qua duobus dumtaxat annis fruitus eſt, obtinuerit Sedem: & per eamdem litteram alibi quoque Adelmanni nomen enuntiatur, nimirum in Fulberti Epiſtola ad Reginaldum Leodienſium Epiſcopum, fidem faciente Mabillonio in hæc verba, quæ exſtant in præfatione II. §. 2. n. 8. Seculi VI. Benedictini: *de Adelmanno intelligenda videtur Fulberti Epiſtola* 56. Neque inſolens (15) aut rarus fuit hic mos nominis exprimendi per unam initialem litteram. Sexcenta enim exempla in Epiſcoporum ad Concilia ſubſcriptionibus, inque medii potiſſimum ævi Scriptoribus occurrunt.

Verum hæc tanti non ſunt, ut ab antiqua boni nominis & venerabilis memoriæ poſſeſſione noſtrum Epiſcopum deturbare, ac ſimoniacæ labis inurere notam debeant. Nam ut ordiamur a Cencio Camerario, is octo Galliæ Ciſpadanæ Epiſcopos, inter quos ſeptimo loco Brixianum ponit, alius non arguit, quam obſtinationis, quæ in eo poſita fuiſſe videtur, quod in coercendis Diaconis & Sacerdotibus concubinariis & ſimoniacis ea ſeveritate non fuerint uſi, quam ſacri Canones, atque Summi Pontifices præcipiebant: maxima fortaſſe deterriti difficultate ob incredibilem hujuſmodi Clericorum numerum, qui fuit in cauſſa, ut idem Nicolaus in Concilio Romano (16) multum de ſacrarum ſanctionum rigo-

(14) Cencius Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Orphæo dictus de Sabellis S. R. E. Camerarius mortuo Innocentio III. Romanus Pontifex renunciatur anno 1216. ſed antea Nicolai II. geſta collegerat, litteriſque mandarat, quæ in ſecretiori Vaticano Archivo mſſ. cuſtodiuntur; in iis citatus, quem dedimus, locus continetur, præterea nihil, ad noſtros Epiſcopos quod attinet; quemadmodum neque in Aragoniano codice a Muratorio edito. Acta Nicolai II. ab eo collecta maxime probabile eſt ea fuiſſe, quæ Ughellus in Epiſcopis Mediolanen. & Brixianis penes ſe habere ſcriptum reliquit pag. 540.

(15) Non ſolum apud ſacros, verum etiam apud prophanos Auctores eum morem obſervamus: ita unica littera R. innumeris codicibus reperiri nomen Ruſfini, quem Claudianus exagitat, teſtis eſt Barthius in Adverſariis Lib. LIII. cap. 2. pag. 2474.

(16) Apud Labbè Tom. XII. pag. 40.

rigore in admittendis iis, qui a Simoniacis ordinati gratis fuerunt, remitteret. *Tanta quippe* (ait Decretum contra Simoniacos) *talium multitudo est, ut dum rigorem canonici rigoris super eos servare non possumus, necesse est, ut dispensatorie ad piæ condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus*. Hanc autem unam Episcoporum, qui a Cardinali memorantur, culpam fuisse, evincunt cum hæc, quæ Auctor statim subjungit, *quibus districte præcepit ut Diaconos & Sacerdotes Concubinarios ab administratione Altaris penitus removerent, & manifeste Simoniacos ab honoribus suis deponerent*: tum primum Decreti Caput, quo Simoniacos omnino damnandos, & ab omni dignitate depellendos esse sancitur. Si enim Simoniaca labe fuissent infecti, vel hujus Decreti vi depositi fuissent, vel saltem graviter admoniti, ne in posterum Sacerdotia & dignitates venderent. Verum quidem est aliquos ex hisce Episcopis, & præsertim Widonem Archiepiscopum Mediolanensem in suspicionem Simoniæ venisse. Nam, ut notat Ughellus (17) in eodem Romano Concilio Episcopus Cotta simoniacæ labis ab Arialdo & Landulpho fuit insimulatus.. At in nostrum Adelmannum hanc suspicionem aliquando cecidisse nullibi legitur; quod nobis in præsentia satis est, qui illum unum defendere propositum habemus. Hæc vero omnia, quæ ad interpretandum Cencii locum scripsimus, valent etiam in illum, quem ex Cardinali de Aragonia, ex Sigonio & Ughello citavimus; propterea quod eamdem omnino sententiam habet, ut alter ab altero surripuisse videatur.

Quod si genus hoc defensionis minus alicui arrideret, aliud in promptu haberemus. Dicebamus supra investituras Ecclesiasticas, ut vulgari verbo utamur, probabiliter accepisse Adelmannum ab Imperatore. Porro jure ac merito dignitates Ecclesiasticæ hoc modo collatæ male audiebant apud sanctioris vitæ homines, Pontificesque Romanos (18); pro-

propterea

(17) In Episcopis Novariensibus Tom. IV. num. 48.

(18) Adversus hunc morem Paschalis secundus anno 1099. electus Pontifex Romanus ita scripsit ad Beatum Anselmum Episcopum. *Alienum est ab Ecclesia & a sacris Canonibus inhibitum ne Princeps & seculares viri Investituras non solum dare, sed nec electioni Episcoporum audeant se violenter inserere*; unde merito Thomasinus de veteri, & nova Ecclesiæ disciplina Par. II. lib. 2. cap. 36. num. 4. ait: *Investitura Laica aut mera fuit usurpatio, aut temporaria Ecclesiæ tolerantia, aut siquam ei juris speciem velis appingere, qui eo fruebatur Princeps, nec obesse libere electioni poterat, nec adesse*.

ptereaquod ad Ecclefias pretio conquirendas viam aperirent, quemadmodum factitatum erat fub Conrado Salico Henrici III. Imperatoris patre, quem ea de cauffa ad gehennam fuiffe damnatum maxime pertimefcebat Henricus. Per has igitur artes Germanum hominem ad Brixianam infulam perveniffe dubium fuboriri potuit, quocirca a Scriptoribus Romano Pontifici addictis epitheto illo ingrato fane & injuriofo exceptus eft. Sed & alia illorum temporum Monumenta fi confulantur, ab illa labe prorfus vindicabitur Adelmannus; etenim ex illis comperimus nihil fuiffe Henrico III. antiquius, quam longiffime arcere fimoniacam luem: *inveftituræ* tamen jure, quod fibi citra religionem convenire putabat, confervato. Lucet hoc ex infigni Oratione, quam redux ex victoria adverfus Hungaros parta ad Epifcopos habuit anno fui Italici Regni quinto, Incarnationis vero MXLIII., quippe in ea fanxit, *ut nullus gradus & minifterium ecclefiafticum pretio acquireretur, & fi quis adtemperaretur, omni honore mulctaretur;* hac motus ratione, *ficut Deus coronam Imperii* (Germanici) *gratis mihi dedit, ita ego, quod ad religionem pertinet, gratis impendo. Volo ut & vos fimiliter faciatis*. Quibus ex verbis (19) clare deduci poteft Brixianum Epifcopatum nullo interpofito pretio fuiffe Adelmanno conceffum, licet baculo & anulo ab eodem Henrico acceptis, quæ plerique alii SS. Epifcopi accipere pro illorum temporum confuetudine religioni non habuere (20). Ratio etiam temporum huic noftræ conjecturæ minime obftat: Imperator enim obiit anno MLVI. (21). Quibus omnibus animadverfis firmus ftat & præclarus venerabilis memoriæ titulus, quo Adelmannum Brixiana Ecclefia conftanter profecuta eft. Dies ejus emortualis adhuc in tenebris latitat: Corpus vero in Ecclefia S. Fauftini Majoris ornato in tumulo requiefcit (22).

Hæc ut fcripferamus, ad manus pervenit epiftola typis edita Anonymi Brixiani, in qua eumdem Adelmannum ab illo-

(19) Exftant Tom. I. pag. 187. Biblioth. mf. Labbè.

(20) Nec mirandum, fi S. ipfe Petrus Damiani, cujus confilio & ope Romani Pontifices in Univerfalis Ecclefiæ adminiftratione utebantur fcribere non fit veritus, Henricum Imperatorem ea donatum fuiffe auctoritate *ut ad ejus nutum S. R. Ecclefia nunc ordinetur, ac præter ejus auctoritatem Apoftolica Sedi nemo prorfus eligat Sacerdotem*. Opufc. 6. cap. 36.

(21) Muratorius in Annalibus ad an. 1056. Tom. VI. pag. 176.

(22) Vid. pag. 123.

illorum criminum suspicione cum sibi sumpsisset vindicandum, in eo totus est ut probet, initialem litteram A, quam exhibent Aragonii & Sigonii loca, neutiquam in Adelmannum cadere posse, sed in Adalricum, qui ei proxime successerat. Rationum momenta ab eo adducta sic se habent: Cardinalis Damiani legatio Mediolanensis, Nicolai II. jussu suscepta, incidit in annum MLIX.; atqui eo anno Adelmannus jam obierat, Brixianamque Cathedram occupabat Odalricus, quod constare dicit nota chronaca cujusdam Diplomatis Imperatoris Henrici II. vulgo III., quo ratam habuit donationem ab eodem Odalrico factam Monasterio S. Petri in monte; itaque consequitur eos omnes falli, qui per eam litteram designatum voluere Adelmannum. Non autographum Henrici Diploma, sed apographum exscripsit Florentinius ex Catalogo ms. privilegiorum olim in Monasterio S. Petri in Oliveto existentium, quorum in Paulo II. meminimus: quod exstat Fayni manu descriptum P. I. Collectaneorum de Episcopis Brixiæ in Bibliotheca PP. Congreg. Orat. Chronaca Diplomatis nota hæc est: *Henricus Tertius Rex, Imperator autem 2. Ordinationis ejus 25. Regni 13. Imperii 7.* Suspicatur Anonymus, & quidem jure ac merito, mendum irrepsisse in notationem annorum Regni, verum nihil inde moratur exemplo Cl. Muratorii; ex ea adnotatione ita concludit: anno itaque MLIII. die Maji XVIII. Brixianæ Ecclesiæ non Adelmannus, sed Odalricus præerat. Eam epocham confirmat Alexandri Totti, quem in præfatione laudavimus, Catalogo, in quo *Odericus* quidam assignatur anno MLII., quem tamen Tottus ab Odalrico Adelmanni successore secernit. Putat aliquo in documento ad annum MLII. spectante pro Adalrici nomine illud Oderici per errorem vel per licentiam scriptum, Tottum offendisse: neque satis advertisse, annum MLII. neutiquam tribui posse Oderico, qui Adelmannum præcessit, sed vel Adelmanno ipsi vel Odalrico ejus successori, esse adscribendum.

Ut porro evincat Adelmanni successorem fuisse Odalricum, utitur auctoritate Florentinii, qui in Catalogo ms. nostra in præfatione citato ait: *Odalricus, sive Udulricus, VValdericus, vel Adalricus. Equidem vere ac recte* (subdit Anonymus) *namque eodem Adalrici nomine utitur quoque Innocentius II.*, *qui*

qui Odalrici donationi Pontificia auctoritate, ut supra Florentinius innuit, robur adjiciens, diplomate Brixiæ anno MCXXXIII. prid. Cal. Septemb. dato Joanni præfati S. Petri in monte Cœnobii Abbati (cujus excerptum habetur in superiori Privilegiorum elencho) eidem Monasterio confirmat universa, quæ ab Adalrico "Brixiano Episcopo collata fuisse ait " *& ab Ill. memoriæ Henrico Romanorum Imperatore Augusto per præcepti sui paginam firmata*. Non prætermittit etiam Anonymus Ughelli opinionem expendere affirmantis, Adelmannum in vivis fuisse anno MLXI., innixi Actis Nicolai II., quæ apud ipsum exstare affirmabat; verum hujusmodi Acta (quæ nihil aliud fuisse putat Anonymus, quam Nicolai Pontificis vitam a Card. de Aragonia conscriptam) vel vitiata putat, vel citati Diplomatis vim labefactare non posse asserit. Hucusque citat. Anonymus (23), cui grates habere non prætermittimus, propterea quod acuto hoc eruditoque invento Commentarium nostrum jamjam typis tradendum augere possumus & illustrare. Insuper ad majorem hujus opinionis lucem integrum adjungimus citati Imperatoris Diploma erutum ex libro pergameno privilegiorum Sanctimonialium B. M. V. Angelorum Brixiæ, quæ deletis Canonicis S. Petri in Oliveto (quibus vetus Monasterium S. Petri in Monte Ordinis S. Benedicti unitum fuerat) jura acquisierunt & prædia fere omnia dictorum Monachorum; ideoque anno MDCLXXII. exscribi authentica ratione fecerunt vetera Monumenta ad eam acquisitionem spectantia ex Veneto Archivo Apostolicæ Legationis, in quo illius Cœnobii Scripturæ omnes reconditæ sunt: quas tamen quacumque adhibita diligentia ibidem reperire minime potuimus.

„ IN NOMINE SANCTÆ
„ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.
„ HENRICUS


„ Divina favente clementia Romanorum Imperator Au-
„ gu-

(23) Is est Carolus Doneda amicus noster, in quo mira plane antiquitatis eruditio & memoria potissimum Patriæ Historiæ: & quod pluris nos facimus mirus animi candor, miraque morum castitas: eum honoris & grati animi caussa sæpe nominavimus, quia plurimarum ad nos attulit notitiam chartarum, quibus in hoc opere contexendo multum adjuti sumus.

„ gustus.[a] circa Monasteria divinis cultibus mancipata pium
„ quem liberalitatis affectum impendimus, & ad statum
„ Imperii Nostri, & ad felicitatem perennis gaudii nobis
„ profuturum fore, quā maxime confidimus. Quapropter
„ omnium Christi nostriq, fidelium tam futuror. q; præsen-
„ tium solers industria noverit qualiter oDaLRic.[a] BRixicñ.
„ Ecclesiæ Venerabilis Episcopus nostræ benignitatis adiit ex-
„ cellentiam suppliciter exorans, ut quædam bona, quæ
„ ipse ad Monasterium Ecclāmq; in honorē Beati Petri A-
„ postolorum Principis constructum pro rimedio animæ suæ,
„ nostraq, salute binigno animo contradidit. nostr.[a] imperia-
„ li auctoritate confirmaremus eidem Monasterio: Nos ve-
„ ro præcipue pro amore divino & ob honorificentiam, &
„ Cæleste patrocinium Beati Petri Apostoli, tum ob reme-
„ dium nostri, prædecessorumq; Imperatorum, Regniq,,
„ successorumq, nrōr. ejus piæ Justæque pētioni assensum
„ præbentes, PER HANC nostræ auctoritatis paginam præ-
„ fato Monasterio, quod vulgari lingua dicitur Mons S. Pe-
„ tri, & ipsius Rectoribus, ea bona, universasq; possessio-
„ nes, quæ a prædicto Episcopo juste concessa sunt, vel
„ quorumlt Xpī fidelium largitate juste donata perpetuo ju-
„ re stabilientes confirmamus: ea v; ratione, ut nullus
„ successor illius Episcopus quidem prædictum Monasterium
„ præsumat destruere, vel corrumpere aut quicq; minuere,
„ vel tollere de bonis in præsentiarum ab Episcopo vel qua-
„ libet persona perceptis, aut in futurum percipiendis.
„ Neq, aliquis Marchio, Comes, aut aliqua magna, vel
„ parva persona idem Monasterium audeat invadere, aut
„ aliquam inferre injuriam, aut sine legali judicio disvesti-
„ re, molestare, vel inquietare. Siquis autem nostræ con-
„ firmationis, piæq; hanc liberalitatis evidentissimam aucto-
„ ritatem contempserit, & aliquam violentiam supradict.
„ Monasterio, aut invasionem absque legali judicio inferre
„ præsumpserit centum libras auri optimi compollat, me-
„ dietatem Cameræ Nostræ, & medietatem prædicto Mo-
„ nasterio, ejusq; Rectori. Et ut hæc nostra Imperialis
„ confirmatio semper inviolata permaneat hanc chartam in-
„ de conscriptam manu propria ut infra videtur corroboran-
„ tes sigilli nostri impræssione jussimus insigniri.

„ Si-

„ Signum Dñi Henrici tertii Regis invictiſſimi



Secundi Romanor. Imperatoris Auguſti R ‡

„ Oberto Cancellarius vice Herimani Archicancellarii re-
„ cognovi. Facto. XV. Klen. Junii, Anno Dñi incar-
„ nationis Millmo LIII. Indict.e ſexta. Anno autem
„ Dñi Henrici tertii Regis, Imperatoris autem Sedi or-
„ dinationis ejus XXV.o Regni quidem XIII. Imperii
„ vero VII.

„ Actum Goslare in Dei nomine feliciter. amen.

„ Ego Teutaldus f. q. Alberti de Moſcolinis notarius au-
„ thenticum hujus exempli vidi, & legi, & ſicut in
„ illo continetur, ita & in iſto, nihil addens, vel
„ minuens præter litteram, vel ſyllabam quod mu-
„ tet sēsū, vel ſententiam exemplavi, & me ſubſcri-
„ pſi



„ Ego Teutaldus Cauſidicus de Moſcolinis authenticum
„ hujus exempli vidi, & legi, & ſicut in illo contine-
„ tur ita & in iſto nihil addens, vel minuens præter
„ litteram, vel ſillabam quod sēsū mutet, & me ſub-
„ ſcripſi.

LII.

LII.
UDULRICUS EPISCOPUS
CIRCITER ANNUM MLIII.
QUI A ROMANA ECCLESIA EXCOMMUNICATUS MORTUUS EST.

SI notæ chronicæ, quibus mox productum signatum Henricianum Monumentum, recte fuerunt positæ, & ab amanuensibus exscriptæ (addita tamen jam adnotata a nobis Anonymi animadversione) dubitari amplius nequit, Udulricum seu Odoricum aut etiam Adalricum proximum Adelmanni successorem Madio saltem mense anni MLIII. sacris præfuisse Brixianis rebus. Cum vero longe post annum MLIX. in hac Sede eumdem perseverasse credatur, ad ejus plane Episcopatum referenda est S. Petri Damiani jussu R. P. Nicolai II. in has partes legatio, quam in annum MLIX. Annales figunt Ecclesiastici, quamque ad integram Mediolanensem provinciam se extendisse constat ex Cencii Camerarii loco, quem in Adelmanno produximus. Quamobrem illis criminibus, quibus Italia ferme tota inficiebatur, quæque ex Cencio Camerario aliisque Scriptoribus supra retulimus, vitiatus dicendus est hic Episcopus, atque adeo jure meritoque vario argumentorum genere a nobis vindicatus est Adelmannus.

Florentinius in catalogo edito loquens de hoc Episcopo: *fertur* (inquit) *excommunicatus a Gregorio VII. Pontifice Maximo, quod a Giberto Ravennæ Archiepiscopo Pseudo-papa, & ab Henrico Imperatore stabat*, remque constare ait ex Annalibus Ecclesiasticis Baronii. Nos Florentinio, si Baronii locum indicasset, grates haberemus, frustra quippe hanc notitiam in Baronianis Annalibus inquisivimus: eam tamen a veritate non abhorrere nos docet Auctor notarum catalogo nostro appictarum. Hoc de Episcopo nihil addere praterea possumus, nisi sequentem citati Ridolfi notitiam: *In tempore istius* (nempe Villeradi Comitis, cui Brixianæ Urbis regimen anno DCCCXXV. traditum fuisse, in Notingi Commentario ostendimus) *in oraculo S. Martini de Curte Rutiliano effossa est*

M *arca*

arca lapidea, quæ continebat ossa quatuor corporum cum istis verbis in ipsa arca insculptis: Diis Martyribus. Aur. Victorio. Aur. Victorino, Secundo Calisto. M. Aur. Filentius Lib. fecit. Cum Marinus Presbyter de Baptisterio Sancti Vincentii de Calcinario, & Audealdus Monachus Leonensis firmiter sustinerent ea esse corpora Gentis Paganorum, Villeradus voluit per pugnam invenire veritatem; sed pugnatores ex illa parte, quæ dicebat esse Martyrum Christi, superiores extiterunt: Unde illa corpora in Altare Plebis recondita fuerunt, quæ in isto tempore Uldericus Episcopus abstulit de loco sacro, & abjecit in loco profano. Re autem ipsa scriptum esse debebat non *Diis Martyribus*, sed *Diis Manibus*, qua una loquendi ratione profanam prorsus sapit antiquitatem relata inscriptio (1).

Vitam produxisse fertur hic Episcopus usque ad annum MLXXV. nullis tamen hactenus productis tabulis.

Illud postremo adnotare placet, nimis levem nobis videri nonnullius (2) conjecturam opinantis, hunc Udulricum eumdem esse, cui Teuzo Monachus Benedictinus quamdam dedit epistolam. Credi enim vix potest, pium illum Monachum hominis schismate vitiati amicitiam coluisse, eumque *Venerabilem*, *Venerandumque Patrem* appellasse. Licet etiam congruerent tempora (3); cum tamen plures hujusmodi nominis ea tempestate vixerint Episcopi, non est quamobrem cogamur ad eam conjecturam amplectendam.



LIII.

(1) Hæc omnia perinde accidere potuerunt sub hoc, ac sub Ulderico primo. Attamen ex Ridolfi verbis istis *quæ in isto tempore Uldericus Episcopus &c.* haud male conjici potest Seculo XI., quo uterque vixit Udulricus, Ridolfum in historiam conscribendam incubuisse, uti affirmavimus num. XIII. Præfationis.

(2) Apud Cl. Foginum de Itinere S. Petri pag. 318., & de primis Florentinorum Episcopis pag. 30.

(3) Obiit Teuzo anno MLXXXXVII. octogenario major.

LIII.

CONO EPISCOPUS

ANNO CIRCITER MLXXX.

QUI A ROMANA SEDE EXCOMMUNICATUS MORTUUS EST.

Udulrico suffectus fuit Cono. Cujas is esset hactenus ignotum fuit; ex Annalista tamen Saxone ab Eccardo (1) edito, ejus patria conjici potest. Auctor enim hic in Saxonicis familiis describendis accuratissimus narrat ad annum MLIV., Hetilonem Goslariensem Præpositum, ut successit Exylino in Episcopatu Hildeistumensi, quæ Urbs jacet in Saxonia inferiori, reposuisse in Monasterio viginti Canonicos, *quibus necessaria procurans Cononem consanguineum suum, post Brixiensem Episcopum, eis præposuit*. Cum vero Goslaria Urbs sit Saxoniæ inferioris, vix reliquus est dubitandi locus, Cononem, utpote laudati Hetilonis consanguineum, Saxonem fuisse; cujus rei aliquod vestigium subsensit Rubeus ita in mf. histor. de hoc Episcopo loquens: *Gli promise Arrigo* (al Pontefice) *di lasciar la prattica del Vescovo di Bamberga, e di Olderico di Coslein, e costui affermano, che fosse il nostro Vescovo*.

Quod vero in notis ad nostrum Catalogum dicitur mortuus a Romana Sede sacra detestatione perstrictus, pugnat aperte cum Fayno ajente: fuisse Cononem probatæ virtutis, militarique manu a Brixianis firmatum in Sede anno MLXXX., accedente postea Rom. Pontificis auctoritate. Sed magis nitendum esse arbitramur auctoritate nostri Adnotatoris; etenim certum est, Episcopum Brixianum sequutum fuisse Henricum Imp., cum Urbe Roma potitus anno MLXXXIII. in Sedem D. Petri intrusit Guibertum Antipapam. Eam nos rem docet Raynaldus Archiepiscopus Lugdunensis in vita S. Hugonis (2) ubi narrat: Sanctum eum virum a Sum. Pontifice Gregorio VII. Romam accitum, ut Henricum a schismate revocaret: & quamquam id frustra tentatum, illud


M 2 fal-

(1) Tom. I. Scriptorum Germaniæ Eccardi pag. 485.

(2) Ea S. Hugonis Abbatis Cluniacensis vita ex mss. edita est Tom. III. April. Bolland. pag. 653.

ſaltem obtinuiſſe, ut Rex, Urbe relicta, Sutriam ſe reciperet, ubi *poſt multum ad invicem habitum verbum, Rex pro quodam Brixiano Epiſcopo, qui ipſi viro Dei injuriam captionis zelo regio ductus intulerat, flexis genibus ſatisfecit.*

Excommunicationis autem pœnam Cononi inflictam fuiſſe confirmare poſſunt diſſidia, quæ Eccleſiam & Imperium Romanum inter ſeſe commiſerunt, & per quinquaginta annos miſere vexarunt ad Calliſtum uſque II., a quo habito Lateranenſi Œcumenico Concilio res fuere anno MCXX. compoſitæ. Etenim vita functo Henrico III., cujus ſana adverſus Epiſcopos Simoniacos de Adelmanno agentes commemoravimus ſtudia, ejus ſucceſſor Henricus IV. Germaniæ Rex eccleſiaſtica jura confringere tentans, a ſolertiſſimo ſanctiſſimoque Pontifice Gregorio VII. ſacris interdictus fuit, quod ægre ferens, in Romanam Sedem, Gregorio ejecto, intruſerat ſub nomine Clementis III. anno MLXXXIV. Guibertum Archiepiſcopum Ravennatem. Quamobrem Epiſcopi partim adhærebant Imperatori, illique Pontifici ab eodem intruſo, partim alii Pontifici legitime electo. Idcirco Cononem, utpote & ipſum e Germania accitum (3) ſuffraganeum Metropolitæ Mediolanenſis, Theobaldi nomine Henricianæ partis fautoris, adhæſiſſe Imperatori, credi facile poteſt: ideoque excommunicationis pœna a Gregorio VII. una cum ſuo Metropolita Theobaldo mulctatum.



LIV.

(3) Uti ipſum quoque nomen Germanis frequens ſuadere videtur.

L I V.

JOANNES EPISCOPUS
ANNO MXCVI.

COnonem excepit Joannes, quem sibi creditam dilapidasse Ecclesiam, teloque Christianæ Religionis ictum interiisse scribit Ughellus, cui consonat Tottus in citatis mss. (1). Anno MXCVI. adhuc in vivis fuisse colligitur ex mss. Schedis Galeardi, ubi ita inveni: *Joannes II. vivebat in Sede anno MXCVI. mense Augusti. Rogitum Zampetti scriptum de anno MCCCXVIII.*, ex quibus corrigendus Faynus, qui in Cælo Brixiano Joannis mortem collocat ad annum MXC. Rubeus vero loco citato narrat a Clemente, quem Imperator Henricus (2) conflato schismate in Romanam Sedem, legitimo Pontifice Gregorio VII. adhuc in vivis agente, intruserat, electum fuisse in Brixianum Episcopum quemdam Joannem, qui Cononem armis e Sede exturbare tentans, ipse fuit e Cathedra pulsus, quam narrationem, deficientibus Monumentis, neque admittere neque explodere placet.

 LV.

(1) Ita est apud Tottum: *Joannes, qui excommunicatus a Romana Ecclesia mortuus est, ut est in Libro Veteri Bibliotheca S. Petri in Oliveto*. Liber hic migravit Venetias, in ædes Pontificii Legati, quo traducta mss. quamplurima olim asservata in Cœnobio, quod deletis Canonicis S. Georgii in Alga, Patribus excalceatis S. Theresiæ fuit tributum: uti adnotavimus pag. 76. in notis, & alibi.

(2) Gregorius VII. in magnum odium pervenerat Henrici IV. Regis usurpantis sibi investituras, aliaque incommoda Rom. Sedi inferentis, unde Pontifex summa erga ipsum humanitate per aliquot annos usus, cum nihil proficere intelligeret, Concilio tandem Romæ habito, anathemate percussit; Regis Titulo, & jurato Principum ac populorum obsequio privavit: quod ut accepit Henricus, Gregorium, coacto Brixiæ Episcoporum sibi adhærentium conventu, Pontificatu, quoad potuit, dejecit, & Guibertum Præsulem Ravennatem a Gregorio triennio ante anathemate percussum in Petri Sedem, Clementis III. nomine sumpto, Romam deduxit & collocavit. Porro hac in Urbe auxilio hujus Joannis illud Conciliabulum celebratum fuisse aliqui sibi persuaserunt. Verum citra dubium est, habitum fuisse in Urbe Brixinensi posita in Ducatu Tirolensi, quam aliquando appellatam fuisse Brixiam animadvertere supra non omisimus.

L V.
OBERTUS EPISCOPUS
ANNO MXCVII.

POst Joannem collocant Florentinius, Faynus, Ughellus, & alii Obertum. Sed Rubeus loco citato scribit (1) eum fuisse suffectum Cononi. In nostro autem Catalogo primus omissus, probabiliter quia non fuerat a Clero & Populo electus, neque initiationem acceperat sive a Romano Pontifice, sive a Metropolita Mediolanensi; fertur enim ab Henrico Rege Episcopatum accepisse (2), ideoque Infula privatum anno MXC. dicit Ughellus (3). At Galeardus in notis contendit omnino legendum MXCVI., ut constet narratio Landulphi Mediolanensis, qui hoc eum anno neglectum, & Episcopatu privatum, eique praefectum Armannum ab Anselmo electo Mediolanensi Archiepiscopo testatur. Sed Landulphi narrationem animadvertenti, neque a Galeardo calculos esse feliciter subductos constabit. Sic enim suae narrationis filum deducit Landulphus (4): *Armannus in Ecclesia Brixiensi electus Episcopus, defuncto Arnulpho Archiepiscopo Mediolanensi, ad alium eligendum Mediolanum venit, ubi saevissima cohorta in populum tempestate, elegit in Archiepiscopum Anselmum de Brui.... qui neglexit Obertum agnomine Baltricum, qui propter investituram Brixiensis Episcopatus, quem a Rege suo Henrico susceperat, Armanno repugnabat, & Armannum, qui se Archiepiscopum elegit, in Episcopum Brixiensem ordinavit*. Ex hac Landulphi narratione liquido constat, Anselmum de Brui suffectum fuisse in Archiepiscopum defuncto Arnulpho, & post suam electionem *Obertum* neglexisse. Arnulphum autem illum obiisse anno MXCVII. testem damus peritissimum in patria historia Josephum Antonium Saxium, cujus haec sunt verba in notis ad eumdem Landulphi locum

(1) Fabulatur Rubeus eo loci affirmans, Joannem hunc fuisse Abbatem Coenobii SS. Faustini & Jovitae.

(2) Apud Rotam in vita S. Anselmi Lucensis cap. 18. pag. 183.

(3) In Episcopis Brixianis loco citato.

(4) Cap. 1. Tom. V. Scriptorum Italiae pag. 469.

locum (5): *obiit Arnulphus non anno* 1096., *ut perperam scribit Ughellus*, *sed anno* 1097. VIII. *Kal. Octobris juxta calculum Papebrochii antiquis catalogis innixum*, *& ipsius etiam Puricellii*, *qui in vita S. Herlemb. Lib. IV. Cap.* 82. *n.* 1. *sententiam suam in monumentis Basilicæ Ambrosianæ n.* 284. *prolatam*, *quæ Arnulphi mortem anno* 1096. *statuebat*, *irritam prorsus voluit*. Hunc eumdem calculum jam posuerat Saxius in serie Chronologica Landulphianæ historiæ, ex quibus colligitur nequaquam fieri potuisse, ut ante annum MXCVII. ab Anselmo Archiepiscopo Obertus Episcopatu depelleretur.

Ne tamen id, quod verum est, dissimuletur, quemadmodum dici potest Oberti depulsionem anno MXCVI. incœpisse: ita palam est neutiquam perfectam esse ante annum MXCVIII., quo Armannus illius adversarius initiatus est, ut statim in Armanno dicturi sumus.

Hujus Anselmi in Cathedra Mediolanensi Prædecessores duos, alium nempe Anselmum, & Arnulphum, prudenti consilio, ne Henricus Oberti fautor irritaretur, tolerasse eumdem Obertum in Brixiano Episcopatu, innuere videntur hæc citati Landulphi verba (6): *deinde homo iste effectus prudens neglexit Obertum agnomine Baltricum....hoc quidem prudentia Archiepiscoporum antecedentium sibi*, *videlicet*, *Anselmi de Raude*, *& Arnulphi de Porta Orientali facere vitavit*; cui rationi & hanc addit Saxius in notis ad eumdem Landulphi locum: *fortasse etiam reprobare in suffraganeo Episcopo non audebant quod in se ipsis admiserant*; *utrumque enim ab Henrico Imperatore per virgam & anulum institutum Archiepiscopum affirmat Sigonius de Regno Italiæ ad annum* 1084. *&* 1092.

Sunt qui putant, ante Oberti detrusionem tentatum fuisse furtum SS. Crucis e Templo S. Faustini Majoris, ubi tunc custodiri dicebatur: cui rei, ut rescivit Obertus, opposuit sese magna stipatus Armatorum copia, unde facto ex utraque parte agmine, fusoque magno Civium sanguine, tandem Episcopus Civium commiseratus casum ultro pretioso cessit thesauro, in princeps Templum hinc delato; cujus narrationis fides sit penes recentiores auctores, Capreolum videlicet (7) & Florentinium, cruentum hoc certamen referen-

M 4

(5) Tom. V. Rer. Ital. pag. 470.
(6) Loc. cit. pag. 471.
(7) Lib. V. Hist. Florentinius in Catalogo.

ferentes, tacente Malvetio Historicorum omnium Brixianorum vetustiore.

Cætera Oberti gesta perinde ac annum obitus tenebræ oblivionis premunt. Faynus & alii obiisse ajunt anno 1093. sed omnino falluntur, in longius enim ævum vitam produxisse dubitare non sinunt concertationes supracitatæ, quas de Episcopatu hoc habuit annis MXCVI. & sequentibus cum Armanno, ad cujus commentarium statim manus admovemus.

Sed negligentiæ nos insimulari possemus, si taciti præteriremus Epitaphium quoddam a Rubeo relatum in ms. historia & ab Ughello, quod putant positum Oberti sepulcro, & hoc est:



„ Hic jacet Ombertus bonus Pastor Brixia-
„ nus, qui multa corpora Sanctorum post cru-
„ entum conflictum (*Henrici*) consecra-
„ vit anno MXCIII.

Verum dissimulare non possumus, monumentum istud aut in magnum cadere Oberti dedecus, aut recentiori manu, & in sacra Brixiana historia peregrina fuisse compactum. Namque si Brixianorum Scriptorum testimonio, ipso etiam referente Ughello, Episcopatu mulctatus fuit Obertus a Rom. Pontifice propter investituram acceptam ab Henrico Imperatore, cujus partes adversus Ecclesiam constanter sequebatur, quomodo dici potest *bonus Pastor?* Si vero ab Henricianis positum fuit, nonne ejus nomini dedecus inuritur? Præterea quis ex isto Epitaphio extundat, ut scite ratiocinantur Bollandiani (8), quod conflictus in Epitaphio commemoratus inter Brixianos fuerit, vel quod Brixiani contra Henricianos pro Pontifice pugnarint potius quam contra Pontificem pro Henrico? Vel quod corpora ab Oberto consecrata (idest decentiori loco collocata) non fuerint corpora antiquorum Sanctorum, qui suo vel sanguine vel exemplo Brixiam sanctificarunt, potius quam recens occisorum in pugna aliqua militum: quos, utcumque contra fidei hostes

(8) Tom. II. April. pag. 47.

hoſtes pugna ſit, pro martyribus habendos colendoſque conſtanter negavit Rom. Eccleſia. Hæc ſi docti Brixiani expendere vellent, non dubito quin repudiaturi eſſent confictum illum martyrum numerum, ne officiat honori eorum, de quorum martyrio probatiſſimis monumentis Eccleſia hæc gloriari poteſt.

L V I.
ARMANNUS EPISCOPUS
ANNO MLXXXVI.
HIC FUIT TANTUM A CLERO ET POPULO ELECTUS.
AD SANCTUM GERVASIUM.

ARmanni, quem Oberto ſuffectum fuiſſe conſtat, initia Epiſcopatus figere, impedita ac plena periculi res eſt, propter varias, in quas abiere opiniones Viri noſtra memoria celebres Bacchinius, Saxius, & Galeardus. Perturbata Landulphi ſcriptoris hiſtoria, & notæ chronologicæ nonnullorum Monumentorum eas tricas ac ambages pepererunt. Connitar ego probabilem, quoad fieri poterit, ſtatuere chronologiam, quod ſpero conſecuturum, ſi animadvertero ab ejus initiatione diſtinguendam eſſe electionem ad Epiſcopatum. Electum ajo ante Octobrem anni MLXXXVII., conſecratum vero Epiſcopum anno MXCVII. Bacchinius in hiſtoria Monaſterii Padolironenſis ex Diplomate, quo Arimannus prædia quædam ſuæ ditionis conceſſit Eccleſiæ S. Viti Medulenſis colligit, anno MLXXXVII. eum jam fuiſſe hujus Eccleſiæ Præſulem, ſimulque Ughellum carpit, qui novem annis hujus Epiſcopatus initia diſtulerat (1). Equidem a Galeardo (2) hanc Bacchinii chronologicam notam triplici hac ratione prorſus improbari non ſum neſcius. I. Arimanni Diploma expreſſe eſſe datum anno MXCVII., ut habet ejus ſubſcriptio: *Factum eſt hoc anno ab Incarnatione D. N. J. C. milleſimo nonageſimo ſeptimo Indictione XI.*

(1) Lib. III. pag. 317.

(2) In notis ad Ughell. pag. 541., ubi idem Monumentum recuſum fuerat, ex citata Monaſterii Padolironenſis Hiſtoria depromptum.

XI. II. Indictionem XI. in Monumento signatam concedit convenire cum anno MLXXXVII. a Bacchinio signato, at diem decimam Octobris, quæ ibidem est, ejusdem anni MLXXXVII. non incidisse in diem Sabbathi, bene vero in Dominicam: e contra diem Sabbathi decimam ejusdem mensis cecidisse in annum sub finem ejusdem Monumenti signatum MXCVII., quo Indictio VI. currebat. III. Cætera Diplomatis signa optime convenire cum anno MXCVII. Ex quibus ipse concludit vitio fortasse incuriosi amanuensis immutatum fuisse numerum Indictionis, & inductam notam X. pro nota V. Addere juvat ipsummet Galeardum difficultates istas per Augustinum Randini Monachum Cas. communicasse cum Bacchinio, a quo id habuit responsi (3): ad eas difficultates dirimendas consulendam fore ipsammet Monumenti chartam, cujus apographum ipse perdiderat, tamen animadvertebat diem Sabbathi x. Octobris signatam sub initium Monumenti convenire cum anno MXCVII., quo Cyclus Solaris XIV., & Littera Dominicalis D. currebant: at anno MLXXXVII. Solaris Cyclus erat IV., Littera Dominicalis C., quocirca dies x. Octobris, & quidem Sabbathi incidit in annum MXCVII., anno vero MLXXXVII. dies ix. ejusdem mensis incidit in Sabbathum, dies x. in Dominicam. Verum Indictio XI. in Monumento signata convenit quidem cum Octobri anni MLXXXVII. minime vero cum Octobri anni MXCVII. quo currebat Indictio VI. Subnectit Bacchinius potius dicendum esse, Notarium errasse in exprimenda die, quam in signanda Indictione. Observat etiam Ecclesiæ S. Viti Medulensis possessionem initam fuisse a Monachis Benedictinis ante annum MXCVII., quod fuerat jam in citata Padolironensi historia ab ipso probatum; quibus tamen omnibus finem imponit rem infectam relinquens, & ingenue confitens difficile non esse, alicubi se currente calamo cæspitasse.

Galeardus tamen in Epistola data citato Randino Bacchinii responsis non acquievit; unde prorsus necessarium esse contendit, iterum consulere monumentum; fieri enim potuisse dicit, ut Indictio ipsa sit VI., quippe certum est, diem Sabbathi decimam Octobris sub initium monumenti signatam incidisse in an-

(3) In Epistola mſ. data Regio die 9. Decemb. anno 1717.

annum MXCVII. Unde credi poteſt factam fuiſſe permutationem numeri V. in X., uti in ejuſmodi chartis uſuvenire ſolet. Hæc nos ex italicis, quæ mſſ. aſſervantur, Randini & Galeardi epiſtolis latine reddidimus; ſuæ huic conjecturæ adhæſit Galeardus in notis ad Ughellum, neglectis Bacchinii rationibus, quibus totam Brixianorum Epiſcoporum Arimanni Præceſſorum ſeriem atque ordinem perturbatum iri pertimeſcebat; atque Bacchinium adductum fuiſſe in errorem putabat Arimanni Diplomate, quod non anno MLXXXVII. datum, ut Bacchinius cenſuit, vitio fortaſſe amanuenſis: ſed anno MXCVII. pro certo habet.

Verum diplomatis Arimanni autographum a Bacchinio inſpectum mihi animadvertenti, atque intuenti in chartulario Padolironenſi cuſtoditum, ſupputationi Bacchinii potius quam Galeardi conjecturis adhærendum eſſe viſum fuit. Namque non ſolum ſub initium Diplomatis eſt *Die Sabbati quæ eſt decima Octobris*, verum etiam (quod caput eſt) hæc extant verba ſub ejuſdem finem. *Factum eſt hoc anno milleſimo octuageſimo ſeptimo ſupradicto die, & menſe, Indictione undecima*, quæ quidem Diplomatis verba nitida plane ſunt, litteris expreſſa, non autem numericis characteribus; autographo conſonat omnino apographum eodem loci a me inſpectum, quod reor aliquanto recentius; niſi velimus dicere, utrumque eodem tempore confectum juxta veterem conſuetudinem ejuſdem rei documenta ingeminandi. Sed præſtat Diplomatis exemplar Lectorum oculis ſubjicere a me deſcriptum ex pergamena Archetypa, quæ cuſtoditur in Archivo Hoſpitii Omnium Sanctorum PP. Benedictinorum Mantuæ, ubi ſecuritatis gratia chartæ omnes Monaſterii Padolironenſis hodie aſſervantur.

„ Die Sabbati quę eſt decima Octobris in Civitate Brixia
„ in domo Epiſcopi pręſentia Bonorum hominum nomina ſub-
„ ter L.X. Conceſſit Domn. Armannus Cardinalis Romanę Ec-
„ cleſię, & Epiſcopus prędictę Sanctę Brixienſis Eccleſię con-
„ centięnte ad Egerio, & Ardoano ſeu Magifredo germani mi-
„ lites Domni prędicti Armani Epiſcopi Abbati Sancti Be-
„ nedicti inter padum, & Laironem & ſuis Monachis Ec-
„ cleſiam S. Vitti, quæ eſt poſita in loco Medulę &c.
„ Factum eſt hoc anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu
„ Chri-

,, Christi millesimo octuagesimo septimo supra dicto die &
,, mense indictione undecima. Ego Herimannus Sanctæ Ro-
,, manę Ecclesię Cardinalis Confirmo.

Hinc illud pro certo habendum, Arimanni Diploma minime esse datum anno MXCVII. Ideoque oscitanter editum esse in citata Historia (4) anno millesimo nonagesimoseptimo, quod mirum a Bacchinio ullibi non fuisse animadversum: etsi in Operis contextu rite posuerit an. MLXXXVII. Neque ullus error cubat in Indictione, utpote quæ & ipsa clarissimis expressa litteris.

Dissimulari tamen haud potest aliquo errore chronologico Diploma illud laborare, quippe quia anno MLXXXVII. curreret quidem Indictio XI. sumpto anni initio (uti seculo XI. in usu erat) a mense Septembri; at dies X. Octobris incidit eo anno in diem Dominicam, minime vero in Sabbathum. Dies vero X. Octobris anno MXCVII. erat quidem dies Sabbathi, at eo anno MXCVII. currebat Indictio VI. Quamobrem aut in signanda Indictione, aut in die exprimendo error sane aliquis irrepsit, quem errorem in eo credo positum, quod dies X. Octobris loco diei IX., quæ anno MLXXXVII. incidit in Sabbathum, posita fuerit a Notario celeri manu scribente; quique error nostris quoque temporibus contingere solet in hisce chartis, quique iterum error facilius contingere potuit, quam in nota chronica, uti animadvertenti patebit.

His accedit, Monasterium Medulense anno MXCVII. conditum jam fuisse, ut supra adnotatum fuit; quamobrem nemo non videt, ad eum annum differri non posse Arimanni diploma, in quo Abbati S. Benedicti suisque Monachis conceditur Ecclesia Medulæ, atque ibi *habitare, & Monasterium facere, & Domino servire, & vivere ibi secundum regulam S. Benedicti* (5).

Itaque conficiendum, Arimannum jam ab anno MLXXXVII. electum fuisse Brixianum Episcopum, neque est cur Galeardus cum Saxio (6) pertimescat, Brixianorum Episcoporum ante Arimannum seriem perturbatam iri, quippe simul in hanc Sedem ab Henricianis intrusum Obertum, simul Arimannum ad eamdem Sedem promotum fuisse a parte Pontificia, nihil est ab eo-

(4) In Appendice historiæ Padol. pag. 37.
(5) Loco supra cit.
(6) In notis ad Ughel. pag. 543.

eorum temporum consuetudine alienum; porro cum in Mediolanensi, tum in Brixiana, atque in aliis Italiæ Urbibus id monstri visum fuisse eo temporis intervallo, quo Ecclesia Christi sub Henrico IV. Imperatore fœdo schismate laborabat, fuit jam a viris doctis adnotatum, imo & ab ipsomet Galeardo loco supra commemorato (7). Dici etiam posset, Oberto adhuc in Brixiana Cathedra sedente, promotum fuisse ad eamdem laudatum Arimannum tamquam ejus *Coadjutorem*. Seculo enim Christi XI. ac XII. invaluisse etiam in Italia Coadjutores Episcopatuum disertis hisce verbis affirmatum video a Muratorio (8). *Jam enim cœpta erat* (iis temporibus) *invehi, aut renovari consuetudo, ut viventibus Episcopis, sive ex infirma valetudine imbecillibus, sive in senectutem inclinatis, sive sub alio rationum obtentu, quarum humana cupiditas ferax semper est, successor statueretur*; quam ipse consuetudinem exemplis ab Ecclesia Mediolanensi petitis probat in Præfatione ad Anonymum Comensem (9), & confirmat (10) alio exemplo ex ipsa Brixiana Ecclesia desumpto in Dissert. LXII. Antiquit. Ital. quam ego consuetudinem firmabo in Villano, Mayfredo, atque Cavalcano Brixiæ Episcopis.

Verum utut res hæc se habuerit, Armannus sive Erimannus, cui nomen Martinus (ut est in Necrologio infra citando) de Gavardo (11) Brixianis Infulis insignitus erat anno MLXXXVII. Ejus opera cum Anselmus de Brui factus esset Archiepiscopus Mediolanensis, Oberti (12) nostri Episcopi nulla habita ratione, Armannum promovit & consecravit, ut habent Landulphi verba in Oberto mox citata. Sed præstat animadvertere ea, quæ Landulphus narrat unico capitulo simulque gesta innuit, diversis temporibus accidere potuisse, quod fuit etiam animadversum a Saxio adnotatione tertia ad eum Landulphi locum. Memorat hic Auctor Anselmum opera Armanni electum huic favisse, & postmodum Brixiæ Episcopum consecrasse; at uno eodemque anno hæc omnia transacta esse nulla est credendi necessitas. Eodem capite Landulphus narrat, Con-

(7) Loc. supra commem.

(8) Tom. V. Rer. Ital. pag. 402.

(9) Ibidem.

(10) Tom. V. Antiq. Ital. pag. 270.

(11) Male apud Landulphum loc. cit., & ex eo apud Puricellum in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ pag. 284. legitur *Ganardus*, Gavardum est municipium montanum cum arce olim S. Martini dicta atque anno 1121. diruta, tribus supradecem ab Urbe milliaribus dissitum est ad ripas fluminis Clisii.

(12) Landulphus utitur verbo *neglexit*, quod ego reor interpretandum: *nulla habita ratione*.

Conradum in Hetruriam profectum esse, quod tamen juxta Saxium (13) evenisse constat anno MXCIX. Præterquamquod Landulphi verba aliquod intervallum indicant inter electionem Anselmi & Armanni consecrationem. Consecrationem Armanni haud antevertisse annum MXCVIII. liquet ex eo, quod eruditus Nicolaus Sormannus in opusculo de præminentia inter Præpositum S. Ambrosii & Canonicos ordinarios Mediolani refert, cujusdam Concilii Mediolanensis anno MXCVIII. celebrati fragmento, cui subscriptum est nomen nostri Episcopi tantummodo *electi : Anno ab Incarnatione Domini* (ita exordiuntur Acta) *millesimo nonagesimo octavo celebrata est Mediolani Synodus Præsidente Domno Anselmo Archiepiscopo cum Episcopis Catholicis Suffraganeis suis.... Brixiensi electo* (14). Nec obstare posset Armannum dici absolute Episcopum Brixianum in citato Diplomate anno MLXXXVII., atque in alio Diplomate Anselmi IV. Mediolanensis Archiepiscopi dato Idibus Aprilis anni MXCVIII., in quo præter alios adscriptos Episcopos apparet *Herimannus Brissiensis* (15); namque omissio vocabuli *electus*, quæ negantis argumenti vim haberet, haud infringere potest vim argumenti affirmantis ductam ab altero loco, ubi illud adjectivum expresse ponitur uni Brixiano Episcopo; omnes enim alii Episcopi, qui eidem Concilio subscripsere, absolute dicuntur Episcopi. Igitur Armanni consecratio posterior fuit hoc tempore.

Quanam de caussa illud Concilium convocatum fuerit res valde notatu digna est: ea nempe fuit, ut ageretur (inter cætera) de Episcopis, qui subrepserant (cujus criminis aut reus erat, aut saltem insimulabatur Ubertus), ut constat ex præcitatis Actis Concilii Mediolanensis. Hinc si nobis hujus Synodi acta integra suppeterent (16) forsan ibi sententiam depositionis in Obertum latam comperiremus. Utcumque res fuerit, illud citra controversiam est Armannum jam ab anno MXCIX. inter Episcopos initiatum fuisse, fidem faciente Diplomate infra citando, quod exhibet Ughellus in Episco-

(13) In notis ad cit. Landulphi locum pag. 472.

(14) Pag. 59

(15) Apud Sormannum loc. cit. pag. 58.

(16) Integra hæc acta ignota prorsus Labbæo, cæterisque aliis Conciliorum editoribus Sormannus pag. 56. Operis supracit. se promiserat editurum: utrum promissis steterit hactenus ignoro. Cl. Franciscus Mansius idem fragmentum inseruit Tom. II. Supplementorum Labbæanorum pag. 15. Appendicis cum nonnullis suis observationibus.

ſcopis Mediolanenſibus (17). Cum enim nulla cauſſa appareat, unde ejus conſecrationem valde ultra dictum Concilium differri oporteret, credibile eſt ipſum conſecratum fuiſſe anno MXCVIII. cum idem fortaſſe Mediolani degeret ejuſdem cauſſa Concilii.

Æquum autem erat Armanni conſecrationem non ante fieri, quam diſcuſſa & tranſacta Oberti re; quapropter credibile eſt ipſum etiam Anſelmum, quamvis ab Armanno ſtantem eidemque obnoxium, conſecrationem tamen ipſius differendam cenſuiſſe. Fuit Monachus ex S. Benedicti Ordine in Cœnobio, niſi fallor, Padolironenſi, duodecimo ab Urbe Mantua lapide diſſito ad plagas Occidentales Padi, quod aliquibus ante annis fundatum a Thebaldo filio Athonis Comitis Canuſini mirabiliter florebat; vix enim ad Brixiæ Cathedram, magnæ etiam Agri Brixiani parti ditione temporali tunc temporis dominantem, evectus donavit illud Cœnobium Eccleſiæ S. Viti Medulenſis, quæ Urbi Mantuæ finitima eſt. Satis etiam terræ adjunxit, unde Monaſterium ad regulam D. Benedicti erigeretur. Quia vero terram illam, quæ ad memoratam D. Viti Eccleſiam pertinebat, jure Feudi milites duo laudati Præſulis poſſidebant, largitus eſt Cœnobio duos terræ tractus ad Epiſcopatum ſpectantes, qui jura Feudi ſupplerent; hinc factum ut libertati pars illa ſoli aſſereretur, quam indicati feudum poſſidentes Adegerius & Ardicio obnoxias ſibi retinebant. Hoc totum colligitur ex ſupra commemorata Arimanni charta anno 1087. ſignata (18).

Opera Comit. Mathildis, quæ maxime patrocinabatur Eccleſiæ Romanæ adverſus Henricianos hoſtes acerrimos ejuſdem Eccleſiæ, probabile eſt Armannum infulas Brixianas conſecutum (19) atque electum a Clero & Populo dumtaxat, ut fidem facit nota Catalogo noſtro addita, nullo habito reſpectu ad Henricum IV. Imperatorem, a quo in Epiſcoporum electione dominium a multis annis uſurpatum ablatum fuit laboribus & ſtudiis Rom. Pontificum, opem maximam conferente Comit. Mathilde. Quoniam vero Matrona illa

(17) Tom. IV. Italiæ Sacræ pag. 120.

(18) Monumentum donationis edidit Abbas Bacchinius in cit. hiſtoria Lib. V. pag. 117.

(19) Id liquet ex iſtis cit. Landulphi verbis: *Armannus ille Monachus a parte Brixienſium Civium, atque favore Comitiſſæ Mathildis in Eccleſia Brixiana electus Epiſcopus,*

illa in Ordinem Benedictinum studiosissima erat, ac præsertim in Cœnobium Padolironense propensa, hinc factum puto, ut novus Episcopus (sive caussa grati animi erga Comit., sive ut eamdem sibi magis magisque devinciret adversus Henricianos) animum induxerit benemereri de supra commemorata pia & splendida largitione, quam auxisse dicendus est Ecclesia S. Justi intra ipsum Medulæ Castellum posita, quippe inter ea bona, quorum possessionem ac jura eidem Monasterio asseruit & confirmavit anno MCV. Summus Pontifex Paschalis II., enumeratur: *in Episcopatu Brixiensi Ecclesia S. Justi intra Castrum Medulæ, extra, Ecclesia S. Viti cum Terris ad easdem cellas pertinentibus* (20): ita enim Episcopus tantæ Dominæ gratiam & patrocinium captabat. Sic, animadvertente Bacchinio (21), ut eidem gratum faceret, favit etiam Armannus Uberto Comiti Parmensi; nam Parma Henricianis studente, eorumque partes sequuta, ipse Ubertus in Brixianum solum se transtulit, ubi Mathilde ac Episcopo nostro curantibus, agros comparavit, & gratiosissimus fuit.

Socii Bollandiani (22) scribunt, Armannum Episcopum Brixianum Seculo XII. coronasse Regem Italiæ Conradum. Si res ita se habuisset, dicendus foret Armannus vir magni nominis jam ab anno MXCIII., summæque in Gallia Cispadana auctoritatis. Sed ego, quominus Bollandianis assentiar, facit non solum silentium omnium Germanorum Scriptorum, quos in Pistoriana, Mencheniana, Eccardiana aliisque collectionibus lustrare potui, quique omnes celebrem hanc coronationem memorant, sed etiam aperta Landulphi a Sancto Paulo supra laudati auctoritas, qua certissime patet ab Archiepiscopo Mediolanensi Anselmo de Brui Conradum, quem alii vocant Cononem, Henrici IV. Imperatoris filium, paterna excommunicationis nota ab Urbano Pont. Rom. solutum anno MXCIII., opem ferentibus eodem Pontifice, Comit. Mathilde, atque Welphone Italiæ Duce, in Italorum Regem, imposita Modœtiæ ænea corona, fuisse creatum. At enim ab ipsomet Landulpho, ex quo uno hanc notitiam in Indicem retulere Bollandiani, hoc fuit posteritati consignatum.

Lan-

(20) Edita est a Bacchinio pag. 57. Appendicis citatæ Hist.

(21) Loc. cit. pag. 124.

(22) In Indice Tom. V. Sanctorum Junii.

Landulphus junior apud Puricellum in Vita SS. Araldi & Herembaldi pag. 388. *nobis testatur, ubi ita scribit* "*Cono Rex, qui dum Henricus Pater Ecclesiæ rebellis & excommunicatus viveret, suadente Urbano Papa II. per contractionem Mathildis Comitissæ, & officium Anselmi de Rhode Mediolanensis Archiepiscopi, & Armanni Brixiensis, fuit coronatus Modætiæ &c.*" Sunt ista Bollandianorum verba Tom. V. Junii Bolland. in Vita S. Herembaldi die XXVII. Junii pag. 310.

Sed hoc testimonio evinci solum posset, Bollandianos a Puricello, Puricellum vero a corrupto (23) Landulphi codice in errorem fuisse inductos. Verum Puricello ea lectio non est plane tribuenda, cum ejus textus adamussim correspondeat Landulpho: sunt enim hæc Puricelli verba in Opere a Bollandianis citato: *Cono quoque, sive Conradus* (verba sunt ejusdem Landulphi paullo post medium illius Capitis primi) *Rex, qui dum Henricus pater ejus viveret, per contractionem Mathildis Comitissæ, & officium ejus Anselmi de Rhode fuit coronatus Modætiæ, & in Ecclesia S. Ambrosii regali more* (*coronatio autem illa est, de qua nos quoque agebamus Cap.* 70. *num.* 5.) *ad horum Pontificum* (*scilicet Anselmi de Brui, & Armanni Brixiensis*) *ordinationem non respexit, sed regnans in loco, qui Burgus Sancti Domnini dicitur, vidit Presbiterum Lyprandum propter Patriam naso, & auribus truncatum* (24). Nullam igitur partem habuit Armannus in Conradi inauguratione, quam tamen habuit præcipuam in electione Archiepiscopi Mediolanensis Anselmi de Brui. Res accurate narrata est a laud. Landulpho juniore. Scilicet, defuncto Arnulpho Archiepiscopo, Mediolanum venit Armannus quasi *Cardinalis*, qui ubi sensit nobilem multitudinem Mediolanensem convenisse ad eligendum Landulphum de Badagio S. Ambrosii Canonicæ Præpositum, in Archiepiscopum, virumque moribus & vita, quam bene ornatum, substitit, & electioni illi non consensit, hinc populo in seditionem acto contra Landulphum, tumultuariis suffragiis alterum Episcopum elegit,

N

(23) Landulphianæ historiæ codices mss. non omnes in idem consentire: multaque aut addita aut dempta fuisse, testis est Muratorius in Præfat. ad Landulphum seniorem editum Tom. V. Scripp. Italiæ, nosque olim in Opusculo, cui titulus: *degli Italiani Grecisti*, adnotasse recordamur.

(24) Eumdem locum ita adduxerat Puricellus in monumentis Ambrosianæ Mediolanensis Basilicæ num. 281. pag. 467. *Cono quoque .... qui dum Henricus Pater ejus viveret per contractionem Mathildis Comitissæ & officium hujus Anselmi de Rhaude fuit coronatus Modætia.*

git, nimirum, Anſelmum de Brui hominem ſimplicem, & Canonicæ S. Laurentii Præpoſitum. Mirabitur ſane Lector tanta floruiſſe auctoritate Brixianum Epiſcopum, ut non ſolum reſtiterit electioni Landulphi de Badagio, viri moribus & vita tam bene ornati, ſi fides laudato Landulpho: verum etiam alium Archiepiſcopum dederit Mediolanenſi populo contumelioſis iſtis verbis: *vobis fiet prout proverbium dicit, populo ſtulto Epiſcopus ſurdus*, ſive, ut in aliis codicibus, *lurdus*. Auctoritatis hujus, de qua neque antea neque poſt veſtigium ullum innoteſcit, ſuſpicatur Saxius (25) cauſſam fuiſſe, vel quia Armannus erat Mediolanenſis Eccleſiæ ſuffraganeus, vel quia Legatus Apoſtolicus. Utramque arbitramur probabilem; alteram enim exemplis ejuſdem generis a Landulpho relatis illuſtrat Saxius; altera vero conſona eſt rationi, atque in eam inclinavit Papebrochius in Exegeſi ſupradicta num. 103. (26) & Saxius ipſe loc. cit. Etenim excelſiori aliqua dignitate præditus eſſe debuit ille, qui & collata a nobili multitudine ſuffragia abolere, & alterum ſuo veluti nutu conſtituere Archiepiſcopum potuerit. Opinioni huic maxima accederet vis ex quodam Diplomate commemorato a Florentinio in Indice Epiſcoporum Brixianorum, in quo Armannum appellatum fuiſſe Vicarium Papæ, ipſe teſtatur: at illius Diplomatis annus dignoſci cum nequeat, nihil ex illo, ad rem noſtram quod attinet, certi extundi poteſt.

Ut ut autem ſe habeat illa charta, citra dubium eſt Cardinalitia dignitate inſignitum fuiſſe Armannum etiam antequam ad Cathedram Epiſcopalem eveheretur, quocirca in Cardinalium Catalogis minime eſt prætermittendus. Paulus enim Berenienenſis in Vita Gregorii VII., quamdam referens revelationem huic Armanno factam, ita exorditur Cap. 74. pag. 324. (†) *inter hæc quanta obedientia tanto viro exhibenda foret Hermanno tunc temporis Cardinali, ſed poſtmodum Brixienſis Eccleſiæ Præſuli divinitus oſtenſum eſt*; quo ex loco deducitur, jam ab anno MLXXXV., quo ad cæleſtem Patriam Gregorius VII. migraverat, Hermannum fuiſſe Cardinalem. Neque

(25) In notis ad Landulphum Tom. V. Scripp. Italiæ pag. 470. ſub initium Tom. VI. Maji.

(26) Sub initium Tom. VI. Maji.

(†) Hanc paullo poſt hujus Pontificis mortem litteris conſignavit; edita eſt etiam a Muratorio Tom. III. Par. I. Rerum Italicarum.

que movere debet Landulphus, a quo vocatur loco citato Armannus: *quasi Cardinalis*; namque particula *quasi*, adnotante Saxio loco citat., non ad minuendam significationem vocis, cui præponitur, sed potius ad designandam rem vel dignitatem a Landulpho hic & alibi in historiæ decursu passim usurpatur, idemque sonat apud ipsum, ac utraque hæc, *nempe*, *videlicet*. Utrum vero in Episcopum Brixianum ordinatus eam dignitatem retinuerit, dubium facere posset isthæc ejus subscriptio in Diplomate Anselmi hujus nominis IV. Archiepiscopi Mediolanensis (27) signato anno Dominicæ Incarnationis MXCIX. IV. Nonas Februarii absque ulla Cardinalitiæ dignitatis mentione. *Ego Armannus Brixiensis Episcopus interfui & subscripsi*. Ex hac subscriptione corroborari posset sententia Puricelli asserentis (28), post Panvinium de Episcoporum titulis & diaconis, antiquitus usque ad Alexandri III. tempora in more fuisse, ut qui ex Presbytero Cardinali Episcopus fieret, Cardinalis esse desineret.

Sed a laudato Saxio jure vapulat hinc Puricellus: *quam infirma tamen hæc ratio sit*, ait ipse loco citato, *quæ attulimus dilucide probant*. *Armannum enim post initum Episcopatus Brixiensis regimen longe ante Alexandri III. ætatem S. R. E. Cardinalem subscriptum legimus*, quemadmodum in Bacchinio & Ughello videri potest; quocirca creditu facile est, indiscriminatim eum titulum modo usurpatum fuisse, modo prætermissum in publicis Monumentis: quod Monumento donationis factæ Ecclesiæ S. Viti Medulæ supra commemoratæ illustrari confirmarique potest; quippe sub initium vocatur *Domnus Armannus Card. R. Ecclesiæ, & Episcopus prædictæ Sanctæ Brixiensis Ecclesiæ*; in subscriptione autem prætermisso titulo *Episcopi* ita habet: *Ego Herimannus S. R. Ecclesiæ Card.*

A quonam Pontifice ea fuerit dignitate insignitus nihil certi habeo quod afferam, deficientibus probatis Monumentis; neque enim adduci possum, ut putem, eumdem esse ac Armannum ab Alexandro II. anno MLXI. in Cardinalium numerum cooptatum. Namque eum fuisse Episcopalibus Infulis exornatum nullibi se vidisse affirmat Saxius loc. cit.; fortasse eam accepit a Gregorio VII., namque inter

 Car-

(27) Apud Ughellum Tom. IV. pag. 120.

(28) In Dissertatione Nazariana cap. 106. num. 4.

Cardinales ab eo creatos hunc recenset Panvinius (29): *Hermannus.... Diaconus Cardinalis S. R. Ec.* Astezato in cit. ad Manhelmum notis (30) nullum est dubium, Armannum a Panvinio commemoratum eum fuisse, de quo nos agimus, sed nobis satius videtur per conjecturas dumtaxat hoc innuisse; nam ipsimet Panvinio illud fuisse obscurum satis indicant apposita puncta...., quibus quorumdam Cardinalium genus, patriam, aliquando & nomen ignota ei fuisse denotare voluit, teste Strada in Panviniani Operis nuncupatione. Probabile est autem a Summo Pontifice Gregorio collatam ei fuisse eximiam illam dignitatem, ut gratificaretur Comit. Mathildi, cujus ope & auxilio ad Episcopales quoque infulas Hermannum fuisse promotum testis est Landulphus mox citatus; unde cum iis convenire haud possum recentioribus Auctoribus (31), qui affirmant, omni studio Mathildem contendisse, ut Anselmus de Badagio in Archiepiscopum Mediolanensem eligeretur. Qui enim fieri potuit, ut Armannus tantis nominibus Mathildi obstrictus, ei in tanto negotio, tantaque solemnitate contrairet? Huc accedit, apud Landulphum, cujus testimonio inniti videntur illi Auctores, nullam esse de Mathildis studio erga Anselmum de Badagio memoriam, imo ex universa Landulphi narratione contrarium conjici potest. Narrat enim Mediolanensem populum in Anselmi de Brui electionem consensisse gratia Romanæ Ecclesiæ, & Brixianæ, ac Mathildis Comit. favore.

Verum nostri Episcopi commentarii seriem texere progredientes ex supra commemorato Diplomate Præsulis Mediolanensis inferimus, eum consuetudinem habuisse cum Anselmo hujus nominis IV. Mediolanensi Antistite; ratam enim habuit, suaque subscriptione confirmavit sententiam, quam adversus incolentes Ecclesiam S. Protasii in favorem Monachorum atque Abbatis S. Simpliciani tulerat Mediolanensis Præsul IV. Nonas Febr. anno MXCIX. (32).

Sed & anno insequente, nimirum millesimo centesimo, in hujus Ecclesiæ regimine perseverabat; etenim a citato Landulpho (33) recensetur eos inter Episcopos, qui jussu Anselmi

(29) In Epitome Rom. Pontificum pag. 72.

(30) Pag. XXXI.

(31) Apud Andream Rotam in vita S. Anselmi Lucensis cap. 30. pag. 300.

(32) Editum est ab Ughello in Episcop. Mediol Tom. IV. pag. 118.

(33) Cap 3. cit. Operis, Tom. V. Rer. Ital. pag. 474.

ſelmi Archiepiſcopi Mediolanenſis Groſſolanum conſecrarunt in Epiſcopum Savonenſem. Equidem ſcio hanc initiationem affixam fuiſſe ab Ughello in Epiſcopis Savonenſibus (34) anno MXCVIII., verum duobus poſt annis eamdem contigiſſe ex ejuſdem Landulphi narratione poſt Pagium ſeniorem & Saxium (35) colligimus.

Poſt hæc rem admiratione dignam invenio narratam Cap. XXX. citati Landulphiani Operis, nimirum, anno MCXVI. Jordanum Romæ tunc verſantem, depoſito in Eccleſia Lateranenſi olim Epiſcopo Armanno Brixiano, ordinaſſe alium Brixianum electum in Epiſcopum nomine Villanum, in qua Ordinatione ſecundum Ordinis ſui officium factam a ſe fuiſſe lectionem de libro Exodi, & mitram de capite Villani caſurentem ſe in ejus capite firmaſſe memorat. Cauſſam, qua Epiſcopatus Armanno fuit abrogatus, apud nullum Scriptorem commemoratam fateor cum Saxio in notis ad hoc Landulphi Caput; fortaſſe Henrici V. Imperatoris partes, ab Jordane aliiſque Eccleſiæ Epiſcopis & Cardinalibus anathemate perculſi, ſequutus fuerat quadam ductus œconomia, ſed ſua non caret difficultate iſthæc conjectura, animadvertente etiam Saxio loc. cit.; cum ex Diplomate Henrici V. dato anno MCXXV. (36) conſtet, Joannem Brixianum Epiſcopum ab eodem Henrico intruſum fuiſſe uſque ab anno MCVII. Unde Hermanno nihil erat, cur ad Henricianas partes deflecteret. Dici etiam poſſet, id conſilii captum a Jordane Archiepiſcopo Mediolanenſi, propterea quod Groſſolanus, uti ſupra adnotatum eſt: *ordinatus fuerat Epiſcopus Savonenſis, & Anſelmi Archiepiſcopi Mediolanenſis Vicarius*, una cum aliis a noſtro Hermanno (37); cum vero per Jordanem a fidelium communione ſeparatus deinceps fuerit Henricus Imperator, nihil mirum ſi Jordanes deſpectam quoque habuerit Brixiani Armanni conſecrationem, qui favebat rebus Groſſolani, Henrici partes ſequuti. At ne hoc admittatur faciunt ipſiuſmet Groſſolani res; fuit enim ipſe eadem occaſione Romæ abſolutus, atque ad ſuam redire Eccleſiam permiſſus, unde creditu difficile eſt, adeo ſevere actum fuiſſe

(34) Tom. IV. pag. 735.
(35) Tom. V. Rer. Ital. pag. 474.
(36) Ex Florentinii Indice. Monumentum dedit Galeardus in notis ad Ughellum, & editum fuerat ex Archivo Civitatis a Francisco Gallo in ſupra laudato *de Fructibus* Tractatu pag. 90.
(37) Tom. V. Rer. Ital. pag. 474.

cum Hermanno; adeo leviter cum Grossolano. Ideo in tantis historiæ tricis, conjecturis agere nolumus, contenti innuisse eam Landulphi narrationem gravi apud nos laborare fidei suspicione, utpote quæ a nullo alio, quem sciamus, auctore commemoratam. Porro Landulphum haud raro multa de suo addidisse, norunt Eruditi; neque mirum ista de Armanno esse conficta, ut ei infamiam inureret, quem semper aversatus erat, propterea quod Armannus Pontificias & Mathildis partes sequutus fuerat, quas Landulphus presbyteris conjugatis & Simoniacis addictus odio habebat. Hoc circiter tempore narrant Brixiani, eum in Orientem navigasse adversus Infideles, quod inverisimile non videtur; certum quippe est decreto per Urbanum II. R. P. in Conciliis Placentino, Claro-montano & Lateranensi primo, bello sacro, Christi Sepulcro Terræque Sanctæ vindicandis a Saracenorum dominio, Anselmum Archiepiscopum Mediolanensem, aliosque Galliæ Cispadanæ Viros, cum sanguinis tum dignitatum honore clarissimos, coacto milite in Orientem perrexisse sub finem anni MX. (38).

Reliqua Armanni gesta, perinde ac annus obitus adhuc in tenebris latent. Sepulturam tandem accepit in S. Gervasio (39), ut est cum in nostro tum in aliis Catalogis. Atque ejus memoria olim erat clara in Cœnobio S. Petri in Monte Ursino (40), quod illius Ecclesiam S. Eusebio sacram censibus dotasse dicebatur. Dies ejus emortualis olim habebatur undecimus Septembris ob auctoritatem cujusdam Calendarii continentis necrologicas tabulas horum Episcoporum, ubi ad diem XI. Septembris ita est scriptum: *Obitus Ven. Patris D. Martini Armanni Epi. Brixiæ ij Septembris* (41).

LVII.

(38) Rota loc. cit. pag. 302.

(39) De hac Ecclesia adnotavimus aliquid in Rusticiano II.

(40) De hoc Monasterio vide ibidem.

(41) Est sub initium unius ex Breviariis mss. spectantis ad finem Seculi XIII. in Archivo secretiori alias commemorato hujus Cathedralis.

LVII.

VILLANUS EPISCOPUS

ANNO MCXVI.

IN ECCLESIA S. PETRI MAJORIS.

IN Totti Catalogo, Arimannum inter & Villanum, collocantur Odericus & Obertus. Verum a nostri Catalogi serie recedendum hoc loci non est; cum certum sit Armanno suffectum fuisse Villanum anno MCXVI.; eo quippe anno habitum fuit pro judicanda Grossolani, aut Jordanis in Archiepiscopum Mediolanensem legitima electione Lateranense Concilium. Pronunciata autem a R. P. Paschali II. sententia pro Jordane, consecratus (1) fuit altera die in Ecclesia Lateranensi Villanus in Episcopum Brixianum. Hujus consecrationis notitiam, advertente Saxio loc. cit. pag. 500., gratam referre debet Landulpho juniori Brixiana Ecclesia, quæ perturbatis eo tempore Ecclesiasticis rebus plures simul Episcopos (2) sortita, hinc Pontificia, inde Imperiali parte suum vicissim Antistitem substituente, eorumdem Episcoporum chronotaxim habet implexam. Si genuina foret pergamena a Muratorio Differt. LXII. Antiq. Ital. producta (3), dicendus esset Villanus concertationes habuisse cum Monachis Padolironensibus ob duas Ecclesias, easque probabiliter in Territorio Medulensi, ab ejus Prædecessore Arimanno eisdem concessas, ac tandem composuisse mense Aprili anni MCXXI. Pergamenam initæ concordiæ

 inter

(1) Electus antea fuerat Villanus sive Brixiæ a populo & Clero, sive Romæ a Nunciis Brixianis eo fortasse pacto, quo accidit sub Adriano IV.; qui cum accepisset renunciationem Episcopi Placentini per suos Cives gravissimis criminibus accusatum compulit Placentinorum Oratores Romæ versantes, ut eligerent Episcopum Successorem, quem ipse postea consecravit. Vide Ughellum in Episcopis Placentinis. Ceterum licet sequioribus seculis ea obtinuerit disciplina, ut Episcopus a populo electus confirmationem acciperet a Rom. Pontifice, tamen in Ecclesia Mediolanensi diu viguit vetus disciplina, qua Rom. Pontificum auctoritas in Episcoporum electione, & consecratione non nisi raro interponebatur, sed universa res a Metropolita peragebatur. Vide Thomasinum Par. II. pag. 413. Discipl. veteris & novæ.

(2) Quæ sors una cum sua Metropolitica, aliisque Ecclesiis fuit Brixianæ communis. Reipsa ante annum 1107. in hujus Ecclesiæ Episcopum electum fuisse quemdam Joannem scribit Florentinius in Catalogo, eumque Galeardus in notis ad Ughellum pag. 543. putat ab Henrico Imperat. ita Oberto substitutum, uti a parte Pontificia Arimanno Villanum. At videnda quæ in Arimanno adnotavi.

(3) Tom. V. pag. 270. Hae de pergamena redibit sermo in Mayfredo.

inter Episcopum Brixianum & Archipresbyterum Medulensem ex una parte, & Monachos Padolironenses ex altera subscribit inter alios *Villanus Dei gratia Brixiensis Episcopus*. Ex hujus Episcopi gestis una mihi innotescit ex catalogo ms. Florentinii sacratio cultui divino Ecclesiæ S. Jacobi in Casteneti ditione posita, quæ fertur a Benedictinis S. Euphemiæ jussu Paschalis Papæ excitata. Cæterum eadem & ipsi depositionis pœna subeunda contigit; qua de caussa, ignoratur: sive quia Anacleti Pseudo-papæ foverat partes, sive quia adhæserat Anselmo de Posterula, Cathedræ Mediolanensi post mortem Jordanis anno MCXXVI. subrogato, atque a Concilio Papiensi, jussu Honorii II. Summi Pontificis, anno MCXXIX. sacro anathemate multato, quod regnante adhuc legitimo Imperatore Lothario III., ausus fuerat coronare in Regem Italiæ Conradum fratrem Federici Ducis Sueviæ (4); quo anno Villanus eam pœnam tulerit non ita facile statui potest. Profecto VII. Calendas Augusti an. MCXXVII. in Episcopali Sede adhuc stetisse mihi compertum fecit Monumentum hoc relatum in citato *Poteris* Libro F. 2. *septimo Kalendas Augusti in Castro de Callepio &c. investivit.... Consules eo tempore Civitatis Brixiæ, & ejus missos nomine, & vice Communis Civitatis Brixiæ, & D. Villani Dei gratia Episcopi Brixiensis nominative de hoc toto juris ipsius Goizonis, quod ipsi pertinebat, de loco, & Curte de Quinzano caussa, & jure pignoris &c. Factum est hoc prædicto die Mensis anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo CXXVII. indictione quinta*. Galeardus (5) depositionis annum fuisse MCXXXIII. colligit ex Diplomatibus ab Innocentio II. ipso hoc anno Brixiæ datis (6), Saxius vero Pontificis in hanc Urbem adventum ex iisdem Diplomatibus uno retrahendum esse anno statuit. *Cæterum hic Villanus* (inquit loc. cit.) *cum Anacleto Antipapæ faveret ab Innocentio II. Summo Pontifice excommunicatus, ac Episcopatus honore exutus est non anno MCXXXI., ut scripsit Ughellus, sed MCXXXII., ut ex Diplomatibus ab eodem Innocentio hoc anno Brixiæ datis colligimus, quamvis ea sequenti anno MCXXXIII. exa-*

rata

(4) Vid. Murator. Tom. VI. Annal. Ital. pag. 422.

(5) In citatis ad Ughellum notis: ubi quæ de numino a Brixiano Populo in honorem Innocentii II. Brixiæ degentis cuso commemorantur, difficultatem haud levem faciunt Muratorio in Dissertatione de monetis Italiæ Cap. 3. cit. nostræ Differt. Procem.

(6) Apud Margarinum Tom. II. Bullarii Casinen. pag. 146. Quatuor Innocentii Diplomata Brixiæ ipso hoc anno data recenset laudat. Doneda pag. 9. Opusculi, cui titulus: *Lettera di N. N. in confutazione della lettera seconda del Cittadino Bresciano*,

rata fuisse perperam putavit Galeardus non advertens, annum Incarnationis, more Pisanorum, in iis anteversum esse. Utri ex istis sententiis fidendum sit non satis expeditum est, etsi in illam Saxii iverit etiam Muratorius (7). Trita quidem & vulgata est opinio, Innocentium II. uti consuevisse Pisanorum supputatione: verum a Calendis ne Septembris juxta Constantinopolitanos, an a Calendis Januarii juxta Romanos, an aliter initium anni tunc temporis repetierint Pisani, ancipitem me reddunt ea, quæ in eamdem rem sunt erudite disputata a Valsechio in Epistola ad Muratorium data (8). Quocirca non est cur Galeardo viro maxime erudito Pisani calculi cognitio denegetur. Credibile sane est perspectum ei fuisse, multas ambages nobis creare & sæpe in errorem inducere, varios illos apud Majores nostros signandorum Diplomatum usus, teste Muratorio loc. cit. Unde maluit chronicas illorum Diplomatum notas, ut jacent, sequi, quam lubricæ sorti se committere.

Quod si frequentia hujus Pontificis itinera per Galliam Cispadanam recolamus, ejus Brixiam adventum anno MCXXXIII. ab iisdem non abhorrere intelligemus: Vere quidem hujus anni adveniente in Sedem suam Romæ a Lothario Imperatore fuit restitutus, at omnium rerum penuria, armisque atque grassationibus Pseudo-papæ Anacleti Urbem ipsam occupantis vexatus, ab eadem recedere, & Pisas Urbem ipsi addictissimam repetere decrevit, eoque pervenit mense Septembri. Quæ cum certa sint, consentientibus Historicis, est creditu facile per varios flexus, ad Anacleti insidias declinandas, iter peragentem venisse Brixiam, qua per Januam Pisas se reciperet: sive fieri potuit, ut dum Placentiæ adventum Lotharii Germaniæ ac Italiæ Regis, cui Brixiani Cives (9) favebant, expectaret, excurrerit usque Brixiam (10). Hæc ego scribebam, ut ostenderem certo affirmari non posse, Epocham Pisanam nostrum latuisse Galeardum, Virum admodum eruditum. Cæterum arbitror fore ut a vero minime abludam, si adventum Inno-

(7) Tom. VI. Annal. Italiæ pag. 412.

(8) Hujus Epistolæ fragmentum legere licet Tom. III. Antiquitat. Italiæ Muratorii pag. 43.

(9) Litifridus Novariensis in Epistola Lothario scripta apud Eccardum Tom. II. Scriptorum Germaniæ pag. 361. ita testatur: *Excellentia Vestra pro certo cognoscat, quod Novaria, Papia, Placentia, Cremona, & Brixia Civitates Italia firmiter fidelitatem Vestram custodiunt*.

(10) Galeardi opinioni favet Muratorius, Tom. II. Antiquitatum Italiæ pag. 760., a qua tamen recedere videtur Tom. VI. Annalium Italiæ pag. 433.

Innocentii Brixiam anno MCXXXII. assignavero : nam ad annum MCXXXII. *Papa Innocentius Brissiam venit*, ut scriptum lego in citata Chronica Bonon. quam asservat Bibliotheca S. Salvatoris Bononiæ in pergamena : cum hac Malvetius convenit ; scribit enim loc. cit. (11) ad an. MCXXXII. *At Romanus Pontifex Innocentius II. in Lombardorum etiam loca pervenit, & in Brixiensi Civitate nonnullis diebus sibi sedem instituit anno Domini MCXXXII.*

Verum quisdemumcumque fuerit ille annus, quo signata dicuntur illa Diplomata, perperam ex iis, quod sibi proposuerant Galeardus & Saxius, Villani scilicet depositionem, conjici posse reor. Etenim illam accidisse dumtaxat anno MCXXXV. nullum amplius reliquum dubitandi locum facit Malvetius ipse, cui in Patriis rebus Seculi XII. & sequentium cognoscendis præcipuam Brixiani habere debent fidem. Igitur semel & iterum Brixiam contendisse Innocentium testis is est : scilicet annis MCXXXII. & MCXXXV., secundo, non vero primo Episcopum depositum ita narrat Malvetius loc. c. *diebus illis* (12) *anno videlicet MCXXXV. existimans populus istius Civitatis per Consules tunc rem publicam male disponi in eos insurgens, alios creavit, dum etiam Innocentius Papa in ea Civitate resideret, Brixiensem Episcopum nomine Villanum ab Episcopatu ejecit*. Dissimulari quidem nequit a nullo, quem ego sciam, e syncronis Scriptoribus hoc iter fuisse commemoratum : sed cum ex altera parte certum sit Chronologiam Innocentii in rebus gestis mancam esse & perturbatam ; ex altera vero cum liqueat hoc anno Pisis fuisse, non est incredibile Pontificem itineribus assuetum Brixiam usque excurrisse, unde non est, cur veteri Scriptori, licet non coævo, fides negetur (13). Aurelius Corbellinus in Italicis vitis (14) Episcoporum Vercellensium scribit, Villanum Episcopum Brixianum una cum Azzone Vercellensi, Uberto Cremonensi, aliisque Episcopis subscriptione confirmasse pacta quædam inter Decumanos inita sub Jordane Archiepiscopo Medio-

(11) Pag. 818.

(12) Lubet adnotare hoc tempore in Veronensi Cathedra claruisse Bernardum præclaro genere apud Brixianos natum. Ex Diplomate Innocentii II. scripto Attoni Abbati Vallombrosano an. 1123. quod in Episcopis Veronensibus affert Ughellus Tom. V. Italiæ Sacræ.

(13) Dolendum est nulla temporis nota signatos esse nummos argenteos parvi Moduli, quos adhuc servant Brixiani aliqui cusos, ut fertur, in adventu Innocentii Papæ II., de quibus actum est Capite secundo Dissertationis Procemialis.

(14) Pag. 63.

diolanensi. Utinam Aurelius conventionis chartam produxisset: Aliquid fortasse lucis ex ea Villani Commentario perfundi posset. Dicitur e vivis sublatus Villanus septimo Calendas Februarii anno MCXLIV., atque tumulatus in Ecclesia S. Petri Majoris. Quod vero a nonnullis de Cardinalitia ejus dignitate affirmatum est, purum esse commentum arbitror cum Florentinio in Indice.

LVIII.

MAYFREDUS EPISCOPUS

ANNO MCXXXV.

Ejecto Villano, quisnam fuerit in hanc Episcopalem Sedem provectus, a Malvetio prætermittitur, sed cum e nostro, tum ex aliis Catalogis liquet promotum fuisse Mayfredum (1). Chartam in Villano commemoratam subscribunt: *Ego Villanus Dei gratia Brixiensis Ecclesiæ Episcopus*: *Ego Manfredus Dei gratia Brixiensis Ecclesiæ Episcopus*. Conjicit inde Muratorius, uti alias adnotavi, invaluisse tunc temporis Coadjutores Episcopatuum, eoque utitur exemplo ad confirmandam opinionem, quam de hisce Coadjutoribus tulerat in Præfatione ad carmen Comense (2). Si integram ipse chartam ex Archivo Padolironensi produxisset, de ejus aut genuitate, aut falsitate certiores faceret Lectores. Deficientibus itaque adminiculis, quibus ejus de genuitate cognosci possit, id unum ajo, Villano Brixiana in Cathedra adhuc sedenti datum fuisse Coadjutorem hunc Mayfredum, cujus tamen rei citata Muratoriana charta unice attestatur. Eo regnante, Eugenium III. Summum Pontificem bis venisse Brixiam, ex Sigonio & Baronio optime animadversum est a Galeardo loc. cit., qui incuriosos ac indiligentes suos vocat conterraneos, a quibus

(1) Alii vocant Marfredum, & fertur fuisse ex familia Lucciaga, quæ ad hanc diem resplendet sanguinis splendore, opum affluentia, Religionis decore. Et ex qua superiori seculo floruit Venerabilis ille Alexander, de quo in Cardinalis Mauroceni Brixiani Episcopi commentario occurret sermo.

(2) Tom. V. Rer. Ital. pag. 402.

bus unus dumtaxat Eugenii adventus, prætermiſſo etiam anno, refertur: Malvetius tamen non ita graviter eſt culpandus; iſtis enim verbis unius ſaltem adventus Epocham expreſſit loc. cit. pag. 876. *Interea Conradus II. in Imperio ſubſtitutus eſt, dum jam a Dominica Nativitate anni erant MCXXXVIII. prolapſi*; pagina vero ſequenti ita ſequitur, *eo imperante, ab ejuſdem electione annis X. peractis, Eugenius Papa in hanc Civitatem pervenit* (3). Conſpexit igitur Mayfredus Patriam Pontifice Maximo ac multis Cardinalibus bis illuſtratam: ipſe vero non ſolum ſuam Eccleſiam, ſed etiam Patriam eximiis beneficiis cumulavit. Hæc ſunt magis præcipua præclaroque encomio laudanda, quod Civitatis Conſules (4) qui, ut tunc ea erant tempora, ſumma rerum potiebantur, propter hæreſeos ſuſpicionem ab Urbe exterminari curavit. Fautores quippe erant Arnaldi Civis Brixiani, hominis ſua & poſterorum memoria famoſi, cui parum cum fuiſſet (teſte Baronio (5)) *laicos a Pontifice & Cardinalibus ſeparare quæſiſſe, Clericos ſubditos eiſdem Cardinalibus Titulorum Rectoribus ab iis divellere laboravit, quod & iiſdem facile perſuaſit negantibus ſe ipſos eſſe ſubjectos, & obedire teneri*: quibus aliiſque criminibus fœdatus, exuſtus eſt vivus Romæ juſſu Urbis Præfecti anno MCXXXV.

Eo quoque nomine a Brixianis celebratur, quod a S. Bernardo per Epiſtolam ſalutari meruit, cujus Epiſtolæ hæc fuit occaſio. S. Bernardus cum electus fuiſſet ab Eugenio III. Rom. Pontifice ſocius parandæ in Terram ſanctam expeditionis eas Urbes, quas ſuamet præſentia commovere non poterat, excitavit per Epiſtolas, ut conſcripto milite, oblataque pecunia, ſancto operi ſuppetias ferrent. Quapropter cum Brixiam venire (6) non potuiſſet, miſit Epiſtolam inſcriptam Mayfredo

(3) Conſonat Chron. Bon. *anno* 1143. *Eugenius Papa venit Briſſiam*. Eugenii mora in Monaſterio Leonenſi patet ex charta anni 1105., quam edemus in Joanne Flumicello.

(4) Conſulum nomina habemus ex iis Malvetii verbis loc. cit. pag. 876., juxta quem duobus ſaltem annis eorum exilium eſſet retrahendum. *Rebaldus, & Perſicus viri Hipocrita, & Hæretici, qui eo anno Conſulatum regebant a Militibus Chriſtianis a Brixiana Civitate cum ſuis ſequacibus expulſi ſunt*. Porro iſti Conſules eſſe debebant ex claſſe majorum, namque teſte Muratorio in Diſſert. 46. Antiquit. Ital. non unus erat Conſulum ordo, quem unaquæque Urbs ſibi deligebat, aliis enim credebatur ſupremum politicum regimen: aliis vero (juris videlicet peritis) cura decernendi lites civiles inter populum exortas. Primi conſules appellabantur majores; alii vero dicebantur Conſules *de Placitis* ſive cauſarum Conſules, atque Conſules *juſtitiæ*.

(5) Ad annum 1148. num. 38.

(6) Rubeus loc. cit. ad annum 1154. ſcribit, *Innocentio* (Papa) *mandò S. Bernardo ad acquietar la Lombardia, e per aſſolvere i Milaneſi dalla ſcommunica.... fu benignamen-*

do (7) Brixianæ Ecclesiæ Episcopo, quam Baronius in Annalibus vocaverat: exhortationem S. Bernardi ad Brixianos. Quamnam vero opem contulerit Mayfredus, nemo, quem viderim, posteritati reliquit. Hoc ipso tempore apud eumdem Pontificem Eugenium III. caussam Canonicorum Cathedralis egit, ut a vi & armis hominum facinorosorum vindicaret eorum prædia, quibus Pontifex consuluit Bulla data V. Idus Septembris anno Incarnationis MCXLVIII. Indictione XI. ex Monasterio Leonense (8) in agro Brixiano, quam ex tenebris citati Tabularii Cathedralis publici juris hic facimus.

„ Eugenius Epūs Servus Servorum Dei Dilectis filiis Ca-
„ nonicis Ecclesie beatę Marię Brixien. tam presentibus quam
„ futuris canonice substituendis in perpetuum. Æquitatis &
„ justitię ratio persuadet nos Ecclesijs perpetuam rerum sua-
„ rum firmitatem, & vigoris inconcussi munimenta servare
„ vel

te accolto S. Bernardo in Brescia dal Vescovo Manfredi, e dai Cittadini, ai quali fece in Duomo un santissimo Sermone. Quibus vero ex tabulis hoc scripserit Rubeus nos omnino latet; ejus enim rei memoria nulla invenitur in S. Bernardi gestis, quæ sunt accuratissime collecta sub initium Tom. III. ejusdem Operum, cura & studio Monachorum S. Benedicti Congreg. S. Mauri, neque vestigium ullum est penes Malvetium, & Capreolum.

(7) In editione Maurina est tercentesima sexagesimatertia, ex cujus titulo etsi liqueat datam fuisse ad Episcopos, & populos orientalis Franciæ, & Bajoariæ, tamen ad Episcopum quoque nostrum Mayfredum fuisse missam colligitur ex illis Codicibus, in quibus hæc exstat inscriptio: *Mainfredo Brixiensis Ecclesiæ Episcopo*, quos legere licet Tom. I. pag. 327. cit. edit. Unde merito Baronius ad annum 1146. innixus fortasse auctoritate Codicis Bibliothecæ SS. Faustini & Jovitæ, ex quo innotuerat etiam Capreolo lib. 5. historiæ ad annum 1125. eam vocat: exhortationem S. Bernardi ad Brixianos: eamque refert cum hac inscriptione: *Maifredo Brixiensis Ecclesiæ Episcopo, nec non Consulibus, Militibus, & universis Populis sub eo constitutis, Frater Bernardus, Claravallis vocatus Abbas, spiritu fortitudinis abundare.* Galeardus in citatis ad Ughellum notis pag. 543. ex Mabilloniana, quam modo citavimus S. Bernardi Operum editione, hæc adnotat: *in editis hucusque, Epistola hujus inscriptio fuerat* " *ad Episcopum, Clerum, & Populum Spirensem* " *quæ inscriptio cum Horstio angustior visa esset, quam scopus Epistolæ postularet, ampliorem præfixit* " *Dominis & Patribus carissimis, Archiepiscopis, Episcopis, & universo Populo Orientalis Franciæ, & Bajoariæ* ". Eamdem Epistolam Mainfredo Episcopo Brixiano inscriptam conservat etiam chartularium Oratorii PP. S. Philippi Nerii Brixiæ inter Fayni schedas.

(8) Hoc de Monasterio vide in Herculano. Ex tempore autem, quo Privilegium signatur, colligere licet, Monasterii Leonensis conflagrationem (quam Malvetius ad annum 1135. commemorat cit. Chron. pag. 876.) aut non ita magnam fuisse, ut Cœnobium dirutum sit, aut quam citissime restauratum, tanto ut hospite dignum evaderet. Apparet insuper in eo Diplomate ingens numerus Ecclesiarum Urbis & Agri, quæ ad Cathedralis Canonicos spectabant, ex quibus processu temporis aliæ Parochiales factæ sunt ex simplicibus Sacellis, ut erant, Canonicalibus: aliæ in Claustralium jura cesserunt, quæ aliis ecclesiis conjunctæ sunt: aliæ vero sui vestigium non reliquerunt. Duo alia in citato Capitulari Archivo consimilia exstant Diplomata: alterum Adriani IV. ann. 1159. alterum Urbani III. ann. 1186., quæ prætereuntur, ne eadem frustra iteremus.

,, vel conferre. Non enim decet Clericos in fortem Domi-
,, ni evocatos perversis malorum hominum molestijs agitari,
,, nec temerariis quorumlibet vexationibus fatigari. Quocir-
,, ca dilecti in Domino filij Predecessoris nostri felicis me-
,, morię PP. Honorij vestigiis inhęrentes vestris justis postu-
,, lationibus clementer annuimus, & pręfatam beatę Dei
,, genitricis semperque Virginis Marię Ecclesiam, in qua Di-
,, vino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra
,, protectione suscipimus, & pręsentis scripti privilegio com-
,, munimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quę-
,, cumque bona tam ex collatione Catholicorum Episcopo-
,, rum Brixiensis Civitatis, quam aliorum Dei fidelium in
,, pręsentiarum iuste & canonice possidetis, aut in futurum
,, concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Princi-
,, pum, oblatione fidelium, seu alijs justis modis pręstante
,, Domino poteritis adipisci firma vobis vestrisque successori-
,, bus & illibata permaneant. In quibus hęc proprijs nomi-
,, nibus duximus exprimenda. Cappellam Sancti Augustini.
,, Cappellam Sancti Faustini in Castro. Cappellam Sancti
,, Urbani. Cappellam Sancti Cassiani. Cappellam Sanctę
,, Margaritę. Cappellam Sanctę Marię de Calcaria cum co-
,, sta Calcarię & cęteris rebus ad ipsam curtem pertinenti-
,, bus. Cappellam Sancti Syri. Cappellas Sancti Clementis
,, & Sanctę Cecilię. Cappellam Sanctorum Martirum Mar-
,, cellini & Petri. Cappellam Sanctę Marię apud Sanctam
,, Eufemiam. Cappellam Calionis Vici. Quatuor Cappellas
,, in buticino & tres cappellas in curte Flere. Cappellam
,, in castello novo. Cappellam quę est in castello Capriani.
,, Cappellam in Unsado. Cappellam Sanctorum Martirum
,, Gervasi & Protasi in Pontecaralo. Cappellas Sanctę Ma-
,, rię & Sancti Martini in eodem loco. Cappellam Virgilia-
,, ni. Cappellam Sanctę Marię in Posterula. Cenobium
,, Sancti Petri in Flumicello. Cappellam Sancti Georgij
,, in Sciściano. Cappellam Sanctę Marię in Urago. Cap-
,, pellam Sancti Emiliani in Subvinea. Cappellam Sancti
,, Georgij in Cellatica. Duas cappellas in Salis Sancti
,, Thomę & Sancti Stephani. Cappellam Sancti Salvatoris
,, in Castello Nave. Cappellam Sancti Zenonis in Andulo.
,, Cappellam Sancti Faustini in Bareliaca. Cappellam San-

,, cti

„ cti Michaelis in Nubilento. In Casale Mauri duas Cap-
„ pellas Sancti Stephani, & Sancti Quirici. Xenodochium
„ Sancti Georgij in Sisinisco. Cappellam Casalis pauli.
„ Cappellam Sancti Filastrij in Casale. Titulum Sancti
„ Johannis in Ruvereto. Cappellam Sancti Faustini in
„ Castro clare. Cappellam Sancti Martini in Adro. Duas
„ cappellas in curte casali Sanctę Marię & Sancti Pe-
„ tri. In Castellione duas cappellas Sanctę Marię & San-
„ cti Emiliani. In Mairano Cappellam Sancti Andreę
„ Apostoli. Prețerea quicquid de suis bonis Gerardus
„ Zanzulus & Berta uxor eius, atque Richelda relicta
„ quondam Gerardi Bonizonis. Diadema quoque & In-
„ gelenda Ecclesię vestrę rationabiliter contulerunt. Omnes
„ decimas Civium & Suburbanorum & territorij ad Civita-
„ tis plebaticum pertinentis sicut a vestris predecessoribus
„ quiete hactenus & rationabiliter possessę sunt. Possessio-
„ nes quas ad vestrę sustentationis usum traditas in Op-
„ pidis Villis vel alijs predijs in Silvis Molendinis aut pi-
„ scationibus legitime habetis. Porro possessiones sive do-
„ mos Clericorum & earumdem possessionum homines a
„ fodro & alijs publicis functionibus sicut ab Imperatori-
„ bus statutum est liberos esse pręcipimus. Decernimus er-
„ go ut nulli omnino hominum liceat pręfatam Ecclesiam
„ perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas reti-
„ nere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare. Sed
„ omnia integra conserventur eorum pro quorum guberna-
„ tione & substentatione concessa sunt usibus omnimodis
„ profutura. Salva Sedis Apostolicę auctoritate & diocesa-
„ ni Episcopi Canonica justitia & reverentia. Siqua igi-
„ tur in futurum Ecclesiastica Secularisve persona hanc
„ nostrę constitutionis paginam sciens contra eam temere
„ venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non
„ satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque
„ sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere
„ de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Sacratissimo
„ Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris no-
„ stri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine
„ districtę ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua
„ jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, qua-
„ tinus

„ tinus & hic fructum bonę actionis percipiant, & apud
„ districtum Judicem premia ęternę pacis inveniant. Amen.



Ego Eugenius Catholicę Ecclesię Epūs ff.



„ ✠ Ego Hubaldus Presbyter Card. tit. Sanctę Praxe-
„ dis ff.
„ ✠ Ego Aribertus Presbyter Card. tit. Sanctę Anasta-
„ się ff.
„ ✠ Ego Guido Presbyter Card. tit. Pastoris ff.
„ ✠ Ego Jordanus Presbiter Card. tit. Sanctę Susan-
„ nę ff.

„ ✠ Ego Oddo Diac. Card. Sancti Georgij ad velum
„ aureum ff.
„ ✠ Ego Octavianus Diac. Card. Sancti Nicolai in
„ carcere Tulliano ff.
„ ✠ Ego Gregorius Diac. Card. Sancti Angeli ff.
„ ✠ Ego Johannes Diac. Card. Sanctę Marię Novę ff.

„ ✠ Ego Jacintus Diac. Card. Sanctę Marię in Cosmy-
„ dyn ff.

„ Dat. apud Leonense Monasterium per manum Guidonis
„ Sanctę Rom. Ecclesię Diac. Card. & Cancell. V. Id.
„ Sept. Ind. XJ. Incarnationis Dominicę anno M.° C.°
„ XLVIIJ. Pontificatus vero Domini Eugenij PP. IIJ.
„ anno Quarto.

Tri-

Tribuenda est huic Mayfredo erectio circiter annum MCXL. pientissimi S. Mariæ de Pace Monasterii Sacrarum Virginum Deo famulantium apud Minervium, Oppidum satis amplum decimoquarto ab Urbe lapide ad Austrum, quod anno MCCXCIV., ut suo loco dicetur, ad SS. Felicis & Fortunati urbanam Ecclesiam a Berardo Episcopo translatum, anno tandem MCCCCXLVII., Monasterio Ecclesiaque extructis, titulo Nativitatis B. V. Mariæ, seu S. Mariæ de Pace vocari cœpit. Fundationis Monumento aut deperdito, aut aliquo in angulo adhuc latitante, pergamenæ tamen autographæ, rara sane diligentia ab illis Monialibus custoditæ, non solum vulgari traditione, ut in ejusdem parthenonis Annalibus mss. recenter conditis, sed etiam probatissima antiquitate, certissimam faciunt de ejusdem Monasterii auctore & epocha. Etenim Joannes hujus nominis II., qui anno MCLXXXVIII. hanc Ecclesiam moderabatur in Diplomate, quo omnia prædia laudato Monasterio olim attributa confirmat, iis utitur verbis, quæ Mayfredum hunc Monasterii Conditorem fuisse ac Patrem procul dubio patefaciunt; inquit enim: *Sicut in privilegio Episcopi Maifredi beate memorie Predecessoris nostri continetur, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem Ecclesia inpresentiarum juste & legiptime possidetis...., & cuncta, que in futuro concessione Pontificum, largitione Regum....poterit adipisci supradicte Ecclesie ..bere, & absque ulla conditione in fundatione & edificatione supradictus Domnus Episcopus donavit & concessit predicta universa vobis filie in ipsa Ecclesia firma & illibata de authoritate nostra permaneant.* Ipsummet Monumentum autographum suo cum sigillo cereo rubri coloris pendente, annuentibus Abbatissa cæterisque piissimi Monasterii Monialibus, ipsi inspeximus atque descripsimus (9). Dispendium operæ non fuerit illud, quod usque adhuc in tenebris latuit, in lucem emittere in Episcopi Joannis hujus nominis II. commentario.

Fragmentum subjicimus autographi Diplomatis R. P. Innocentii II. in eodem Monasterio custoditi, quod positam fundationis Monasterii Minervii notitiam constituit; datum est: *Dilectis Filiabus Carecausæ ejusque Sororibus;* confirmat

O in

(9) Filza A. fol. 6.

in eo Pontifex omnia bona, rationes, consuetudines, & cætera omnia, quæ *a Venerabili Fratre nostro Mayfredo Brixiensi Episcopo, seu aliis Fidelibus rationabiliter concessa sunt. Dat. Laterani per manum Aimerici S. R. Eccl. Card. Diac. & Cancell.* (10).

Datum est anno Incarnationis MCXL., Pontificatus vero anno XI. v. Kal. Febr. Indict. IV.

Suum etiam Mayfredus erga Sanctos Urbis Tutelares Faustinum & Jovitam testatum voluit studium, cum Ecclesiam ipsis nuncupatam, atque de novo restauratam nova consecratione cultui divino dedicavit anno MCLII., præsentibus Oberto Archiepiscopo Mediolanensi, Gerardo Bergomensi, & Theobaldo Veronensi Præsulibus (11). At præclara vita functus anno insequenti MCLIII. teste Chronica Bononiensi (12), Nonis Januarii, ut est in nostro Catalogo, sepulturæ traditus est apud S. Petrum Majorem (13) prope Altare S. Ambrosii, ubi Rubeus in manuscripta historia ad annum MCLIII. hanc se legisse Epigraphem affirmat:

„ Manfredus S. Ecclesiæ Brix. Episcopus
„ SANCSS. D. N. P.P. EUGENII III. Hospes, &
„ VICARIUS PONTIF. BEATISS. MEMORIÆ
„ Hic Requiescit. obiit NON. Jan. MCXXXXXIII.

LIX.

(10) Filza Prima fol. 16.

(11) Consecrationis monumentum prodidit Martinengus in Italica SS. Faustini & Jovitæ vita, & ex eo Bollandiani in sæpe citato Commentario iisdem Sanctis præmisso Tom. II. Febr. pag. 806. Eamdem contigisse Idibus Martii est in catalogo Consecrationum harum Ecclesiarum, quem Seculo XII. transcriptum edidit ex codice S. Salvatoris Bononiæ cit. Doneda ad calcem observationum in Tom. I. Histor. Brix. Biemmii.

(12) *MCLIII. Eugenius Papa obiit & Maifredus Episcopus.*

(13) Scilicet in veteri Cathedrali, quam probabiliter fuisse æstivam arbitrabamur pag. 46. nuncupatam vero Divo Petro Principi Apostolorum fuisse patefaciunt quamplurimæ chartæ Brixianæ medii ævi ineditæ; ex quibus sat erit protulisse hanc laciniam ex Archivo Nobilium de Gambara vulgo *delle Grazie: die luna quintodecimo exeunte mense Octubris ..... in Ecclesia S. Petri Majoris Ecclesia Civitatis Brisia anno DNI. Millesimo centesimo nonagesimo quarta Ind. XII.*

LIX.

RAYMUNDUS EPISCOPUS DOMNUS

ANNO MCLIII.

EOdem anno Raymundus inde Mayfredum excepit; namque die prima Martii anni MCLIII. consecravit Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ (1). Unde labefactata Florentinii Chronologia, referentis (2) ad annum proxime sequentem ejus electionem, firmatur Fayni & Ughelli calculus. Anno postea insequenti MCLIV. Obisoni Parocho Ecclesiæ Minervii concessit quoddam privilegium, quod adhuc asservatur in Regesto Communitatis Montis-Clarensis (3). Eodem anno interfuit Conventui, quem in Campestria Roncaliæ prope Padum Placentiæ, ingenti Principum & Civitatum concursu, Fridericus I. Imperator ad recipiendum obsequii jusjurandum, componendasque Italici populi lites mense Decembri coegerat. Huic haud levi tributum est honori, quod Brixianis cum Bergomatibus bello contendentibus, pacem inprimis insinuaverit, missa Bergomatibus legatione (4), qua facta est eis facultas, ut aut Vulpini, Ceratini & Cualini Castra, quæ occiduas spectant Sebini lacus oras relinquerent, aut eadem Feudi jure a Brixiana Ecclesia reciperent, qua legatione ab illis aspere accepta, bello sævius redintegrato, a Brixianis tandem victoria cum stetisset (5) Episcopum nostrum elegit uterque populus sequestrem pacis, quæ anno MCLVI. inita atque jurejurando firmata fuit ea lege, ut Bergomates nullum in posterum jus in illas regiones haberent. Pacis Monumentum cum in Ughel-

(1) Hac de Ecclesia vide, si lubet, adnotationem in S. Philastrium pag. 48.

(2) In Catalogo edito.

(3) Fol. 113. Illius privilegii in Regestis quoque Cancellariæ Oeconomicæ Episcopalis mentio occurrit: an idem a Florentinio commemoratum, liceret suspicari, si Minervium idem vocatum olim fuerit Mons-clarus, ut veteres pergamenæ seculi X. videntur insinuare.

(4) Malvetius loc. cit.

(5) Radevicus de Rebus gestis Friderici Imperatoris lib. 2. cap. 3. Tom. VI. Rer. Ital. pag. 784., & Rubeus, cujus sunt verba ista in hist. ms. ad annum 1156. *si conchiuse tregua tra l' una e l' altra Città col mezzo del nostro Vescovo, che ne fu fatto arbitro comune*. Consonat Chronica Bon. *A. MCLVI. Brixienses ceperunt Bergomenses in bello*.

Ughellò desideretur, in lucem educi exscriptum ex citato *Poteris* volumine (6) gratum Lectoribus fore existimamus. Ita vero se habet.

„ Refutatio & finis facta per Capita Vulpini Dño Rai-
„ mondo Epõ Brixien & Communi Brixie de Castro Vul-
„ pini Cualini & Ceretelli de emptione facta a Bruxiado.

„ In Xpī nomine die Mercurij qui est duodecimus Kalen-
„ darum Aprilis inter Muram & Telgatum non longe ab
„ Ecclesia Scī Michaelis. pręsentia religiosorum Abbatum.
„ scilicet de Astino & de Valle alta & Prioris de Pontida
„ & Prepositi Scī Petri in Oliveto & Archipresbiteri Ma-
„ joris Ecclesię & aliorum multorum. Capita Vulpini scili-
„ cet Bertramus Ficie & Suzo Cuglionus. Ermannus Ra-
„ pazelia. Guithottus de Castello. Teutaldus de Muzio ac
„ Lafrancus Lacaronus. Guilielmus de Rivola. Guilielmus
„ de Grotta fecerunt finem & refutationem in manus Dñi
„ Raimundi Epī venerabilis Brixien. Epī vice & nomine
„ Brixien. Ecclesię & in manus Consulum Brixien. vice
„ populi & Com̃unitatis Brixię nominatim de Castro Vul-
„ pini & Cualini & Cerethelli & eorum territorio in inte-
„ grum. & de tota emptione facta a Bruxiado sicut ipse
„ Bruxiadus tenebat per octo dies antequam vendidisset, &
„ de omnibus damnis & iniurijs & maleficijs per Comune
„ Civitatis Brixię vel divisum seu eius partem sibi illatis
„ quoquomodo & nominative de pretio adquisitionis. eo
„ videlicet modo fecerunt hanc finem & refutationem. quod
„ ipsi & sui heredes neque per se neque per subpositam
„ personam non debent prędictum Epũm vel eius Successo-
„ res seu Com̃unitatem Brixię vel divisum seu eius partem
„ de hac hora in antea quoquomodo de prędicta fine & re-
„ futatione inquietare seu molestare neque per vindictam
„ faciendo vel lamentationem alicui Civitati seu Spirituali
„ vel Seculari personę. Sed semper taciti ac contenti in hac
„ fine permanere debent. Et si in aliquo tempore contra
„ hanc finem & refutationem facere temptaverint vel si
„ apparuerit aliquod datum seu scriptum vel factum, quod
„ ex-

(6) Fol. 159. De Poteris Libro plura adnotata sunt pag. 159.

„ exinde in aliam partem dedissent aut fecissent, & clarum „ factum fuerit, & non expedierint, tunc obligaverunt se „ nomine pęnę se suosque hęredes componituros nomine „ mille libr: argenti denariorum veteris monetę prędicto „ Epõ vel eius successoribus ac Communitati Brixię, & „ post penam solutam maneat hęc finis & refutatio in suo „ robore. ibidem vero incontinenti Consules Pergami scili- „ cet Grous Jurisperitus. Alexander de Alleo. Ottelatius „ de Castello. Joannes de Azano & Girardus de Castello „ Guifredus de Grotta. Maureschus de Rivola. Biffa de „ Curterezio Joannes Ribaldi. Paganus Adelasij. Ardericus „ Jurisperitus Teiardi qui erant capita Vulpini per se & „ cum alijs pro Comunitate seu divisi fecerunt finem & re- „ futationem nominative de predicta emptione & pretio & „ prenominatis locis in integrum per consensum suorum „ concivium ibidem astantium in manus predicti Epĩ vice „ Brixiane Ecclesie & predictorum Consulum, & vice comu- „ nitatis Brixie & de omnibus homicidijs, damnis, iniu- „ rijs, & maleficijs a parte Comunitatis Brixie seu divisi „ in comunitate Pergam. seu divisum vel eius partem illa- „ tis factis & promiserunt predictam finem & refutationem „ a se Capitibus Vulpini eorum heredibus & cum aliis si- „ militer promiserunt a comunitate & diviso Pergami & „ eius parte in perpetuum firmam & ratam fore, & quod „ non faciat inde vindictam seu lamentationem, querimo- „ niamve per se vel per interpositam personam alicui Civi- „ tati vel potestati spirituali vel seculari, sed semper taci- „ tos & contentos in hac fine permanere. Et insuper pro- „ miserunt Comunitatem Pergami effecturam quod filij in- „ terfectorum qui non sunt in legitime etatis eamdem finem „ observabunt, & cum ad legitimam etatem pervenerint de „ nece parentum expressam finem facient, si petitum fue- „ rit, & observabunt. Et si contra hoc factum fuerit, tunc „ Capita Vulpini obligaverunt se suosque heredes si per eos „ factum fuerit contra, vel si apparuerit aliquod datum vel „ factum seu scriptum quod exinde in aliam partem dedis- „ sent, aut fecissent, & clarum factum fuerit, componere „ nomine penę mille libr. predicto Epõ suisque successoribus „ & Comunitati Brixie. postea cum alijs promiserunt pro

„ Comunitate eamdem quantitatem mille libr. prestare si
„ contra hoc factum fuerit, predicta fine & refutatione ra-
„ ta manente. versa vice Consules Brixie per consensum
„ suorum Concivium ibidem similiter astantium: scilicet
„ Girardus de Burnato & Albertus de Gambara Ragazza-
„ nus Caballicanis. Tetocius Marchesius. Framesinus. Mar-
„ chesius Ballius. Monacus q.m Ottonis de Foro fecerunt
„ finem Capitibus Vulpini & per Consules Comunitati &
„ diviso Pergami & ejus parti pro se & Comunitate & di-
„ viso Brixie & eius parti nominative de damnis & iniurijs
„ & homicidijs seu maleficijs illatis parti Brixien. a parte
„ Pergam. preterea eamdem promissionem ut supra dictum
„ est de filijs interfectorum versus partem Pergami fecere &
„ de fine similiter sub eadem pena & hec omnia ab utra-
„ que parte servare debent absque fraude & malo ingenio.
„ Preterea Consules utriusque Civitatis vice Comunitatum
„ & divisorum ac suarum partium osculo interveniente pa-
„ cem inter se fecerunt. Postea vero predicti Consules &
„ capita Vulpini iureiurando firmaverunt predictam finem
„ & refutationem seu pacem a se & a Comunitatibus divi-
„ sis & suis partibus omni tempore firmam & ratam se
„ sciente futuram, & hoc sine fraude & malo ingenio. Un-
„ de quatuor brevia scripta sunt uno tenore.

„ Anno ab Incarnatione Dñi nostri Jesu Xpi M.CLVI.
„ indict. quarta interfuerunt Gerardus Tetocij. Maurus de
„ Calvazesio. Bellebonus Caniolus. Raimondus Candidini.
„ Oprandus de Scõ Gervasio. Acerbus de Calcaria Co. Gi-
„ rardus de . . . & plures alij testes. & insuper Obertus
„ de Dovaira.

„ Ego Conradus Notarius Dñi Imperatoris Friderici, &
„ filius q.m Guidonis Bracij Notarii Imperatoris Friderici.
„ qui interfuit rogatu & jussu eius hanc cartam scripsi.

Aliam eodem anno MCLVI. feliciter composuit litem inter Lanfrancum Abbatem Monasterii S. Euphemiæ (7) Brixiæ, & Obizonem Archipresbyterum Plebis Minervii, propter jurisdictionem in Clericos Ecclesiæ de *Ceole* (vulgo *Cigole*) quam unusquisque sibi competere contendebat; facto ab

(7) De Monasterio Euphemiano plura collegimus in Landulpho secundo pag. 154.

ab utraque parte *compromisso* in Raymundum, hanc ipse tulit sententiam, ut Abbati S. Euphemiæ jus esset eligendi, quem ipse voluerit in Clericum, dummodo sit *idonea persona*, eumque Clericali tonsura sacræ militiæ adscribere, atque Parochiali Ecclesiæ Ceolæ, consentiente Archipresbytero, addicere; de cætero cum in sacris, tum in civilibus rebus ab Archipresbyteri jussu pendere debeat. Sententiam litteris consignatam & expeditam anno Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimosexto mense Madii Indict. IV., atque ab eodem Raymundo signatam, nunc primo vulgamus ex chartulario Monialium SS. Cosmæ & Damiani.

„ ✠✠ In nomine domini dei eterni. Anno ab incar-
„ natione ejus milesimo centesimo quinquagesimo sexto men-
„ se madii. Inditione quarta in civitate brixia in Ecclā
„ sancte marie que est edifficata justa monasterium sancto-
„ rum Gosme & dalmiani. In presentia horum hominum
„ quorum nomina subtus leguntur. Controversia que verte-
„ batur inter dnūm lanfrancum abbatem monasterii sancte
„ eufemie. Nec non & dnūm obizonem archipresbiterum
„ plebis minervii de statu & *ordinatione* Clericorum ecclē
„ de ceole in dno Rabimundo Epō brixiense ad decidendum
„ compromissa ut inferius declarabitur taliter est decisa quod
„ dnūs lanfrancus abbas iam dicti monasterii vel eius suc-
„ cessor quemcumque voluerit in clericum dummodo sit ido-
„ nea persona debet eligere & tonsorare atque professionem
„ ab eodem iusta consuetudinem monasterii accipere & an-
„ tequam ponat ad Ecclām debet archipresbitero minervii
„ representare & eius conscilio & consensu in Ecclā ponere
„ & omnes alios ordines per representationem archipresbite-
„ ri minervii ad epūm factam debet suscipere & sub plebe
„ vocari & quod dictum est de clerico illud idem observe-
„ tur & in sacerdote remota omni mala occasione. quod
„ si clericus vel sacerdos contra abbatem rebellis extiterit &
„ monitus ab abbate & fratribus satisfacere contempserit
„ tunc causa ad archipresbiterum minervii deveniat & per
„ eum a rebellatione discedat & emendet quod si per eum
„ facere noluerit deinde causa ad episcopum per abbatem

„ refferatur & eius confcilio diffiniatur in omnibus vero aliis
„ fcilicet capitulo & cruce & penitentie & babtifmo & cri-
„ fmatis fufceptione & fynodali obedientia ad ius parochia-
„ le pertinentibus tam facerdos quam clerici archiprbrō re-
„ fpondeant temporalium rerum amminiftrationis jure abba-
„ ti fancte eufemie falvo. Ibi fuerunt archipresbiter Johēs
„ magioris ecclē. & presbiter arn. . . . . agifter . . . .
„ . . . . . atellus & benedictus fancti petri in oliveto pre-
„ pofitus & Girardus fancti Johīs de foris prepofitus. &
„ presbiter fancti laurentii diaconus. & S . . . . . us pre-
„ sbiter. & ugo fancti alexandri presbiter. & atto Ecclē
„ calvixani presbiter rogati effe teftes

„ ꝑ ꝑ Ego Rainerius legis peritus rogatus hoc breve *fcripfi*

„ ✠ Ego Raymundus epūs *ff*

Suum erga Capitulum majoris Ecclefiæ ftudium teftatum volens egit cum Pontifice Adriano IV., ut ejus Privilegia & Jura confirmaret, quod a Pontifice, Anagniæ tunc in Agro Romano diverfante, actum cumulate fuiffe, teftatur Diploma datum: *Anagni per manum Rolandi S. R. E. Presbyteri, Cardinalis & Cancellarii IV. Kal. Julii, Indictione VII., Incarnationis Dominicæ anno* 1159., *Pontificatus vero Dñi Adriani Papæ IV. anno IV.* Archetypum cuftoditur in citato Cathedralis Archivo, & convenit omnino cum illo Eugenii III. Mayfredi ope obtento, atque a nobis edito in Mayfredi commentario. At illo Raymundus non contentus eximii erga principem Ecclefiam animi fui argumento, ampliffimam infuper decimarum ad fe fpectantium *de Caftenedulo, & de Campanate a fuperiore parte* donationem Capitulo factam ratam habere voluit anno MCLXVII., tefte Florentinio in Indice. Chartam five deperditam, five in tenebris latitantem fupplet Diploma Alexandri III. in favorem ejufdem Capituli datum Feretini per manus *Gratiani S. R. E. Subdiaconi & Notarii, IIII. Idus Augufti Indict. VIII. Incarn. Dominicæ anno* 1175., *Pontificatus vero Domni Alexandri Papæ III. anno XVI.*, verba, quibus id oftenditur, funt hæc (8): *præterea*

(8) Defumpta funt ex Diplomate Pontificis in citato Cathedralis chartulario cuftodito.

terea omnes decimas tam de possessionibus, quam de pratis infra fines Brixien. plebanatus provenientes, & omnes alias de Novalibus, quæ infra eosdem fines sunt, vel erunt in posterum, & illas specialiter de Casteneduło, & de Campania a superiori parte habita, his exceptis, quæ ab alia Ecclesia, vel Ecclesiastica persona tenentur, & quæ viri religiosi reduxerint, vel jam reduxerunt ad cultum, sicut easdem decimas bonæ memoriæ Raimundus quondam Episcopus vester rationabili vobis providentia contulit, vobis & successoribus vestris auctoritate Apostolica confirmamus.

Eo quoque nomine laudatur a Malvetio (9): *quod generosam prosapiam illorum de Martinengo antiquissimorum Civium hujus Civitatis donis eximiis dotavit.* Sed præcipuam ex eo tulit laudem, quod ab Innocentio III. legitimo Pontifice se nunquam abduci sit passus, Gregemque suum in Pontificis obedientia firmum tenuerit.

Adfuit quidem anno MCLVIII. Synodo ab Imperatore Friderico I. indictæ, atque celebratæ prope Placentiam in supra citato *Roncalea* loco. Verum nihil ibidem adversus Pontificem Ecclesiasticasque res tentatum: pax inita fuit inter Pontificem Adrianum IV. & Imperatorem, in eumque potissimum finem Synodus illa, cui Legati Pontificis quatuor intervenere, collecta fuit, ut res Italiæ præteritis bellis susque deque versæ componerentur, quod adhibita Episcoporum & Principum ope feliciter perfectum fuisse, legere licet apud Sigonium Lib. XII. de Regno Italiæ ad annum MCLVIII., unde nihil erat caussæ, cur Raymundus ei Synodo interesse recusasset. Verum cum Fridericus, nimia prolatandæ auctoritatis cupiditate incensus, dirimere tentasset controversiam Brixianorum & Bergomatium de duorum Castrorum, quæ supra

(9) Ex hac donatione rite colliges præclaram Martinengorum Familiam fuisse Brixianæ Ecclesiæ *Advocatam*, ut vocabulo eorum temporum utar. Norunt enim Eruditi, Episcopos, Abbates, Canonicos, cæterosque Ecclesiarum Rectores ad suarum rerum, Personarumque tutelam asciviſſe Advocatos Deum timentes, & in omnibus justitiam diligentes, ut præscribitur in Lege Langobardica 22. Istis, qui, ut plurimum, erant ex præcipuis Urbium Familiis, non solum privilegia Principes concedebant, sed etiam Episcopi, Capitula, aut Abbates beneficia aliqua seu feuda donabant in remunerationem laboris pro Ecclesia suscipiendi: *quæ beneficia* (inquit Muratorius cit. Dissert. 63. Antiquit. Ital., in qua mos hic fuit eruditissime pertractatus) *quo præstantiores, ac ditiores erant Ecclesiæ, uberiora etiam, & majora fuere.* Hinc Brixianam Ecclesiam olim fuisse ditissimam argumento esse possunt vel frequentes per Episcopos donationes factæ, quarum indicia supersunt in tot, licet exiguis, vectigalibus, vulgo dictis *Emfitensi*, quæ pleræque ex istis Familiis Episcopo solent pendere, sive quotannis, sive in novi Episcopi consecratione.

ſupra commemoravimus, dominio, inter ſe iterum contendentium, eum Summus Pontifex per litteras exhortatus eſt, ne in eam quæſtionem, quæ circa Eccleſiæ bona (10) verſabatur, immiſcere ſe vellet, quibus litteris acceptis, indignatus Fridericus graves ad Pontificem litteras reſcripſit, ac nomen ſuum nomini ejus præpoſuit, ſingularique eum numero appellavit. Itaque incenſus Adrianus plurimum mirari ſe ſcripſit, quod B. Petro, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ non eam, quæ decebat, adhiberet reverentiam: hinc nova cohorta inter Pontificem & Imperatorem diſſenſio, qua fervente, Raymundus noſter plurimas nactus eſt occaſiones egregiam ſuam erga Pontificiam Sedem ſignificandi fidem, & in eadem Gregem ſuum conſtanter retinendi (11). Etenim mortuo Calendis Septembris anni MCLIX. Anagniæ Adriano Pontifice, ſuffectoque Alexandro, Fridericus tueri cœpit partes Victoris, qui a duobus tantum Epiſcopis fuerat & ipſe in Romanum Pontificem conſecratus, Epiſcoporum Conventum Papiæ celebrandum indixit, cujus eſſet, judicium de legitimo Pontifice ferre. Iccirco re in diſceptationem adducta, cum probatum teſtibus eſſet, Victorem ante Alexandrum, ceu Pontificem, & veſte ornatum & cultum fuiſſe: nemoque eſſet, qui contradiceret, abſente Alexandro, ſine ulla dubitatione Victor, qui præſens aderat, legitimus Pontifex judicatur. Huic electioni obſtitit abſens Epiſcopus noſter: quemadmodum & nonnulli alii Epiſcopi obſtitere; quamobrem Fridericus gravi ira percitus vindictam juravit, & alio Concilio Laudæ celebrato anno inſequenti, a ſacris amovendos curavit Epiſcopos Innocentii fautores, Mediolanenſem, Placentinum & Brixianum (12). Et reipſa diris devotos fuiſſe,

(10) Rubeus in Pat. Hiſt. mſ. ad huncannum: *I Bergamaſchi rinnovarono le pretenſioni contra di Volpino: il Veſcovo Raimondo chieſe l' aſſiſtenza del Papa Adriano, i Bergamaſchi quella dell' Imperatore, il quale non appravando, che ſi allargaſſero i Feudi Eccleſiaſtici ſcriſſe ai Breſciani, che egli voleva eſſer arbitro: ciò diſpiacendo al Papa ſcriſſe alcune lettere acerbe, al che l' Imperatore riſpoſe acerbamente. I Breſciani ſoſtennero il Pontefice.*

(11) Ea de cauſſa Pontifex litteras dedit *dilectis Filiis Conſulibus, & univerſo populo Brixiano*, in quibus eis agit gratias pro defenſione Apoſtolicæ Sedis ſuſcepta contra Fridericum Ænobarbum. Ex Galeardo in Schedis mſſ., ubi tamen ingenue profitetur, hujuſmodi litteras ſe nulibi invenire potuiſſe. Certum eſt Fridericum anno 1158. ſuperatis Alpibus Brixiam obſidione cinxiſſe menſe Majo, & ad deditionem coegiſſe, nulla alia de cauſſa, niſi quia cum Mediolanenſibus fœdus inierat, Romanæque Eccleſiæ jura tueri parata erat.

(12) Idcirco vocantur hi Epiſcopi hoſtes Imperii ab Imperatore in Epiſtola ad Imperii ſui populos Tom. XIII. Conc. Labbè pag. 270.

fuiſſe, ſuaque Sede ejectos *irrecuperabiliter* teſtis eſt ſincronus Auctor Otto Morena (13); ſed firmus in ſua Sede Raymundus permanſit, defendente populo legitimum Paſtorem contra non legitimi Pontificis conatus.

Hujuſmodi perfunctus periculis Venetias migravit, ubi ſubſcripſit cuidam ſententiæ, quam Cardinalis Hildebrandus Alexandri Pontificis tunc apud Venetos Legatus, poſtea Summus Pontifex Gregorius VII. dictus, tulit Junio menſe anni MCLXIV. (14). Inde ſententiam tulit ſuper controverſia, quæ vertebatur inter Vinfredum Cremonenſem Epiſcopum, & Gratianum Priorem S. Jacobi de Pontida: *die Sabbati quinto intrante menſe Decembris in Civitate Brixia in Palatio Domini Ramundi ſupra Solarium S. Martini, anno MCLXX.*, quam Raymundi ſententiam Alexander III. literis Tuſculo datis II. Nonas Martias ratam habuit (15).

Summi tandem Pontificis erga ſe ſtudia cum haberet propenſa, dedit operam, ut Brixiano Epiſcopo redintegraretur privilegium ſedendi in Synodis ad dexteram Archiepiſcopi Mediolanenſis. Confirmationis epiſtolas ab Alexandro III. Pontifice datas, quas ex manuſcripto Codice Bibliothecæ Monaſterii S. Petri in Oliveto retulerat Florentinius in adverſaria (16), publici juris fecit Galeardus (17).

Cum

270. Innocentius autem Pontifex eoſdem Epiſcopos a juramento fidelitatis Imperatori præſtito abſolvit, cujus abſolutionis formulas ex vetuſto eodice mſ. Monaſterii S. Petri in Oliveto per Beroardinum Faynum deſcriptas ſe legiſſe, affirmat Galeardus loco ſupra commemorato.

(13) Morena Mediolanenſis Scriptor partibuſque Imperatorum ſavens in hiſtoria Laudenſi Tom. VI. Scripp. Ital. pag. 1091., cui conſonant Sigonius lib. 13. de Regno Italiæ pag. 759. Baronius ad annum 1161.

(14) Ejus rei monumentum ex Tabulario Nobiliſſimi Aſceterii Monialium S. Zachariæ Venetiarum mihi humaniter communicavit ſupralaudatus Jo: Brunatius, quod ſic ſe habet: *Mill. centeſimo, ſexageſimo quarto, menſe Junii indictione duodecima; Rivoalto. Nos quidem Ildebrandus S. R. E. Cardinalis, & Domini papa Alex. Legatus, dum in Venecia reſideremus, venit ante noſtram præſentiam &c. Ego Ildebrandus presb., Card. baſilica XII. Apoſtolorum ſubſcripſi; Ego Petrus Caſtell. Eccleſia Epiſcopus ſubſcripſi; Ego Raymundus Brixienſis Epiſcopus ſubſcripſi.*

(15) Eam notitiam acceptam referre debemus celeberrimo Franciſco Zachariæ, qui ex Codice mſ. Privil. Civitatis Cremonæ eam retulit in Cremonenſium Epiſcoporum ſeriem pag. 527.

(16) Exſtant in citato PP. Oratorii S. Philippi Nerii Tabulario.


(17) In notis ad Ughellum p. 544. Porro animadvertere juvat, ſuborta inter Vercellenſem & Brixianum Epiſcopum de loco ſedendi quæſtione, latum fuiſſe decretum anno 1311., ut Vercellenſis Epiſcopus miniſtraret in coronatione Regis, Brixianus vero in coronatione Reginæ. In hunc modum utriuſque partis jura componere voluit Imperator Henricus VII. in eujus coronatione, eo anno Mediolani in Eccleſia S. Ambroſii facta, certameo iſtud æſtuavit. Monumento ab Ughello in Epiſcopis Vercellenſibus producto utemur in Commentario Friderici Madii, qui Henricianæ incoronationi præſens fuit. Veterem autem Provincialium Epiſcoporum ordinem ſedendi in Synodis Mediolanenſis Provin-

Cum a Mayfredo proximo ejus Deceſſore excitatum apud Minervium Monialium Parthenon magna laboraret aquæ inopia, ſacris illis Virginibus, quarum pietatis odore univerſa Diœceſis fragrabat, ſuppetias ferens ſufficientem aquarum copiam ipſis indulſit ex flumine Balneoli, in quod ſibi jus erat, expedito Diplomate die Novembris viceſimaoctava anni milleſimi centeſimi ſexageſiminoni : quo ex Diplomate nunc primum diſcimus, Comitatum Balneoli, quo Epiſcopi noſtri fruuntur, & vetuſtiorem eſſe ſeculo XII., & a Ferlenda æque nobili ac divite muliere, utpote *Comitiſſa* titulo decorata, Brixianis Epiſcopis dono datum fuiſſe : aliquot alia ad Eccleſiaſticos illius ævi mores ſpectantia ex eodem colligi poſſunt ; iccirco ex archetypa Pergamena citati Monialium S. Pacis Archivi illud a nobis hic exhibetur :

„ Die Mercurii duodecimo exeunte menſe novēb. preſen-
„ tia horum hominum quorum nomina ſubt. Ip.. per li-
„ gnum quod in ſua tenebat manu dñs Raimundus ſce bri-
„ xienſis ecclē epūs pro mercede anime ſue ac peccatorum
„ ſuorum remiſſione ſuorumque anteceſſorum ac dñe comi-
„ tiſſe ferlende que curtum bagnoli epātui pro anima ſua
„ reliquit. inveſtivit Guberam nomine & vice dñe abatiſſe
„ carecauſe monaſterii ſce Marie de Manervio. Eo vero
„ modo fecit hanc inveſtituram & datum ut ipſa abatiſſa
„ ſueque ſuccetrices p.petualit. habeant licentiam & facultatem
„ faciendi VVaſum. & traendi aquam de flumine bagnoli
„ tantam que bene ſufficere poſſit molendinis ſuis per VVa-
„ ſum manufactum in terra illius plage vel contrate que
„ vocatur runco de menether. muniendo ac defendendo ri-
„ pas & aquam ſuis ſumtibus & ſup. ponendo pontes ubi-
„ cunque convenerit ac eos retinendo. & vias ſimiliter re-
„ tinendo & conſervando. nec aliquam plantationem in ri-
„ pis vel piſcationes in aqua faciendo infra curtem predicti
„ bagnoli. & ſi aliquod damnum ex prefata aqua infra
„ predicta curte bagnoli contigerit. in ſui amici. & epātus
„ al-

vinciæ habes in vetuſto Ordine illius Eccleſiæ ſeculo IX., aut ſaltem X. conſcripto, & edito a Muratorio T. I. P. II. Rerum Italic. pag. 2[illegible], atque ibi Epiſcopus Brixianus primus [illegible]entur in parte ſiniſtra, quem locum obtinet etiam in vetuſtiſſimo Muſivo opere in Mediolanenſi Ambroſian[illegible] Baſilica depicto apud Puricellum in Monumentis ejuſdem Eccleſiæ n. 20. & 99., quod monuimus Cap. I. Diſſertationis Proœmialis.

„ alterius laudamento . prefata dña abatiſſa reſarcire debet
„ ſine fraude. penam vero talem . ſtatuit prefatus dñus epũs
„ ut ſi ipſe vel ſui ſucceſſores contra hoc faceret querimoniam
„ in duplum componeret . & ex altera parte ſimiliter fieret.
„ & poſt penam ſolutam hoc breve perpetualiter firmum
„ permaneat in ſua firmitate. actum eſt hoc ſup. laubia Scĩ
„ Martini civitatis brixie anno dñi milleſimo . centeſimo .
„ ſexageſimo . nono . Indicione ſcdã . Ibi fuere pbr. petrus
„ prepoſitus ſcĩ petri in olivet. & pbr. magiſt. dchan. & pbr.
„ brancus de baſano . & Jõhs de ſco gervaſio . & teutaldus
„ d. virola . & boniprandus advocatus . & Girardus d. bur-
„ nado . & pregnacca teſtes



Ego Scacia Nõt intſũi . & Rogatus hoc
bũe ſcripſi .

„ ũn duo bvĩa in uno tenore ſcripta ſunt .

Conſumptus tandem curis ſive pro tuendis adverſus Fridericum I. Imperatorem Eccleſiæ Romanæ partibus : ſive pro ſtatuenda conſervandaque pace: ſive pro augendo Supremo Numini cultu , in morbum incidit Raymundus , & II. Nonas Auguſti anni MCLXXIII. ad æternam quietem migravit , ut eſt in notis noſtri Catalogi .



L X.

L X.

JOANNES EPISCOPUS

ANNO MCLXXV.

RAymundum Joannes Flumicellus Civis Brixianus eſt conſecutus. Prima ejus nominis mentio occurrit in Monumento Translationis Reliquiarum S. Calimerii martyris, quas ipſe anno MCLXXV. inventas ex humili ac parum decenti loco ædis S. Floriani in Colle Digno tranſtulit in aram S. Anathaloni ſacram (1).

Anno proxime ſequenti MCLXXVI. cum Thedaldus Epiſcopus Placentinus apud Alexandrum Pontificem de Parmenſi Epiſcopo queſtus fuiſſet, propterea quod is ratus, duas in Agro Placentino Eccleſias: alteram S. Martini *de Speculo*: alteram S. Chriſtinæ ſitam in monte, qui eſt inter Peregrinum & S. Joannem e Galla, ſui Epiſcopatus finibus contineri, eaſdem ſibi uſurpaverat: & contra Placentinus utramque ſuæ Diœceſis eſſe affirmaret; Pontifex Epiſcopum Brixiæ Joannem delegavit, ut cauſſam cognoſceret, & *ſine remedio appellationis* judicaret, qui expenſis rationibus atque Monumentis, quæ pro utraque parte afferebantur die ſecunda Octobris ſuo in Palatio Brixiano ſententiam tulit pro Epiſcopo Placentino, utpote qui eaſdem Eccleſias in Agro & Diœceſi Placentina ſitas uſque a priſcis temporibus poſſederat: Pontifex autem menſe Novembri ejuſdem anni ſententiam Joannis confirmavit (2).

Cum autem anno ſequenti MCLXXVII. Venetias conveniſſent Alexander III. Rom. Pontifex, & Fridericus Æno-bar-

(1) A Florentinio in Catalogo mſ. ſacra Calimerii Oſſa dicuntur recondita a S. Apollonio quinto Urbis noſtræ Epiſcopo in Cathedrali S. Andreæ, quam fuiſſe diximus ad exteriora pomœria ad Turris-longæ Portam: inde fuere translata ad S. Floriani Collem, ubi Cœnobium Canoniſſarum Lateranenſium S. Auguſtini florebat, in quarum æde *celeberrima Beatiſſimi Martyris Calimerii Sanctiſſima Oſſa quieſcunt*: verba ſunt Ubertini Puteoli in ea Oratione, de Laudibus Brixiæ, quam pag. 4. citavimus. Nunc vero eadem veneramur in Parochiali S. Clementis, uti dicetur in Commentario Maripetri ad annum 1459.

(2) Tabulas latæ ſententiæ ab Joanne Epiſcopo noſtro dedit Campius ex Regeſto magno Communitatis Placentiæ: confirmationis vero Pontificis Alexandri III. ex Archivo ejuſdem Civitatis par. II. Hiſtor. Placent. pag. 363.

barbus, ut Orbi Christiano pax inter Sacerdotium & Imperium restitueretur, Brixiani Scriptores ad unum, etiam Ughello suffragante, opinati sunt eo venisse Joannem una cum Alberto Gambara, qui, utpote Consul, Urbem moderabatur. Sed Acta celebris illius pacis a Scriptore quodam præsente descripta, a Cardinali de Aragonia fere ad verbum exscripta, a Baronio edita in lucem, atque inter Conciliorum collectiones relata de Episcopo Brixiæ quidpiam narrant, quod utrum in Joannem conveniat non parum dubito. Verba, quæ ad rem faciunt sunt hæc: *absoluto autem Imperatore*, inquit Pontifex, *sequaces quoque ejus intrusi* (3) *& schismatici ad sinum matris Ecclesiæ catervatim confluentes absolvi humiliter postulantes refutarunt, & anathematizarunt abjurantes super sancta Evangelia omnem hæresim .... fidelitatem quoque & obedientiam Domino suo Papæ Alexandro, ejusque Successoribus catholicis promittentes reconciliati sunt, & unitati Ecclesiæ aggregati, de quorum numero famosiores ducimus nominandos....Placentinum, Brixiensem, Novariensem*. Ex quibus plane conficitur, Episcopum Brixiæ Imperatoris partes sequutum, atque iis censurarum vinculis constrictum fuisse, quæ in Fridericum ejusque fautores a Rom. Pontifice latæ fuerant. Sed nullo modo adduci possum ut credam, Joannem Flumicellum esse illum Brixiæ Episcopum, qui ab Imperatore steterat. Idque duas ob caussas, quæ ex illius ætatis Monumentis eruuntur, ut silentio prætercam boni nominis famam, quam ipse apud Brixianos ad nostra usque tempora tenuit. Prima eruitur ex Monumentis Societatis Lombardicæ, quæ Brixiam Urbem enumerant inter eas, quæ cum Alexandro III. Rom. Pontifice fœdus adversus Imperatorem pepigerant: & docent, Brixianos, antequam concordia Venetiis iniretur, postulasse, ut nonnulla ab Imperatore sibi darentur. Jam vero quis sibi persuadeat, Flumicellum, qui paullo ante pacem Venetam electus fuerat a Civibus in Episcopum, gubernasse sine interpellatione & querimonia Ecclesiam Brixianam, cujus Populus jam ab anno MCLX. contra Imperatorem arma sumpserat, si Imperatori

(3) In epistola Alexandri III. data Rogerio Eboracensi aliisque Episcopis, qua illos reddit certiores de pace cum Imperatore Venetiis composita. Baronius, ad annum 1171, Cardinalis de Aragonia in Vitis Pontificum Tom. III. Rer. Italic. Par. I. pag. 472., & Labbè Tom. XIII. Concil. pag. 391.

tori faviſſet? Altera vero deducitur ex eo quod, ut modo retulimus, Pontifex noſtrum Joannem, paullo ante Venetam pacem, ſequeſtrem elegit inter Epiſcopos Parmenſem & Placentinum, quod profectò nequaquam feciſſet, ſi illum, ut Imperatori faventem, membrum ab Eccleſiæ corpore præciſum judicaſſet. Unde plane conficitur, Friderici caſtra ſecutum non fuiſſe, niſi velis eum adeo dementem, ut a præclaro Raymundi ſui Deceſſoris exemplo deflectens brevi illo paucorum menſium intervallo, quod duorum Epiſcoporum ejus induſtria initam concordiam, atque generalem pacem interceſſit, a Societate Longobardica, quæ in dies corroborabatur, ad jam collapſas & prope depoſitas Imperatoris partes deſciverit. Præterea nonnulla ſunt in Jus Canonicum relata Alexandri ad hunc Epiſcopum reſponſa (4). Quamobrem certo certius puto, Epiſcopum Brixiæ in iis Actis commemoratum non eſſe Joannem, ſed alium ſchiſmaticum quemdam, qui ab Imperatore in hanc Sedem intruſus Epiſcopus, & ab Epiſcopis ſchiſmaticis conſecratus fuerat. Atque in eam propendo ſententiam, fuiſſe quemdam Gryphum de Luſinis Vallis Camuniæ, qui referente Fayno ab aliquibus inter noſtros hujus temporis Epiſcopos commemoratur, in catalogis autem prætermittitur. Quod veriſimile redditur conſtanti traditione apud gentes Luſini oppidi Vallis Camuniæ haud incelebris, ubi prædia quædam hodierna quoque die appellantur vulgari nomine *del Veſcovo*, & Epiſcopali menſæ vectigal quotannis illud oppidum perſolvit, *quod fuerunt in bonis Rmi Domni Joannis de Gryphis de Luſeno Epiſcopi Brixiæ anno* 1182., ut vidi in manuſcripto haud recenti aſſervato a quadam dicti oppidi ruſtica familia. Accedit etiam, familiam de Gryphis cum opum ubertate, tum nominis gloria ea in regione ſemper viguiſſe teſte Gregorio Vallis Camuniæ colloquio tertio.

Hoc anno MCLXXVIII. definienda emerſit controverſia inter Lanfrancum Archipresbyterum Plebis de Ello ex una parte, & Oprandum reliquoſque Patronos Oratorii ſive *Capellæ* S. Nicolai ſiti intra ejuſdem loci Caſtrum ex altera; controverſiam accepto ab utraque parte *compromiſſo* ſedavit

(4) Alexander III. cap. 5. de Reſtit. Spol. cap. 13. de Decimis, cap. 7. de Converſ. conjugat., cap. tuæ de Sponſal. & Matrim.

vit Joannes *anno Domini millesimo centesimo septuagesimo octavo, Indictione undecima, die Mercurii XIII. intrante Mense Septembris*, in eas conditiones, *ut Fratres prædictæ Capellæ eligant sibi Confratres: in electione vero Sacerdotis habeant consilium Patronorum, electionem autem ipsorum Dominus Episcopus confirmet &c.* Sed integrum compositionis Monumentum ex pergamena apographa nobis officiose communicata a Rmo P. Ludovico Luchio Abbate Benedictino alias a nobis laudato præstat hic vulgare, cum aliquid exhibeat ad Brixianæ Ecclesiasticæ Historiæ elucidationem haud inutile.

„ In Christi nomine. anno dñi millesimo centesimo septua-
„ gesimo octavo Indictione undecima Die Mercurij XIII.
„ intrante Mense Septembris in presentia clericorum & lai-
„ corum quorum nomina inferius scripta sunt. Controver-
„ sia que vertebatur inter plebem de Ello & Capellam San-
„ cti Nicholai sitam in spaldo castri Elli per dnūm Johan-
„ nem dei gratia Brixiensem epūm sub quo predicta con-
„ troversia erat Archipresbytero lafranco ibi presente atque
„ vice illius plebis & suorum fratrum qui modo sunt vel
„ pro tempore fuerint in ipsa plebe iam dictam causam sive
„ controversiam in prefatum dñum epūm sine tenore remit-
„ tente seu compromittente atque Wastavino fratre plebis
„ ibi presente & se ratum habere dicente necnon & Domi-
„ nico officiale atque iam dicte Capelle sancti Nicholai &
„ presbyteri pōtti ibi degente ut ipse dicebat nuncio simili-
„ ter vice ipsius ecclesie Castri Elli eodem modo ut & pre-
„ dictus Archipresbyter & dictum est de illa controversia
„ sine tenore in prefatum dñum epūm remittente pro se &
„ fratribus suis presentibus vel futuris in iam dicta Capel-
„ la: Presentibus etiam dñis de Ello Patronis iam dicte
„ Capelle Elli scilicet dño Oprando atque Ugo sagitte &
„ dño Ottebello atque Peregrino q.m dñi Dominici omnibus
„ suum verbum accomodantibus atque assensum tribuenti-
„ bus: taliter per transactionem decisa est ac terminata.
„ In primis precepit prefatus dñus epūs ut fratres predicte
„ capelle eligant sibi confratres: In electione vero Sacerdo-
„ tis habeant conscilium patronorum electionem autem ipso-
„ rum dñus epūs confirmet. Si fratres in capella non ad-

„ sunt ad postulationem Patronorum dñus epũs instituat si-
„ ne conscilio plebis . Ad hordines vero per nuncios plebis
„ fratres predicte capelle representententur ita quod per octo
„ dies si per plebem ordinando certa culpa obiecta non fue-
„ rit sine contradictione plebis hordinetur. Capella obedien-
„ tias & alias dathias per se tribuat . In purificatione san-
„ cte Marie & in capite ieiunij in dominica de palmis Ar-
„ chipresbyter cum fratribus ad capellam pro benedictioni-
„ bus faciendis pergant dñis existentibus Elli ; & fratres
„ capelle cum Plebanis solemniter cum cruce ad plebem
„ conveniant ut ibi missam celebrent . In capite ieiunij ad
„ capitulum : in sabbato sancto ad baptisterium secundum
„ solitum morem veniant ; & in letanijs gregorianis & in
„ tribus diebus rogationum similiter faciant. In festo sancti
„ Nicholai ad missarum solempnia celebranda Archipresby-
„ ter vocetur : ad electionem celebrandam Archipresby-
„ teri fratres predicte capelle cum ceteris conveniant . In
„ alijs omnibus capellam liberam esse volumus ; Et de hoc
„ quamplura scripta uno tenore rogata sunt fieri . Actum
„ est hoc in presentia dñi Johannis de palacio archidiaconi
„ in palacio ẽpi sancti Martini . Interfuere Brixianus de
„ sancto georgio & Natholus de gavardo & presbyter quon-
„ dam sancti laurentij & Ugo taxoni causidicus & guithot-
„ tus de gavardo & discaciatus ẽpi & avostinus & quam-
„ plures alij testes rogati .

„ Ego lafrancus cui licet publica conficere Instrumenta
„ interfui & huius predicte cause decisionem ut supra di-
„ ctum est Precepto dñi Johannis ẽpi scripsi ; & ipsius pre-
„ ceptum ut supra continetur in scriptis datum ac explica-
„ tum Publicavi Perpetuavi & in publicam formam redegi
„ & subscripsi .

Anno sequenti MCLXXIX. Romam petiit , ut interesset Concilio Generali III. Lateranensi ab eodem Alexandro coacto , ut , sedatis inita jam pace tempestatum fluctibus ab anno MCLIX. subortis , Ecclesiæ rebus consuleret , & caussa Petri Lombardi , accusati de nonnullis pravis opinionibus , diju-

dijudicaretur: Decreta ibidem ſtatuta ſuamet manu comprobavit (5).

Teſtis appellatur donationis plurium bonorum, quæ ſæpe laudato Monialium S. Juliæ Cœnobio Fridericus Imperator anno MCLXXXV. conceſſit (6). Ineunte autem anno ſequenti MCLXXXVI. Henricum Friderici filium natu majorem, atque Italiæ Regem, Mediolanum petentem hoſpitio excepit, omnibuſque comitatis & humanitatis officiis percoluit (7). Quamvis Rubeus in citata Hiſtoria mſ. ad annum MCLXXXVI. id affirmans, nullum, ut ei eſt in more, citet Monumentum; nihilominus eidem conciliat fidem, cum univerſalis Henrici hiſtoria, tum citata Chronica mſ. Bononienſis, quæ ſic ſe habet: *M.C.LXXXVI. Rex Henricus Briſiam venit de Menſe Januario*.

At annus MCLXXXVII. fuit Joanni valde incommodus propter corpora SS. Martyrum Fauſtini & Jovitæ, Urbis hujuſce Tutorum. Parochiani quippe Eccleſiæ S. Aphræ ad ſanguinem, proximi Portæ Matolfæ, hodie *Torlonga*, in ſuo ipſorum Templo adhuc jacere putantes, ſacram ſibi Urnam vindicarunt: ipſiſque ſeſe fidenter oppoſuere Monachi Benedictini degentes in Cœnobio a Ramperto conſtituto, unave ſaltem aucto cum Eccleſia de nomine SS. Fauſtini majoris & Jovitæ dicta, quibus fixum erat, illuc Rampertum, ut in ejus Commentario dictum eſt, e Templo S. Mariæ in Sylva, eadem magnifice tranſtuliſſe; ex eoque noſtrum ad uſque tempus, recocta identidem contentio, quæ tamen *Fauſtinianæ Baſilicæ* (Emi Quirini verba (8) in contentio-

(5) Tom. XIII. Concil. Labbè pag. 415. & Tom. II. Supplementor. P. Manſi pag. 698., ubi hæc ejus ſubſcriptio eſt inter Epiſcopos Provinciæ Mediolanenſis: *Joannes Briciensis Epiſcopus*. Fortunatus Ulmus par. II. pag. 37. Hiſtor. Alexandri III. nonnullas addit citati itineris circumſtantias; quarum fides ſit penes auctorem haud magni nominis.

(6) Patet cum ex Conſtitutione 203. pag. 206. Bullarii Caſinenſis Margarini: tum ex Diplomate donationis, quod ex Chartulario Monaſterii Benedictini S. Proſperi Reghienſis protulit citatus Camillus Affaroſi Par. I. pag. 168. notitiarum illius Monaſterii; ubi animadvertenda chronica Monumenti nota, quæ ſic ſe habet: *Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Mill. Centeſ. XXX. Indict. III. regnante Domno Federico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo: anno Regni ejus XXXIII. Imperii vero XXXI.* Sed ut omnes ex notæ chronicæ ſibi cohæreant, legendum eſt M. C. LXXXV. Error in textum Affaroſi illapſus opportune animadverſus fuit in elencho errorum corrigendorum citati Operis.

(7) Rubeus in Hiſt. mſ. ad ann. 1186. habet: *Mentre Enrico andava a Milano per celebrar le nozze, paſsò per Breſcia, e fù ricevuto dal Veſcovo con grand' onore*.

(8) Ex Epiſt. ad Rmum Abbatem Benaleam, in qua rei diſerte atteſtatur his verbis: *in eo ipſo Fauſtiniano Cœnobio, ubi Sancta eorumdem Patronorum corpora requieſcunt &c.*

tionem præsenti haud dissimilem, meminisse juvat) *possessionem non turbat*: neque privatam, publicamque, eamque vetustissimam Brixiani populi religionem, Tutores suos venerandi caussa, ad eamdem Basilicam confluentis. Hic ne extra chorum (ut ajunt) saltemus, missis rationibus utrinque prolatis, facta tantum recensere præstat ad Episcopum nostrum spectantia, ex quadam vetusta charta (9), nec non ex aliis antiquis Monumentis (10) deprompta.

Anno igitur MCLXXXVII. Clerici, proximique Templo S. Aphræ petiere ab Episcopo (qui ab Urbe, Imperatoris Ecclesiæ sinui restituti fortasse socius, aberat) ut quædam SS. Martyrum corpora, quæ SS. Faustini & Jovitæ facile arbitrabantur, venerabiliori collocari loco, publicoque cultui sineret exponi. Venia impetrata, posteaquam Episcopus ad Urbem rediit, Augusti mense opus inchoarunt: solo Aræ majoris defosso, visa est Arca marmorea, qua ab Episcopo, qui eo quampluribus Sacerdotibus laicisque stipatus accurrerat, retecta, inventa fuere duo corpora mirabiliter sita, multis cooperta paviis (11), superque candidam marmoream tabulam in altitudinem modicam e fundo allevatam porrecta. Antistes corpora collegit, at nullis codicibus aliove signo, qui nominarentur, agnovit, postea excessit. Parochiani vero diligenter scrutati edidere, se tabulam marmoream sub ejusdem Arcæ capite invenisse, duos inter lapides abditam, hæcque continentem (12): *Faustino & Jovitæ Christi Martyribus Victor Maurus ex voto posuit mensam Civibus suis*. Hoc audito ad S. Aphræ Joannes rediit, tituloque, quem detexerant, viso, Sacerdos quidam nomine Ambrosius ex S. Andrea e loco sublimi, Episcopo fortasse annuente, illum legit: eaque esse SS. Martyrum Faustini & Jovitæ corpora citra controversiam affirmavit. Episcopus deinde Aram templi principem, in qua duo Sanctorum corpora abdita erant, perrupit, eaque transferri jussit; eamdemque in arcam reperta duo corpora duobus aliis conjuncta simul reponi. Dum ne-

(9) Ex Archivo S. Faustini majoris edita est a Fayno Par. III. pag. 51. Vitæ SS. Faustini & Jovitæ; signata est anno 1187.

(10) Ex eodem Archivo protulit Fayn. loc. cit.

(11) Ecclesiastico vocabulo dicuntur *Brandea*, *sudaria*, *oraria*, *palla serica*, & *lintea*. Quid mihi de illis videatur, aperiam in Commentario de Alberto.

(12) Hoc marmor Ambrosius Geroldi Civis Brix. docto admodum scripto, Brixiæ anno 1688. impresso, illustravit; atque in idem eruditam vidi ms. elucubrationem Burgundii, quem Præfationis num. XI. laudavimus.

necessaria parantur, Episcopusque ad opus absolvendum redit: Abbas S. Faustini, magna hominum caterva comitante, vulgato rumore, minax insurrexit, atque ad Romanum Pontificem provocavit. Joannes usque ad mensis exitum supersedit, at Calendis Septembris ad illud Templum rediit, duosque in Arca martyres collocavit: Faustinum scilicet ad Septemtrionem: Jovitamque ad Meridiem; in ipsaque capsam duorum Sanctorum in Ara antea jacentium corpora complectentem posuit, quæ cum tabula, de qua mentionem fecimus, in ea Arca includuntur. Idem deinceps, etsi cum ingenti devotione & constantia isthæc perfecisset, tamen dixit: quia nolebat scandalum provocare; & ideo neque dicebat, illos esse Martyres Faustinum & Jovitam: vel quod non essent. Hactenus pergamena, ad rem nostram quod pertinet.

At cum Monachis S. Faustini dubia Joannis agendi ratio minime arrideret, appellationem prosequuti sunt, cujus ergo ad Urbanum III. Veronæ tunc existentem Episcopus accedere debuit: suamque utraque pars in Pontificis plurimorumque Cardinalium conventu caussam habuit. Faynus loc. cit. Pontificis Diploma refert, quod Monachis Benedictinis favens, Joannis nostri existimationem haud parum lædit. Hanc præfert Diploma notam chronicam: XII. Cal. Octob. MCLXXXVII.

Ut autem Joannes Urbi Monachisque Benedictinis argumentum præberet, se in ea esse opinione, hosce Sanctos in S. Faustini majoris contineri, impetravit a Petro S. Luciæ Cardinali, tunc Mediolani Apostolici Legati munus obeunte, ut Urbis ac Diœcesis Clerus divinis officiis annuam celebraret illius diei memoriam, quo commemorata duorum Martyrum corpora anno DCCCXLVIII. Rampertus Episcopus transtulit. Eique concessioni adjecit Legatus exhortationem ad Canonicos & Clerum, ad quos Diploma directum est, ut enixe Civium animos excitarent, ut quotannis in Ecclesia S. Faustini majoris SS. Martyrum Sepulcrum illa die, quam perpetuo jussit sacram fore, venerarentur (13).

Episcopus etiam, ut Sepulcrum illa die frequenter adeundi

(13) Apud Fayn. in cit. SS. Faust. & Jov. Vita Par. III. pag. 17. In autographo ex Archivo S. Faustini majoris dato a laudato Doneda in calce suorum Opusculorum ad eam controversiam spectantium, habetur *Datum Mediolani. M C. octuagesimo VIIII. die lune XV. Kal. Augusti*: sed legendum XVI. Doneda auctore pag. 10. Epistolæ IV.

di Civibus stimulos subjiceret, Indulgentiam seu noxarum veniam, quam Rampertus translationis anniversario die dicitur concessisse, renovavit. Quæ indulgentia cum a Ramperto, tum a Joanne concessa, quonam pacto illorum temporum disciplinæ conveniat, illis, quorum interest, relinquimus inquirendum. Ea occasione reperta sunt ossa alterius Faustini Urbis nostræ Episcopi, quæ Joannes nobiliori loco, in ara scilicet majori, recondi fecit. Florentinius in Indice edito eam rem figit in annum MCVII.: at errore probabiliter typothetæ, qui non sine aliqua nostra inconsiderantia irrepsit & in nostrum de S. hoc Episcopo commentarium pag. 33. quippe omnino legendum MCLXXXVII.

Salebroso hoc perfunctus negotio ad Cœnobium Monialium Minervii, quod ante paucos annos a Mayfredo ejus Prædecessore fundatum diximus pag. 209., animum convertens, utpote quod eximium pietatis odorem quaquaversum emittebat, amplissimo privilegio illud confirmavit cumulavitque: sibi tamen suisque successoribus Ecclesiæ regimen & ordinationem reservavit, imposito Monialibus, canone juxta illius ævi consuetudinem, solvendi Episcopis duas quotannis ceræ libras. Diploma signatum est *anno In: D. N. J. C. millesimo centesimo octuagesimo octavo Ind. VI.* Autographum, cereo pendente sigillo, quod Episcopi imaginem præfefert, asservatur in citati Parthenonis Archivo, quod laudavimus in Mayfredo loc. cit. Integrum legere typis impressum non ingratum erit eruditis Viris.

„ Jo: divina dignatione Brixien. Epūs. Dilectis in Xpō filiab; Zacharie abbatisse, eiusque Sororib; Monasterij Scē Marie siti in territorio Curtis Minervij. tam psentib; quam futuris regularem vitam ducentib; ibi figere desiderium ubi habitat Summum bonum. Offitij nostri nos hortat. auctoritas pro Ecclesiar.ᵐ statu satagere, & earum utilitati & quieti salubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque & honestati conveniens esse cognoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus eas a pravorum hominum nequitia tueamur. Atque sub gremio nostre protectionis confovere curemus. Proinde dilecte in Xpō filie vestris rationabilib; postulationibus clementer annuimus & predicti Monasterij Ecclesiam in qua ad honorem Dei

„ con-

„ congregate estis nostre confirmañis & auctoritatis privilegio
„ duximus communiendam, & sicut in privilegio Epī Mai-
„ fredi beate memorie predecessoris ñri continetur, ut quas-
„ cumq; possessiones, quęcumq; bona eadem Ecclīa inpresen-
„ tiarum iuste & legiptime possidetis, veluti tredecim iuge-
„ ra terrę & tertia parte unius iugeris ex parte aratorie &
„ ex parte nemorose quę iacet circa ipsam Ecclīam, vel si
„ in ipsa curte de cetero adquirere potuerint, usum quoque
„ & ius buscandi, pascendi & eorum quę necessaria sunt in
„ curte Minervij que omnia Bucassius, Lanfrancus, & Opran-
„ dus refutaverunt iam dicto beate memorie Epō. M. Si quid
„ de supradicta terra ad eos pertinebat. His videlicet testi-
„ bus presentibus Ugicione de Martinengo, Alberto Consa-
„ nonerio. Milone de Lavello longo. Milone filio Ugonis,
„ Raterio de Carzia. Wazone filio Wazonis. Aldefredo de
„ Minervio. Ottone Mazochio. Ottone de Mella, & alijs
„ pluribus, nec non decimas tam animalium quam omnium
„ de quibus decime reddi solent, & cuncta que in futuro
„ concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum
„ oblatione fidelium seu alijs iustis modis poterit adipisci su-
„ pradicte Ecclesie libere & absque ulla conditione in funda-
„ tione & edificatione supradictus Domnus Epūs donavit &
„ concessit predicta universa vobis filie in ipsa Ecclesia firma
„ & illibata de auct.e ñra permaneant excepto quod annua-
„ tim duas libras cere nobis ñrisque Successoribus persolve-
„ re debet. Porro regimen prefate Ecclesie & ordinationem
„ in omnibus nobis, ñrisque Successoribus reservamus. De-
„ cernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam
„ Ecclīam temere perturbare aut ei possessiones auferre vel
„ ablatas retinere minuere seu quibuslibet molestijs fatigare.
„ Sed omnia integra conserventur earum pro quarum guber-
„ nat.e & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis pro-
„ futura. Salva nimirum Canonica iustitia & reverentia
„ Brixien. Epī. Si qua ergo in futurum Eccl.ca Secularisve
„ persona hanc ñre confirmationis paginam sciens contra eam
„ venire temptaverit secundo tertiove commonita nisi reatum
„ suum congrua satisfact.e correxerit potestatis honorisve sui
„ dignitate careat reamque se divino iuditio existere de per-
„ petrata iniquitate cognoscat, & a Sanctiss.o Corpore ac San-

" guine Dei & Dñi ñri Redemptoris Jesu Xpĩ aliena fiat at-
" que in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cun-
" ctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Dñi
" ñri Jesu Xpĩ, quatenus & hic fructum bone actionis per-
" cipiant & apud districtum Judicem premia eterne pacis in-
" veniant. Amen.

" Actum est hoc confirmationis privilegium anno Dñi Nrĩ
" Jesu Xpĩ Incarnationis Mill. Centesimo. Octuãg. Octavo.
" Indict. Sexta

" ✠ Ego Jõhs Brixien. Epũs
" hoc fieri iussi & subscripsi.
" ✠ Ego Teutaldus Maioris
" Ecclesię Archipbr. approba-
" vi & ff.
" ✠ Ego Magist. Matri. Ma-
" ioris Ecclesię Psbĩt. laudavi
" & ff.
" ✠ Ego Presbit. Maurus Ec-
" clesie Maioris approbavi & ff.
" ✠ Ego VVastavinus Maio-
" ris Ecclesie Presbit. legi &
" me ff.
" ✠ Ego Jõhs Brixiens. Ecclę.
" Archidiac. approbavi & me ff.
" ✠ Ego Magist. Macẽll. iam
" dictę Ecclię. Diac. approba-
" vi & me ff.

" ✠ Ego Magist. Pedãz. Bri-
" xiens. Ecclię Diac. approba-
" vi & me ff.
" ✠ Ego Jõhs Brixiens. Ecclĩe
" Vicedñs legi & ff.
" ✠ Ego Magist. Albertus
" de Palatio Brixiens. Ecclĩę
" Canonic. laudavi & ff.
" ✠ Ego Magist. Albert. Le-
" capest. Brixiens. Ecclĩę Ca-
" nonic. legi & ff.
" ✠ Ego Magist. Albertonus
" Brixiens. Ecclię Canonic.
" approbavi & me ff.
" ✠ Ego Peregrinus Brixiens.
" Ecclię Canonicus legi &
" consensum huic privilegio
" prebui & ff.

Privilegia quoque a suis Prædecessoribus Ecclesiæ S. Petri in Oliveto concessa fertur confirmasse. Imperatorem Henricum Neapolitanos fines invadentem, sunt qui putant fuisse prosecutum, quod iter si Monumentis inniteretur, referendum esset non ad annum MCXCI., uti placuit Florentinio in Catalogo, sed ad annum MCXCIV., quo Henricus mense Augusto cum Genuensium ornatissima classe e portu Genuæ solvit: atque assumptis in itinere Pisanorum triremibus, Cajetam appulit, qua sine certamine in deditionem acce-

accepta , Neapolim inde processit , statimque Neapolitani se imperata Henrici facturos spopondere (14) .

Tandem in fundatione Castri S. Georgii duodevicesimo ab Urbe milliario dissiti , quod nunc Urceæ novæ vocatur, primum posuit lapidem , teste Florentinio in Catalogo , quod tamen a Malvetio est prætermissum , licet Castri inædificationem , atque hujus Episcopi laudabilem mentionem fecerit ad annum MCXCIII. hisce verbis (15) *: ipso anno* (MCXCIII.) *conditum fuit oppidum S. Georgii , quod Urceas novas appellamus ; illis in diebus regebat Brixianam Ecclesiam Ven. Civis noster , & Præsul honorandus D. Joannes de Flumesello .*

Eodem anno Canonicis Regularibus in ditione Montis-clari Monasterium habentibus attribuit decumas , quas ex Valle Lugana ad occidentalem Benacensis lacus oram posita Brixiani Episcopi Mensa exigebat , ut colligitur ex privilegio Callixti III. dato anno MCXCIV. Morsano Præposito S. Georgii Territorii de Monte-claro in monte , qui *Medianus* dicitur , *& Fratribus tam præsentibus , quam futuris Canonicam vitam professis* (16) .

Cum hic Episcopus contenderet jus sibi esse in Ecclesias earumque census de Gambara , de Fontanella , de Carzacho , de Cubiado , contradicente Abbate Monasterii Leonensis , qui ad suos Monachos ea pertinere affirmabat ; factum est *compromissum* anno MCXCV, ab Joanne , & Gunthero Monasterii Abbate in Gerardum Præpositum Ecclesiæ S. Alexandri Urbis , atque in Gerardum de Pavono . Integrum *compromissi* Monumentum ex apographo pergameno satis vetusto , a laudato Luchio humaniter nobis communicato , ingratum non erit Lectoribus in lucem hic productum accipere .

„ In Christi nomine . Anno eius millesimo . centesimo no-

„ na-

(14) Hujus Henriciani itineris historiam habent Sigonius , & Muratorius in Annalibus ad annum 1194. Tom. VII. pag. 83. Rubeus autem addit , id itineris ab Episcopo nostro fuisse susceptum jussu Cælestini III. Pontificis.

(15) Loc. cit. pag. 890.

(16) Apud Pennotum in Hist. Cl. Lateran. pag. 611. Ex hoc Monumento probabilis conjectura esse potest , eousque Episc. Brixiani æque sacrum ac lucrosum jus porrectum fuisse , unde Galeardi opinio in libello : *delli antichi Cenomani* , confirmatur , latius olim ac nunc sunt Brixianorum limites patuisse , quod uberiori calamo adversus Scipionem Maffejum in citata Epistola Romæ cusa ostendere conati sumus .

„ nagesimo quinto. Indict. Tertiadecima. Cum Dompnus „ Gonterius Dei gratia Leonensis Monasterii Abbas adversus „ Dñum Joannem Epm̃ Brisien. causam promovisset super „ Ecclesiis de Gambara, de Fontanella, de Carzacho, de „ Ramethello, & S. Benedicti de Buzolano, & etiam su„ per ecclesiis dę Cubiado, quas dicebat iuris Leonensis „ Monasterii fore, ipso Epō resistente, qui iura Episcopa„ lia in Leonensi Abatia dicebat ad se pertinere pre.[to] Aba„ te contradicente. Ad id processum est., ut utraque pars „ litem motam super causis, quæ inter eos agebantur, sub „ D. Gerardo Pręposito Ecclesię S.[ti] Alexandri Civitatis Bri„ xię, & D. Gerardo de Paono compromitteret. Quorum „ vice, & eorum pręcepto Ego Ambrosius Vitti Notarius „ Testes a partibus productos super prędictis causis, & va„ riis capitulis recepi, & prout ab ore testium sine fraude „ & bona mente didici in originali scriptura conscripsi, ac „ de ipsa origine huius authentici formam exemplavi sine „ vitio mutationis, vel alicuius dolosę corruptionis, sed „ sanum textum observando in hac pagina, & aliis pluri„ bus tali modo descripsi.

„ Presbiter Albertus de Ostiano.... Interrogatus si hoc „ fuit tempore scismatis. Rł. non..... Interr. Rł. quod vidit „ D. Johēm Epūm Brisien. consecrare Ecclesiam S.[ti] Donini „ de Fontanella, & vidit Epūm Cremonen. mandato Bri„ sien. Epī ipsa die consecrare Ecclīam S.[ti] Bartholomei de „ Fontanella....

„ Presbiter Albertus Ecclię S.[ti] Petri de Gotenengo....

„ Item dicit quod affuit in Ecclīā S.[ti] Benedicti XLI. an„ ni sunt & plus ubi presente Dño Eugenio PP. Obizo de „ Gambara fuit factus Clericus a Dño Cumano Epō in Ec„ clīa de Gambara....

„ Item dicit quod combusto loco Gambarę pro Werra „ Cremonensi...

„ Bertarinus de Gambara.... Interrogatus si fama est loco „ Gambarę quod Curtis Gambarę sit allodium S. Benedicti „ de Leno. Rł. se ab antiquis hominibus illius loci audivis„ se quod Comes Zuppo dedit Curtem Gambarę cum Ec-

„ cle-

„ clesiis S. Mariç, & S.ti Petri, & omnibus honoribus sicut
„ in se habebat Monasterio S.ti Benedicti.

Judicum sententiam invenire non potuimus: ejus loco subnectimus ineditam Chartam ab eodem Luchio acceptam, ex qua liquet, ut minimum, in Clericos Gambaræ omne jus fuisse Episcopo adjudicatum: namque statuit Episcopus, ut Ecclesia B. Mariæ de Gambara contenta sit octonario Fratrum numero, nisi forte facultates *in tantum excreverint, ut plures quam octo ibidem decenter valeant procurari*. Temporum injuria chronicæ notæ evanuere: ideoque solum conjectando, eam nos collocamus post exactum prædictum judicium. Insuper non videtur autographa, satis tamen vetusta est, & sic se habet:

„ Johannes Dei gratia brixiensis Epūs dilectis filiis Ugoni,
„ & Arnelboldo presbiteris ecclīe S. Marie de gambara, &
„ ceteris fratribus ejusdem ecclīe salutem & benedictionem.
„ Quamquam universis tpōribus ecclīarum n̄ro regimini com-
„ missarum provectis intendere debeamus. hoc tñ tpōre at-
„ tentius earum provisioni invigilare oportet. Quando & di-
„ verse negotiorum species se ingerunt importune. & ad in-
„ stantiam petentium in ecclīis personatum pro multitudine
„ vix respondere valeamus. Ea propter dilecti in dño filii ũris
„ justissimis postulationibus gratissimum impertientes assen-
„ sum. exquisitis diligentissime ac ponderatis ecclīe ũris fa-
„ cultatibus de consilio maturiore atque fratrum n̄rorum con-
„ sensu decernimus, & constituimus. ut prefata ecclīa beate
„ Marie semper virginis de gambara. in qua divinis dño offi-
„ tiis deservitis octonario fratrum numero amodo sit conten-
„ ta, nec liceat nobis neque alicui de successoribus n̄ris. vos
„ qui nunc superestis aut ũros successores ullo modo compel-
„ lere. ut plusquam octo fratres ulterius habeatis. nisi forte
„ quod utinam fiat prefate ecclesie ũre facultates in tantum
„ excreverint. ut plures quam octo ibidem decenter valeant
„ procurari. aut etiam quod absit defitientibus Sacerdotibus si
„ nullus ibidem sit de fratribus qui velit aut de canonum ces-
„ sione possit Sacerdotalem recipere ordinem. Tunc enim id-
„ circo nobis aut Successoribus n̄ris ultra statutum progredi
„ nu-

„ numerum licere volumus . quia non poteſt tam nobilis ec-
„ clīa decenter cum populo ſine presbitero gubernare. Nulli
„ ergo omnino hominum ñre ditioni ſubditorum aut eciam
„ ſucceſſorum ñrorum liceat hanc ñre conſtitutionis ſive de-
„ creti paginam infringere. aut eius auſu temerario contraire.
„ ſet omnia ſicut per nos pietatis intuitu ſunt conſtituta illi-
„ bata imperpetuum perſeverent. Salvo tamen iuſſu & vo-
„ luntate Superiorum ñrorum qui nos vocaverunt in parte ſo-
„ licitudinis non in plenitudine poteſtatis. Siquis autem ñre
„ ditioni ſubiectus aliquid contra hoc temere atemptare pre-
„ ſumpſerit indignationem omnipotentis dei ac omnium San-
„ ctorum eius. ſimulque ñrarum maledictionem ſe noverit in-
„ curſurum.

Nec minori luce enituit amor, quo in Cathedralis Capitulum ferebatur: illud enim adjuvit apud R. P. Urbanum III. Veronæ tunc ſubſiſtentem, ut Privilegiorum confirmationem conſequeretur, quam confirmationem (17) conceſſit ſummus Hierarcha Diplomate ſignato Veronæ anno MCLXXXVI.(18) Hujus tandem Epiſcopi obitum figimus in annum MCXCV. Ita teſtantur Auctor adnotatorum ad catalogum noſtrum, & Bononienſis Chronica; in hæc verba: *Anno M.C.LXXXXV. die Veneris intrante Novem. Joannes de Flumicello Epiſcopus Briſſiæ ad Pallazolum mortuus eſt*. Adnotator vero catalogi habet etiam; *IV. Idus Novembris*, quæ verba noſtram computationem confirmant, nam decima Novembris dies, anni 1195. utique incidit in diem Veneris. Hinc falli evincitur recentiores Brixianos, & Ughellum ipſum, tardius, nempe anno MCXCVII., Flumicellum obiiſſe affirmantes. Eadem ex Chronica diſcimus, *Pallatioli* ipſum eſſe mortuum, cujus rei nulla apud alios Scriptores mentio eſt; qui tamen ſcribunt, Joannem de Palatio proximum Succeſſorem Palatioli obiiſſe; unde facile conjici poteſt, id eos notaſſe de Joanne de Palatio, quod adnotandum erat de Joanne Flumicello; uti ex citata Chronica, cui plane fidendum eſt, diſcimus. Quo ex loco Brixiam cadaver poſtea translatum, atque in S. Pe-

tri

(17) Autographum cuſtoditur in citato Cathedralis Archivo. In lucem proferre ſupervacaneum exiſtimamus, utpote quod omnino conveniat cum illo Alexandri III. paullo ante a nobis vulgato.

(18) In hoc Epiſcopo deſinit noſtri Catalogi prima pars, de qua videri poteſt quartum Differt. procemialis Caput.

tri majoris tumulatum in Raymundi ſepulcro; teſte ſupracitato Adnotatore noſtri catalogi, cujus hæc ſunt verba: *Joannes Epiſcopus jacet in Eccleſia S. Petri majoris in uno ſepulchro cum Raymundo Epō, qui migravit ex hoc ſeculo quarto idus novembris A. M.C.XC.V.*

LXI.
JOANNES EPISCOPUS
ANNO MCXCV.

JOanni Flumicello ſuffectum fuiſſe Joannem Pedroccam, eſt affirmatum a nonnullis, verum nulla exiſtente ſive apud illam Nobilem familiam, ſive in Catalogis, ejus rei memoria, nullus eidem patere videtur locus, qui tribuendus eſt Joanni dicto de Palatio, teſte ſecundo Auctore noſtræ pergamenæ. Octavo ab obitu Joannis Flumicelli die ex Archidiaconatus dignitate ad Inſulas Epiſcopales promotum fuiſſe, hæc nos docent Chronicæ Bononienſis verba loco ſupracitato: *Die Veneris proximo ſequenti Joannes de Palacio Archidiaconus factus eſt Epiſcopus*; hic adminiſtrationis ſuæ pauca, ſed ea admodum clara, monumenta reliquit.

Primo enim ſui Pontificatus anno conſuetudinem iniit cum Ægidio Comite de *Parignano*, ut Eccleſiæ bona defenderet: qua de cauſſa aliquot ex illis in dominium, ut ea tempora ferebant, ei dedit (1). Anno MCXCIX. cum univerſa ferme Gallia Ciſalpina in arma rueret propter diſſenſionem, quæ ſuper Burgo S. Domnini inter Placentinos & Parmenſes vehementiſſime fervebat, Joannes noſter una cum Archiepiſcopo Mediolanenſi Philippo Primo, aliiſque Epiſcopis, atque Abbate Locellenſi electus fuit ab Innocentio III. (2) ad redigendos eos populos, interpoſita etiam, ſi opus foret, ſacrorum interdictione, ad pacem & concordiam, quæ labente anno inita eſt ad Cremam, Mediolanenſibus & Brixia-

(1) Ex Regeſtis Cancellariæ Epiſcopalis œconomicæ in Regeſto Jacobi de Actis anno 1336.

(2) Ex Epiſtola Innocentii III., relata a Sigonio ſub finem libri XV. de Regno Italiæ; ex quo eadem habet Rubeus in mſ. Hiſtoria ad annum 1199.

xianis sequestribus (3). Posthæc suis pariter Brixianis adversus Bergomates concertantibus pacem reddidisse, testis est loco supra commemorato Rubeus (4). Sed cum Brixianus populus contra nobiles Cives arma cepisset, multi coacti fuerunt Urbe excedere, inter quos hunc Episcopum recenset Rubeus eodem loco ad annum MCCVIII., affirmatque in oppidum, quod dicitur *Palazzolo* se recepisse, ibique obiisse anno MCCXII. (5) sepulturamque accepisse. Verum ex Epistola R. P. Innocentii III. ad Cremonenses & Vercellenses Episcopos anno MCCXII. data (6) colligitur, eum propterea petiisse a Rom. Pontifice facultatem Episcopatu se abdicandi, quod prædicationis munus exercere amplius non posset præ senio, & linguæ impedimento, quam facultatem impetravit, redditibus concessis, unde vitam haud indecore transigeret. Alia exstant in Jure Canonico ad hunc Episcopum Romani Pontificis responsa (7). Ejus memoria in Regestis Cancellariæ Œconomicæ Episcopatus occurrit die septima Martii MCCVI., & die decimasexta ejusdem mensis ann. MCCVIII. Brixianam Ecclesiam rexit Joannes de Palatio annis sexdecim, quemadmodum ex istis Catalogo nostro, quibus consonat Bononiensis Chronica, colligitur verbis appictis: *Joan: Brixien. Episcopus, qui dicebatur de Palazio die tercio intrante Augusto migravit de hoc Seculo. Ann. D. MCCXII. Indict. XV.*



LXII.

(3) Ex Sigonio loc. cit. pag. 862., quod mirari subit prætermissum in laudatis Italiæ Annalibus, etsi ejus belli initium accurate eodem anno recenseatur.

(4) Præclari hujus facinoris nostri Episcopi nullum exstat vestigium apud Malvetium, a quo Bergomense hoc bellum describitur pag. 894.

(5) Tertio nimirum Augusti die ex nostro Catalogo. Placet hoc loco adnotare, paucis diebus post ejusdem Episcopi obitum, VIII. nimirum Calendas Septemb., Urbem nostram una cum Cremona, Ferraria, & Papia iniisse fœdus cum Azzone VI. Marchione Estensi. Tabulæ exstant Tom. I. Antiquitatum Estensium Murat. pag. 400.

(6) Eam Epistolam dedit Ughellus in Episcopis Brix. Tom. IV. pag. 545.

(7) Innoc. III. Cap. 3. de Litis Contest. Cap. 20. de Præb. & Dign.

LXII.
ALBERTUS EPISCOPUS
ANNO MCCXIII.

ANno proxime ſequenti Albertus Joannis fuit Succeſſor. Hunc de Rezzato (1) fuiſſe ſcribit Rubeus (2): de Regio Scriptores vetuſtiores (3). Die viceſima ſecunda Maji Urbem ingreſſus (4) ſuæ continuo Eccleſiæ utilis mirifice fuit: ſumma enim florebat virtute; ſed præcipuam ex eo laudem adeptus eſt, quod egregiam operam concordiæ ſuadendæ atque ineundæ navavit. Acerrimum enim civile bellum eo, quo Epiſcopatus inſignia obtinuit anno, vehementiſſime ardebat Populum inter & Viros nobili loco natos. Is cum tantam in populo ſuo diſſenſionem inſpiceret, utilem ſecum reputans veterem Eccleſiæ morem, quo Epiſcopi plerumque eorum erant arbitri, qui inter ſe diffidebant, ut *gregem ſuum*, teſte Malvetio, *continuata tranquillitate poſſet ſervare, ſtudebat. Qui tandem Buccellam partem, pacem componens, in Civitatem introduxit; tantaque cura pervigil commiſſum ſibi gregem cuſtodivit, ut ſejuges ipſe pacis jugo conjunctos ſemper haberet, de quo apud omnes ſuos Concives tam bona opinionis fama fragravit, quod a cunctis ad gubernandas res publicas electus extitit. Erat enim menſis October, & annus MCCXIII. dum hic memorandus Pater pacem tali modo compoſuit. Tantam porro laudem ac exiſtimationem ex præclaro hoc facinore conſequutus eſt, ut in poſterum Pater Patriæ fuerit appellatus.*

In vetuſta tamen inſcriptione penicillo effiċta in Turri vulgo *del popolo*, jamdiu diruta, pax dicebatur compoſita anno quidem MCCXIII., ſed die nona Maji. Inſcriptio per Mat-

(1) Oppidum haud infrequens extra portam vulgo *Torrelonga* quarto ab Urbe lapide.

(2) Loc. cit. pag. 899. Rubeo conſonat vetuſta inſcriptio inferius referenda. Utrumque conciliari poteſt, ſi dicas, e Regio olim originem traxiſſe, deinceps apud Rezzatum domicilium poſuiſſe.

(3) *Albertus Epiſcopus, qui fuit de Regio*, conſonant Chron. Bonon., & Malvetius.

(4) Chronica Bononienſis *MCCXIII. Indic. I. . . . . domnus Albertus regiæ præpoſitus, & electus Epiſcopus Brixiæ venit eodem anno die Mercurii X. exeunte Madio, in quo eſt Feſtum S. Juliæ, & Vigilia Aſcenſionis.* Malvetius loc. cit. pag. 898. *Hac etiam tempeſtate Albertus de Regio vir magnæ virtutis Brixienſem Eccleſiam gubernabat.*

Matthæum Solatium in Patriis Inſcriptionibus mſ., & per Rubeum in Hiſt. mſ. ab oblivione vindicata ſic ſe habet: *Notum ſit quod de anno MCCXIII. Indict. Prima die nono menſis Madii in publica Concione Comunis Brixiæ publicata fuit pax & concordia inter populum Brixiæ, & partem Civium expulſorum, qui vocantur de parte Bucella, opera D. Alberti de Rexato Epiſcopi Brixiæ ſub D. Jugelmino de Minervio Capitaneus populi ad felicem ſtatum & utilitatem Comunis & populi Brixiæ.* Verum illam inſcriptionem cum inſpicere amplius non liceat, ne a Malvetio recedatur, facit auctoritas recitatæ Chronicæ Bon., qua non ſolum intelligimus, Albertum exeunte dumtaxat menſe Majo Urbem ingreſſum eſſe, verum etiam menſe Octobri ejuſdem anni Alberti opera ictum fuiſſe pacis fœdus: ſunt hæc verba, quibus ea Chronica clauditur: *eodem anno* (MCCXIII.) *die Jovis V. menſe Octobris in prato garduloni facta eſt pax inter Filios Domini Boccacii cum omnibus illis, qui exierant de Civitate ex una parte, & illis, qui in Civitate remanſerant ex altera ſub pena XX. milia marcharum argenti per Domnum Albertum de Regio.... & poteſt....*

Poſthæc, duobus nempe elapſis annis, Romæ verſabatur, ut intereſſet Concilio Lateranenſi IV. per Innocentium III. R. P. indicto anno MCCXV., ut mores frequentibus bellis, exterarumque gentium invaſione depravati corrigerentur: opiniones contra germanam Fidem, morumque puritatem a Manichæis, Patarenis, Arnaldiſtis invectæ damnarentur: Principeſque cum Populis excitarentur, ut conjunctis viribus, orientales Provinciæ ſacroſanctis Redemptionis noſtræ Myſteriis conſecratæ e Saracenorum manibus prorſus eriperentur. Cum igitur Summus Hierarcha, quam maxima poterat eloquentia, per concionem perque litteras ad ſacram expeditionem (pro qua & privilegia, & non exiguam pecuniæ vim ſe collaturum promiſerat) omnes eſſet exhortatus, Epiſcopus noſter e Concilio redux Sanctum opus pro ſua virili exequi ſtatim decrevit.

Sed antequam huic ſe itineri committeret, piiſſimum animadvertens Vicedominorum munus in vitium degeneraſſe, ad rectos æquitatis tramites reducere cogitavit. Itaque nimiam, quam ſibi uſurpaverant auctoritatem infringere, nimioſque quoquo modo comparatos redditus imminuere ſtatuit. Re

cum

cum Clero consulta, nova pro illis Decreta, novaque vectigalia constituit, quæ universus Clerus comprobavit, & Honorius R. P. Constitutione signata anno MCCXVII. III. Cal. Martii rata habere voluit. Pontificis Diploma cum nondum, ut putamus, lucem viderit, integrum damus ex Archetypo custodito in citato Cathedralis Archivo.

„ Honorius Episcopus servus servorum Dei. Venerabili
„ Fratri Episcopo Brixien. Salutem & Apostolicam ben.
„ Tua nobis Fraternitas intimavit, quod cum Vicedomina-
„ tus officium adeo consueverit esse Brixien Episcopatui one-
„ rosum, quod occasione ipsius inter Episcopos & Vicedo-
„ minos Brixien qui fuerunt pro tempore sepe sepius solent
„ scandala suscitari. tu volens hujusmodi scandalorum ma-
„ teriam amputare de assensu tui Capituli deliberatione pro-
„ vida statuisti. ut de cetero Vicedominus Brixien annuo
„ redditu decem librarum Imperialium & quatuor plaustro-
„ rum feni contentus existat......nec ultra hoc quicquam
„ in eodem Episcopatu sibi liceat vendicare. Unde nobis
„ humiliter supplicasti. ut idem statutum robur faceremus fir-
„ mitatis habere, cujus tenor est talis: In nomine Domi-
„ ni. Nos Albertus Dei gratia Brixien. Episcopus attente
„ considerantes quod in omnibus conferendis & pariter ex-
„ petendis gratia fructificat & veritas invalescit. Si modus.
„ tempus & finis diligentius attendantur. De incerto fieri
„ certum. & de dubio disposuimus facere manifestum. Cum
„ ergo consuetudo immo potius corruptela Vicedominatus
„ in Ecclesia Brixien hactenus fuerit honerosa & inter Epi-
„ scopos & Vicedominos qui pro tempore fuerunt odia &
„ contentiones frequentius incitant. attendentes etiam debi-
„ tum imminens Episcopio Brixien & minorationem proven-
„ tuum Episcopalium & insuper propter guerras diuturnas &
„ civiles discordias terras & curias Episcopatus quasi omni-
„ no destructas idcirco cum maxima deliberatione habito
„ super hoc fratrum nostrorum consilio & diligenti tractatu
„ pariter & consensu. Statuimus & ordinamus ut quicun-
„ que de cetero fuerit Vicedominus decem libris Imperia-
„ lium & quatuor plaustris feni moderatis juxta quantita-
„ tem plaustrorum quæ ad Episcopium pertrahuntur sibi ab

„ ipſo Epiſcopatu annualiter perſolvendis in omnibus & pro
„ omnibus quæ alij Vicedomini qui pro tempore fuerunt ab
„ Epiſcopis & Epiſcopio Brixien aliquando habuerunt ſolu-
„ modo ſit contentus . Ad hæc etiam ſtatuimus , ut ei qui
„ pro tempore fuerit Vicedominus nullo modo liceat occa
„ ſione officij Vicedominatus Curias Epiſcopatus adire . nec
„ aliquid ſibi in Epiſcopum &...... vel de Epiſcopio ven-
„ dicare . aut auſu temerario uſurpare . preter id quod de
„ ſpeciali mandato Epiſcopi ſibi fuerit permiſſum . Nobis
„ igitur non ſit fas nec ſucceſſoribus noſtris contra hanc
„ paginam noſtræ conſtitutionis venire . Siquis autem hoc
„ attemptare preſumpſerit . indignationem omnipotentis Dei
„ & beatorum Martyrum Fauſtini & Jovitæ . atque Confeſ-
„ ſorum Appolonij & Filaſtrij ſe noverit incurſurum . Con-
„ ſtit^uit & ordinavit ſeu confirmavit hæc omnia quæ ſuperius
„ continentur . Dominus Albertus Dei gratia Brixien Epi-
„ ſcopus . Preſentibus & conſentientibus & confirmantibus
„ Domino Guidone Archipbro. Brixien Eccleſiæ . Domino
„ Jacobo Archidiacono eiuſdem Eccleſiæ . Dño Tholomeo
„ prepoſito eiuſdem Eccleſiæ . Domino Alberto Archĭpbro
„ Pontis vici . Mãgro Lamfranco de Vithalaſco . Mãgro
„ Martino Archĭpbro Caſtioni . Mãgro Martino Archĭpbro
„ Vixani . Dño Mayfredo de Salis . Dño Gratiadeo Gamba-
„ re . Dño Flamengo Manervii . Dño Peregrino de Ello .
„ Dño Mantelmo hugonum . Dño Azzone turbiadi . Omni-
„ bus Canonicis Brixien Eccleſiæ . Die lune nono exeunte
„ Januario . In Eccleſia majori Sce Marie Brixien . Anno
„ Dñi nri. ihũ Xpi. M.° CC.° XVIJ.° Indic. V. Teſtes inter-
„ fuerunt . Dnũs Rodulfus Prior Provallij . Pbr Girardus
„ Scĭ Andree . Dnũs Balianus Archĭpbr Gargnani . Dnũs
„ Bertaldus Archĭpbr Buarni . Mãgr Drachulfus de Sorbo-
„ lis Capellan Dñi Epĭ . Dnũs Albertus Flumicelli ſimiliter
„ Capellan . Gozolus clericus Eccleſie ſcẽ Marie de Calca-
„ ria . Bonacurſus Gargnani . Julianus & Aribertus Nota-
„ rij . & plures alij vocati & rogati . Nos igitur tuis pre-
„ cibus inclinati . ſtatutum ipſum ſicut provide dinoſcitur
„ eſſe factum , auctoritate aplica confirmamus . Et precipi-
„ mus inviolabiliter obſervari . Nulli ergo omnino hominum
„ liceat hanc paginam ñre confirmationis infringere , vel ei

„ auſu

„ auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare
„ preſumpſerit. indignationem Omnipotentis Dei. & bea-
„ torum Petri & Pauli Aplõrum Eius ſe noverit incurſu-
„ rum. Dat. Lateran. III. Kal. Marcij Pontificatus Noſtri
„ Anno Primo.

Alia deinceps expedivit negotia, inter quæ menſe Decembri anni MCCXVIII. quamdam tulit ſententiam de nonnullis bonis, citatam in Regeſtis Cancellariæ Œconomicæ Epiſcopalis, quibus perfunctus Henrico Mediolanenſi Archiepiſcopo Metropolitæ ſuo propter laudatum finem in Paleſtinam arma expedienti magna ſtipatus Gregis ſui caterva comitem ſe dedit. Id itineris a noſtratibus antiquis Scriptoribus prætermiſſum conjicit Saxius (5) in annum MCCXVIII. Præſens fuit obſidioni Urbis Damiatæ: *Aderat Epiſcopus Brixienſis, & Italiæ militia copioſa*, verba ſunt antiqui Scriptoris Cap. CCIV. Hiſtoriæ acquiſitionis & amiſſionis Terræ Sanctæ (6), cui & alter conſonat probatus Auctor Paulus Æmilius: *Jam novæ quoque copiæ ex Italia advenerant* (inquit Lib. VI. de geſtis Francor.), *novuſque commeatus Mediolanenſis, Regienſis, Faventini, Brixienſis, Pontificum ductu*. Solido vix anno exacto, redux probabiliter cum ſuo Metropolita ex ea expeditione Conſtitutiones tulit ad inſtaurandam Brixianæ Eccleſiæ diſciplinam, quarum memoria ex una innoteſcit Epiſcopi noſtri Friderici Madii charta, quam de eo differentes dabimus. Anno poſtea MCCXXI. ſuam ditavit Eccleſiam Alumnis S. Dominici, qui divini verbi prædicatione, ardentique zelo evellendi novas hæreſes univerſum pene mundum ſuaviſſimo odore repleverant. Urbem noſtram præclariſſimi hujus Ordinis Fundator S. Dominicus anno ſuperiori ſuamet præſentia exornarat, qua occaſione rem tranſegit cum Alberto, qui Eccleſiam hodie S. Aphræ, tunc S. Fauſtini ad ſanguinem nuncupatam, novis colonis deſtinavit una cum nonnullis fructibus, quos percipiebant Sacerdotes ſeculares, qui tunc temporis ibidem ſacra faciebant. Die XXIII. Maji hujus anni in dominium miſſi ſunt

(5) In notis ad Lib. XVI. Regni Ital. Sigonii Tom. II. pag. 918., ubi chronologica hujus expeditionis hiſtoria erudite pertractatur.

(6) Editi a Muratorio Tom. VII. Scripp. Ital. pag. 842.

a Cardinali Ugolino Epifcopo Hoftienfi, ea tempeftate Romanæ Sedis in Galliæ Cifalpinæ partibus Legati. Rem teftatam facit archetypa charta, quam ex S. Dominici Archivo publici juris hic facimus.

„ In Chrifti nomine, die lunæ VIII. exeunte Madio. In „ Ecclefia Sanctorum Martyrum Fauftini, & Jovittæ, præ„ fentibus Bonifacio Præpofito Ecclefiæ Sancti Salvatoris; „ & Pagano Fratre ejus, & Presbytero Petro Ecclefiæ San„ cti Alexandri; & Sabbato Notario, & Mediacappa; & „ Lambertino Domini lotherenchi de Martinengo, teftibus „ hujus rei. Dominus Ugolinus Epifcopus Oftienfis, atque „ Vetrenfis, Apoftolicæ Sedis legatus per Italiam conftitu„ tus, vice, & nomine Ecclefiæ Romanæ, per librum „ quem in fuis tenebat manibus, inveftivit Fratrem Gua„ lam, Priorem Fratrum Prædicatorum, Brixiæ com„ morantem nomine & vice Magiftri Dominici, Prioris ipfius „ Ordinis; & vice, & nomine totius Ordinis, de Ecclefia „ Sanctorum Martyrum Fauftini, & Jovittæ. quæ jacet „ juxta ftratam Cremonenfem Civitatis Brixiæ; & de „ omnibus domibus, quæ funt in Sedimine dictæ Ecclefiæ „ Sanctorum Martyrum; & de claufo, quod jacet juxta „ dictam Ecclefiam Sanctorum Martyrum vineatum: falvo „ ufufructu dicti claufi quatuor annorum; quem dimifit „ Fratribus fupradictæ Ecclefiæ; & de omnibus libris, & „ paramentis fupradictæ Ecclefiæ: alias vero poffeffiones, & „ redditus conceffit prædictis Fratribus ufque ad obitum eo„ rum: poft deceffum vero uniufcujufque, præbendam de„ functi Fratris, & difpofitionem illius præbendæ, vel ipfo„ rum reddituum, conceffit Domino Epifcopo Brixienfi, ut „ quidquid fecerit, vel ordinaverit, illud pro rato, & „ firmum teneatur.

„ Actum eft hoc anno Domini MCCXXI. Indictione IX.

„ Ego Gratiadeus de Manervio, Domini Henrici quon„ dam Romanorum Imperatoris Notarius, interfui; & ver„ bo, atque juffu fupradicti Domini Ugolini Epifcopi, & „ Apoftolicæ Sedis Legati, fcripfi.

Infi-

Insigne hoc beneficium, quod in divini cultus augmentum Brixia hoc anno acquisivit, Auctoris hisce verbis commemoro: *Illis diebus, quibus Brixiensium dissidia fuerunt ab Alberto composita Beatissimus Dominicus Ordinis FF. Prædicatorum Pater & Conditor*, inquit Malvetius, (7) *Lombardiæ loca perambulans hanc Urbem ingressus est* (8). *Hic apud Basilicam sanguinis SS. Faustini & Jovitæ hospitium habens illic quosdam Religiosos viros sub jugo suæ sanctissimæ Regulæ Christo Domino servire constituit. Sane prægrandi devotionis & reverentiæ cultu eumdem locum observandum, & sacra religione putavit. Qui cum ibidem diebus multis inducias ageret juxta ipsam Ecclesiam versus Septemtrionalem plagam, ut a Senioribus traditum est, arborem Junibarum plantavit, de cujus radicibus plantulæ exortæ sunt, a quibus & diebus meis planta convaluit. Hoc autem potius ad suam suorumque Fratrum recreationem, quam ad ipsius memoriam creditur esse factum.*

Porro integrum hunc locum describere placuit, cum ut Dominicani Fratres Brixiæ degentes, qui Religiosæ disciplinæ cultu florent, habeant unde lætentur, quod primum eorum Brixiæ domicilium ab ipsomet S. Patre positum fuerit, tum ne Lectores falleret Index Malvetiani Operis sub finem Tom. XIV. Rerum Italicarum contextus, in quo ad vocem *Dominicus* ita est: *Dominicus Ordinis Prædicatorum Institutor Brixiæ pacem curat*; quandoquidem de pace ab eo procurata Malvetius ne verbum quidem habet, imo Alberti studio eam tribuit. Eodem hoc anno fertur curasse funus S. Dominici, qui Bononiæ spiritum Deo reddidit.

Suum & ipse Albertus erga SS. Martyres Urbis Tutelares obsequium & cultum testatum volens sacra eorumdem Lipsana in D. Aphræ, ubi primitus sepulturam accepisse non dubitabat, diligenti perquisitione investigavit, adhibitis sociis nonnullis ex Familia S. Dominici, quem ipse, ut dictum est, hospitio exceperat, & cui eamdem Ecclesiam attribuerat. Itaque comitantibus Beatis Jordano & Gualla, quorum postremus Monasterii Præsul erat, ejusque in Episcopatu successor fuit, octavo die intrante Augusto anni ab Incarn. Dom. MCCXXIII. universo præsente Clero a primo

(7) Loc. cit. pag. 899.

(8) Rubeus in ms. Historia addit: *e vi si fermò due mesi, cioè l' Agosto, e Settembre, e in sua memoria vi si conserva la Tavola alla quale era solito di cibarsi in Refettorio.*

eorum tumulo, ut est in Monumento a Fayno & Bollandianis edito (9) in Aram majorem superioris Ecclesiæ transtulit. Qua occasione alterius Faustini, sed Confessoris & ejusdem Urbis Episcopi, ossa inventa solemniter reposita fuere, ut in Commentario de eodem Episcopo pag. 33. . Quæ nos omnia retulimus, ut sunt in Monumento supracitato.

Eodem anno consuluit etiam honori & commodis Canonicorum Ecclesiæ majoris, qui suppliciter petierunt, ut se ad minorem numerum redigeret, propterea quod plures terræmotus, pluraque tributa non exigua redditnum parte eos multaverant. Igitur tenuem eorum statum miseratus unum Canonicatum abrogavit, & antiquum sexdecim Canonicorum numerum restituit, ut decentius inservire possent Divino cultui primores Mystæ, qui unum cum ipso Corpus constituentes, tamquam lumina Ecclesiasticæ Hierarchiæ, victu cultuque decenti, perinde ac castissimis moribus, cæteris prælucere debent Ecclesiasticis. Ipsum autographum restitutionis Monumentum ex Cathedrali Archivo editum hic volumus.

„ Albertus Dei Gratia Brixiensis Epūs Dilectis in Christo fra-
„ tribus Capitulo Matricis Ecclesię Brixiensis Sal. in Dño. Cum
„ a nobis petitur quod iustum est, & honestum, nos decet ani-
„ mo libenti concedere, & vota quæ a rationis tramite non
„ discordant, effectu prosequente complere. Ea propter dile-
„ cti in Dño vestris iustis postulationibus grato concurrentes
„ assensu, facultatibus prędictę Ecclesię vestrę diligenter in-
„ spectis, quę tam terręmotuum ruinis, quam multis alijs
„ dispendijs plurimum aggravatur, pagina presenti statuimus,
„ & futuris in ipsa decernimus temporibus observandum, ut
„ eadem de cętero Sedenario Canonicorum numero solum-
„ modo sit contenta; non obstante eo quod decem & septem
„ fitis ad presens qui consuevistis sedecim tantum esse in ipsa
„ divinis obsequijs mancipati. Nulli ergo omnino hominum
„ sub nostra ditione moranti sit licitum hujus nostrę consti-
„ tutionis numerum excedere, vel augere, nisi, quod opta-
„ mus, iam dictę Ecclesię intantum excreverint facultates,
„ quod

(9) Fayn. in Martyrol. die 7. Apr., & Bolland. die XV. Febr. in Comment. de SS. Faustino & Jovita MM. num. XIII. Pallæ autem, sive Pavia serica, quibus pag. 228. diximus operta fuisse SS. Martyrum Corpora nihil aliud putamus fuisse, quam quædam serica operimenta, devotionis decorisque gratia, sacris illis exuviis superaddita.

„ quod plures quam sedecim Canonici simul & semel in ipsa
„ procurari possent tam commode quam honeste ; Si quis au-
„ tem contra hoc attemptare præsumpserit, indignationem
„ Dei Omnipotentis, & Beatorum Apollonij & Filastrij con-
„ fessorum ejus, ac nostram se noverit incursurum. Dat. Bri-
„ xie IJ Idus Junii anno a nativitate domini nri ihu Millō
„ Ducent. vigesimo tcio Indiction. Undecima.

Similem ex eodem Archivo vulgamus chartam, quam citavimus Capite II. Differt. prooemialis. Ecclesia Corvioni in planitie sita, hodie simplex Parochialis, cujus Parocho Comites de Gambara victui necessaria suppeditant, illustris olim erat, multisque beneficiis ditata: hac ærumnis deinde afflicta, vitam ægerrime agebant sacri ejus Ministri. His itaque subvenire voluit Albertus restricto eorum numero: *donec Ecclesiæ facultates in tantum excrescerent, quod plures in ea Canonici simul vivere possent, tam honeste, quam commode*. Expeditum fuit Diploma VIII. Idus Novembris anni 1226. atque ita se habet:

„ ALBERTUS Dei gratia Brixieñ Episcopus. Dile-
„ cto fratri.. archipbrō & capitulo plebis de Corviono Sālt.
„ eternam in domino. Justis petentium desideriis dignum est
„ nos facilem prebere consensum & vota quę a rationis tra-
„ mite non discordant effectu prosequente complere. Ea p.pter
„ dilecti in domino vestris iustis postulationibus grato con-
„ currentes assensu facultatib; ecclīe vestrę diligenter inspectis
„ pagina presenti statuimus & futuris in ipsa ecclīa decerni-
„ mus temporibus observandum ut eadem de cetero quater-
„ nario fratrum numero videlicet unius Achipbrī in sacerdo-
„ tio constituti unius pbrī ac duorum clericorum solummo-
„ do sit contenta non obstante eo si quando plures estiteri-
„ tis in dicta ecclīa divinis obsequijs mancipati. Nulli ergo
„ omnino hominum sub nostra ditione statuto sit licitum hu-
„ ius nostre constitutionis paginam infringere vel ei ausu te-
„ merario contraire nisi quod optamus ipsius ecclīe intantum
„ excrescerent facultates quod plures in ea canonici simul
„ procurari possint tam commode quam honeste. Si quis au-

„ tem noſtre ditioni ſubiectus contra hoc venire preſumpſe-
„ rit. indignationem Dei Omnipotentis. & Beatorum Appol-
„ lonii & filaſtrij confeſſorum eius. ac noſtram ſe noverit in-
„ curſurum. Dat. Brixie VIIJ Id. Novembr. M. CC. Viceſi-
„ mo Sexto. Indict. Quartadecima

„ Ego Az. Arcidiacon; Brix. vidi & appbavi & mandavi me ſubſcribi.
„ Ego La Arcīpbr Brix. vidi & appbavi & me ſubſcribi feci.
„ Ego Rd.ˢ arcīpbr. de azañ Brix. Ecc.ᵉ pbr. me ſubſcribi feci.
„ Ego pqbr. Sācdos ecclīe Brix. & appbavi & me ſubſcribi feci.

„ Ego Manfrid. de Sāl Canōic Brix. vidi & appbavi & me ſubſcribi feci.
„ Ego Cavalca Canōic Brix. me ſubſcribi feci.
„ Ego Nantelm̄ Brīx. Canōic. me ſubſcribi feci.
„ Ego Obrtūs Brix. Canōic vidi & appbavi & me ſubſcribi feci.

Per idem tempus homines quidam Patareni vocati, Arnaldiſtæ, aliiſque nominibus, tanta valuerunt vaferrimæ ſimulationis arte, & phariſaica auſterioris vitæ oſtentatione, ut pleriſque fucum facerent, ſuaſque in partes traherent. Alias inter Italiæ Urbes peſtifero veneno vitiatas Brixiam commemorat ſyncronus auctor Fr. Raynerus in ea Summa, quam adverſus Catharos conſcripſit (10). Reipſa apud Brixianos ad tantam perditi illi homines creverant potentiam atque audaciam, ut orthodoxos noſtros graviſſimis injuriis afficerent, atque in ſacra omnia debaccharentur (11). Plurimum hinc vigili noſtro Paſtori adlaborandum fuit, ut tantum malum a ſuis ovibus propulſaret. Summus Hierarcha Honorius III. de pravis horum hominum opinionibus & moribus commonefactus, atque de noſtri Epiſcopi erga Catholicam fidem bonoſque mores ſtudio admonitus muneris ſui eſſe ſtatuit, eam Epiſtolam Epiſcopo noſtro conſcribere, in qua appellat

Bri-

(10) Edita eſt pag. 1767. Tom. V. Theſaur. Anecd. Mart. & Durand

(11) Videſis Cl. Ricchinum pag. 27. primæ ex ſuis Diſſertationibus præmiſſis Operi Fr. Monetæ acerrimi Catharorum impugnatoris.

Brixiam *quasi quoddam Hæreticorum domicilium* (12), eaque Episcopo imperat, ut pestes istas sua ex Urbe deleat, exterminet: eorumque Fautorum (quos nomine appellat) Turres domosque humo prorsus æquari curet. Data est Laterani IV. Idus Januarii anno MCCXXV. Itaque Albertus amore Catholicæ fidei saniorumque morum jam incensus, Pontificis epistolis ferventior factus, promptiori fortiorique animo conatus omnes impendit, ut Domini vineam suæ curæ traditam servaret, ne eam aper de sylva exterminaret, aut singularis ferus depasceretur. Neque in irritum cecidisse dicendi sunt ejus labores, cum Catharos, Arnaldistas, aliosque hujus furfuris homines, qui altas in hoc solo radices jecerant, tamquam venenata germina ferro igneque cæteri Brixiani orthodoxæ fidei sectatores prorsus consumpserint. Præter opiniones hasce, aliæ etiam inoleverant ab Ecclesiasticis sanctionibus alienæ puritatem decoremque sacræ liturgiæ labefactantes. Quidam enim Presbyter Capellanus Oratorii S. Brigidæ (13) docebat, licitum esse rem sacram facere sine lumine, & in vase ligneo, Græcorumque schismaticorum de pane fermentato opinionem, a qua Romana Ecclesia pluribus Decretis Latinos deterruit, invehere hanc in Ecclesiam tentabat, suoque usu comprobare non erubescebat. Non defuit tamen muneri suo Episcopus noster, de novis Presbyteri opinionibus Summum Pontificem certiorem reddens, quidque sibi faciendum esset ab eodem postulans: quas Summus Hierarcha novitates non solum improbavit, verum etiam Alberto in jussis dedit (14), ut presbyterum privaret officio & beneficio.

Retulimus superius Alumnis S. Dominici ejus opera in Ur-

(12) Ep. 146. Lib. IX. Epistolar. Honorii III. Hujus Epist. fragmentum afferunt Raynaldus in Annal. ad ann. 1225, & Murator. Dissert. LX. Tom V Antiquit. Ital. pag. 92.

(13) De hoc antiquissimo S. Brigidæ Oratorio aliqua adnotabimus in Lambertino.

(14) Honorii Responsum habetur Lib. III. Decretal. Tit. XLI. cap. XIV. De celebr Missar. Pravas istas opiniones refert in numerum superstitionum circa Missam Jo. Baptista Thiers Tom. III. cap. XIV pag. 146. Gallici Tractatus de Superstitionibus. Emanuel Gonzalez Commentario in eam Honorii Epistolam ita habet: *Ita etiam legitur in quinta Compilatione sub hoc tit. cap. 6 & Supplendum est "Bertholdo" qui temporibus Honorii III. Brixiensem regebat Ecclesiam*. At in Episcopi nomine Gonzalez omnino fallitur, nullus enim in Brixianorum Episcoporum Catalogis occurrit *Bertholdus*. Errandi occasionem sumpsit, ut ego arbitror, Gonzalez ex Catalogo Ecclesiæ Brixinensis, nunc Sabionensis, in quo Bertholdus I. recensetur, cui Honorius III. Epistolam dedit anno MCCXVII., quam Hansissius exhibet in Archiepiscopis Salisburgensibus Tom. I. Germaniæ Sacræ pag. 323.

Urbem admissis attributos fuisse nonnullos dumtaxat ex iis redditibus, quibus Sacerdotes seculares ejusdem Ecclesiæ fruebantur. Exacto autem quinquennio videns Albertus quantum suæ vineæ frequentibus concionibus aliisque piis operibus profuissent novi coloni, iisdem volens gratificari, egit cum Summo Pontifice Gregorio IX., qui hoc anno 1227. Honorio in Pontificia dignitate successerat, ut quidquid ejusdem Ecclesiæ bonorum in prima translatione non fuerat Dominicanis attributum, id omne, vita cum essent functi Ecclesiastici S. Aphræ, consequerentur, ut commodius possent animarum saluti, Ecclesiæque restaurationi & splendori incumbere.

Vacante interea Latina Patriarchali Sede Antiochiæ novus Pontifex in hunc Albertum oculos conjecit, cujus virtutes satis perspectas habebat, eumdemque Patriarcham Antiochenum creavit. Quo anno eam dignitatem consequutus sit certo affirmare nequimus: anno MCCXXXIII. in eadem sedisse productis certissimis Monumentis mox patebit: sed ante anni MCCXXIX. exitum regiminis initia non figenda, probabilibus conjecturis ostendemus. Si Rubeum audiamus numquam assumpsisse Albertum illius Patriarchalis Ecclesiæ administrationem, sed uno Dignitatis titulo contentum minime ejusdem insignia accepisse, dicendum esset. Verum gratis id ajente Rubeo, nos Albertum eam administrasse, idque per plures annos ostendemus. Inquit enim Albericus a tribus fontibus, Historicus nonnullius nominis, & Alberto coævus ad annum MCCXXXIII. (15): *post Patriarcham Antiochiæ Petrum, fuit Patriarcha quidam Renerus* (Raynerus) *de Tuscia, & post eum diebus istis Sedem obtinebat Albertus Episcopus quondam Brixianus*.

At certius etiam argumentum suppeditat nobis Codex Diplomaticus Melitensis ab erudito Sebastiano Paolio editus (16). Ibi enim Diploma prostat, in quo Albertus Patriarcha Antiochensis declarat *præsentibus & futuris*, concordiam & conventionem a se curatam inter Templarios, & Hospitalarios, qui antea diffidebant. Datum est *Tyri in domo Archiepiscopi anno MCCXXXIII. Indict. VI.* Ex alio diplomate, quod eodem in Ope-

(15) Editus a Godefredo Leibnitio Tom. II. Additionum Historicarum.

(16) Tom. I. pag. 123.

Opere apparet, discimus, in eadem eum Dignitate perstitisse & anno MCCXLI. Hoc enim ipso anno ait, se agente, rursum Hospitalarios inter & Bremondum Antiochiæ Principem convenisse. Illi nempe omni jure huic cesserant de oppido Maraclensi & ejusdem ditione: hic contra illis attribuerat certam pecuniæ summam, & ex æde Tripolitana Diploma exiit anno Domini MCCXLI. die XVIII. Novembris, ut diserte charta fidem facit (17). Cum igitur certum sit, vel ipsis Bollandianis, & Lequiennio testantibus, neminem alium, præter Albertum jam Brixiæ Episcopum, ex Latinis Patriarchis Antiochensibus infulis per eos annos donatum esse, non est quod dubitemus, eumdem Albertum auctorem exstitisse earum, quas præseferunt indicatæ chartæ, compositionum. Hinc manifestum fit ab eodem Ecclesiam Antiochensem administratam esse, & munus Legati Apostolici gestum in Syria, cum ita se ipse inscribat: *Nos Albertus S. & Ap. Sedis Antiochenæ Patriarcha, Apostolicæ Sedis, Legatus* (18). Ex cujus dignitate magis etiam confirmatur Bollandianorum & Lequiennii (19) memoratorum opinio, Alberto tribuentium, quæ pulchra gessisse perhibent Antiochensem Patriarcham Annales Ecclesiasticis apud Raynaldum ad annos MCCXXXII. MCCXXXIV. & seqq. (20). Indidem corruit sententia Fayni, (quæ labefactatur etiam ex Registro Chartarum Monasterii (21) S. Aphræ) adscribentis ejus mortem anno MCCXXV., quæ triennio posterior fuit numero, quem altera illa charta præsefert. Obiit siquidem paullo post Concilium Lugdunense I., coactum anno MCCXLV. ab Innoc. IV. Nam ex una parte Epistolæ (22), quam ipse Pontifex ea in Synodo promulgavit, subscripsisse deprehenditur in hunc modum: *Albertus Patriarcha Antiochenus*: ex altera vero, Statutorum, quæ Capitulum Generale PP. Cistercensium habitum anno MCCXLVI. tulit, octavum ita est (23): *bonæ memoriæ D. Alberto quondam Patriarchæ Antiocheno*,

(17) Loc. cit. pag. 129. ubi sermone gallico diploma exaratum est.

(18) Tom. I. pag. 123.

(19) Bollandiani in Hist. Patriarchatus Antiochen. præmissa Tom. IV. Julii pag. 145. & Lequien Tom. III. Orientis Christiani pag. 1160.

(20) Eadem refert etiam Fleurius Lib. 80. Histor. Ecclesiasticæ.

(21) Asservatur penes laudatum Donedam. In eo citatur charta ab eodem Alberto tamquam Patriarcha Antiocheno signata anno 1229. qua constat eum nomine Ecclesiæ S. Aphræ percepisse quosdam fructus, tamquam, ut hodie dicitur, Commendatarium.

(22) Lib. VI. de Gestis Dei per Francos pag. 1195.

(23) Tom. IV. Thesauri novi Anecd. Martene, & Durand, pag. 1386.

no, qui existens in Curia D. Papæ ex maxima devotione, quam habebat ad Ordinem, in Domo Cistercii, quæ est mater nostra, suam elegit sepulturam, conceditur plenarium Officium per universum Ordinem. Hactenus dicta evincunt, Albertum nostrum renunciatum esse Antiochenum Patriarcham post mortem Raynerii, hoc est anno MCCXXVI. aut MCCXXVII., eique Ecclesiæ præfuisse ad finem usque Synodi Lugdunensis I., ac tandem anno MCCXLV., aut sequenti obiisse. Ex quo infertur, Panvinii Chronologiam minime subsistere, volentis ad annum MCCXXXIX. (24) Eliam Robertum Rhegiensem ex Episcopo Brixiano sedisse annis VIII. ex Latinorum sanguine Antiochenum Patriarcham VI. Quod autem Alberto placuit in aula Pontificis degenti, se post mortem apud Cistercienses Galliæ tumulari, hinc potest colligi ipsum in Gallia decessisse, Concilii memorati Lugdunensis tempore, aut paullo post. Hac de causa (meo judicio) sepulturæ locum omisere Brixiani Scriptores, ut & auctor adnotationum ad nostrum catalogum, qui cæteroquin id adnotare in plerisque aliis Episcopis non prætermisit, quique Alberti ad Episcopatum electionem rite fixit in annum MCCXIII., cui convenit Chronica Bon. Illud ultimo animadvertendum, citatum Paulium (25) a Saracenis putasse Albertum interemptum anno, quo Antiochia capta est, sed quia id nullo firmat testimonio, concedere non possumus; contra ipsi assentimur statuenti, Albertum fuisse VIII. & postremum ex Latinis Patriarchis, qui antiquissimam eam Ecclesiam gubernarunt.

Confundendus tandem non est hic Albertus cum alio ejusdem nominis Brixiano, qui gloria sanctitatis, muneribus sacris, Episcopatibus Placentino & Ferrariensi hoc ævo eximie florebat (26).

Sed antequam institutum iter persequimur, liceat nobis aliquantisper divertere, propterea quod ad eum devenimus locum, quicum magnam habet necessitudinem ille sacer Thesaurus, cujus mentio a nemine, qui in rebus sacris Brixianis versatus sit, præteritur: sunt autem illæ Cruces e SS. Crucis ligno formatæ, quas difficillimis quibusque temporibus hæc Civi-

(24) In Chronico Ecclesiastico ad annum 1239.

(25) Tom. I. cit. Codicis Melitensis pag. 524.

(26) Apud Ughellum in Italia Sacra, ubi de Episcopis Placentino & Ferrariensi; & Campium cit. Historiæ Placentinæ Tom. II. pag. 155.

Civitas publicæ venerationi regali magnificentia exponens, præsentissimo sibi subsidio semper fuisse experta est. Quo factum est, ut ad eas tunc adorandas magna hominum multitudo non solum ex toto vastissimo Agro Brixiano huc confluat, verum etiam ex vicinis oppidis Urbibusque. Unde miramur, nullam fieri earum mentionem a Gretsero, tametsi multas alias minus celebres in vasto Opere de Cruce commemorarit. Inter rerum Brixianarum Scriptores convenit, eas a multis seculis Brixiam fuisse asportatas, quo vero anno, & cujus opera id contigerit, definiri non potest; propterea quod eorum opinationes certis destituuntur monumentis antiquitatis. In mentem alicui venire posset, S. Gaudentium e Græcia reducem multis auctum sacris reliquiis, quas a pluribus, & præsertim a sacris Virginibus Magni Basilii neptibus dono acceperat, huc has etiam insignes Cruces detulisse. Sed cum in Sermone, quem habuit in die Dedicationis Ecclesiæ ab ipso constructæ, Catalogum texuerit Reliquiarum, quas in eadem, ideo appellata *Concilium Sanctorum*, deposuerat, ne verbum quidem faciat de Cruce, id satis evincit, hanc conjecturam nulla verisimilitudine niti. Eas e Græcia fuisse asportatas persuadere videtur antiqua capsula, qua continebantur, quam esse græcum opus apparet. Cum intus occasione cujusdam solemnis expositionis mihi speciali favore aditus ad ipsum Sacellum, in quo asservantur, patuisset: & facta fuisset potestas eas cominus contemplandi, capsulæ artificium græcum esse clarissime cognovi, cum ex multis, tum maxime ex eo, quod insculptæ sunt imagines Constantini & Helenæ cum hisce græcis vocibus.

K	A		H	Λ
O	N		A	E
C	T		Γ	N
T	I		I	H
	N		A	
	C		E	
Sub figura Constantini			Sub figura Helenæ	

nec alius artificii sunt Cruces ipsæ, quæ ornantur pretiosis lapidibus, variisque laminis argenteis inauratis, quæ a multis Scriptoribus Brixianis descriptæ sunt; unde apparet esse simi-

ſimiles earum, quæ in Ducali S. Marci Venetiis Lipſanotheca aſſervantur, quarum ectypa nuperrime dedit Flaminius Cornelius Senator Venetus (27). Quemadmodum autem Veneti, Conſtantinopoli capta, Cruces inde aſportarunt, ita ab Epiſcopo Alberto, quem in Oriente fuiſſe eadem tempeſtate ſupra oſtenſum eſt, has Cruces huc fuiſſe delatas non omnino inveriſimile eſt. Certe primum hujus Civitatis de eiſdem Crucibus Decretum, quod exſtat in vetuſto Brixiano Statuto, factum eſt paullo poſt ejuſdem Epiſcopi reditum e regionibus tranſmarinis, quod retulit Rubeus pag. 31. Libri inſcripti: *Hiſtoria delle SS. Croci*. Quique Rubeus fortaſſe a noſtra conjectura alienus non fuit, tum quia retulit illud Decretum, tum quia in Patria Hiſtoria mſ. hæc habet de eodem Alberto loquens: *Il noſtro Veſcovo Alberto eſſendo ritornato da Terra Santa, ove era ſtata preſa la Città di Damiata, ripoſe lo Stendardo in Duomo*.

E regione nominis Alberti hanc legimus in noſtra Pergamena notam: *Albertus Epūs, qui fuit de regio epūs civitatis brix. & electus fuit patriarcha de Antiocia. M.CC.XIII.*



LXIII.

(27) Tom. X. pag. 155. eruditiſſimi Operis de Eccleſiis Venetis.

LXIII.
GUALLA EPISCOPUS
ANNO MCCXXIX.

ALbertum ad Antiochenam Sedem evectum consequutus est Gualla Ordinis Prædicatorum, eo statim nomine commendandus, quod Cœnobii Dominicani a S. Dominico Brixiæ instituti apud Ecclesiam SS. Faustini & Jovitæ ad Sanguinem primus ab eodem S. Patre (1) moderator eligi meruerit, quodque regimen sibi commissum anno MCCXXI.(2) singulari administraverit dexteritate. Quapropter Gregorius IX. dictus antea Cardinalis Ugolinus Episcopus Hostiensis, antequam ad Summi Pontificatus apicem pervenisset, Romanæ Sedis in Italia Legatus, eximias Guallæ virtutes expertus, eo, statim ac Summus Hierarcha dictus est, uti jam cœperat. Ut enim melius constitueret Sanctum *Inquisitionis* Tribunal, quod in bonum Christianæ Reipublicæ cedere certis indiciis constabat, Goffredum Castillionensem S. R. E. Cardinalem titulo S. Marci in Galliam Cisalpinam allegaverat, & Guallam supremum constituerat de caussis Fidei Quæsitorem. Nuntius & Quæsitor collatis cum Mediolanensi Præsule Henrico Septala consiliis, præsente Senatu, quædam statuta condidere, quæ ab Innocentio IV. & ab Alexandro IV. confirmata, deinceps in universa Italia obtinuerunt (3). Sacrum deinde bellum omnino prosequi statuens Gregorius, Fridericum Imperatorem, ad quem potissimum eam curam pertinere arbitrabatur, ut quod sæpius spoponderat, aliquando tandem expleret, per litteras admonuit, easque Guallæ ad eumdem perferendas tradiderat, ei indubitatam fidem habendam esse declarans. Eæ (4) Epistolæ datæ sunt Anagniæ XI. Calendas Augusti anno MCCXXVII.

(1) Ex Florentinii Indice.

(2) Id constat ex charta Ugolini Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati, qua Ecclesiam SS. Faustini & Jovitæ ad Sanguinem Fratribus Dominicanis attribuit. Chartam dedimus in Commentario ad Albertum pag. 244.

(3) Ex Libro, qui inscribitur: *Risposta all' Istoria della S. Inquisizione* pag. 16. ubi series Quæsitorum Mediolanensium contexitur.

(4) Eas Epistolas ex Archivo Ordinis Prædicatorum protulit Clar. Antoninus Bremond nunc totius Ordinis Generalis Magister Tom. I. Bullarii Dominicani pag. 21.

MCCXXVII. Anno vero insequenti, quum eximii Viri opera auctoritateque propter eumdem finem apud Cisalpinos, fœdissimo bello inter se digladiantes, indigeret, Guallam ex omnibus aptissimum judicaverat, eique commiserat, ut Societatis Galliæ Cisalpinæ Urbes solicitaret ad litteras iterato dandas Imperatori, atque ad cogendos milites Crucesignatos (5). Magna ejus auctoritas apud omnes Galliæ Cisalpinæ Urbes, nobile nomen, laus rei Christianæ maxima effecere, sua ut cohortatione permoti Cisalpini, Pontifici morem gerere statuerent. Sed quum id, quod promiserant, numquam præstarent, Guallæ iterum in jussis dederat, ut eos ad servanda promissa urgeret (6), sacramque expeditionem pro virili susciperent, cujus tamen infelix fuit exitus propter pravam Imperatoris voluntatem. Eodem anno MCCXXIX. inter Bononienses & Mutinenses bellum gerebatur, quod mutuis offensionibus eousque processerat, ut quieti & commodo universæ ferme Galliæ Cisalpinæ vehementer obesse cœpisset: quod ægre ferens Christianorum Pater Romanus Pontifex Nuntium mittendum ad eas sedandas discordias, & conciliandos animos arbitratus, Guallam in Galliam Cisalpinam Pontificium Legatum destinaverat: quam Provinciam ita feliciter una cum Nicolao Episcopo Regiensi (7) administravit, ut exeunte Novembri ejus anni MCCXXIX. *in Palatio Communis* Bononiæ belligerantes Urbes, datis receptisque pacis juribus, coram Gualla aliisque Delectis, compositæ (8) fuerint. Legatione hac feliciter perfunctus aliam subire in Marchiam Tarvisinam coactus fuerat. Ezzelinus enim per eos dies Tarvisium tentare volens, Civem se a Tarvisinis adscribi curavit: ac mox populum illum ad diripiendos Agros Feltrini & Bellunensis Episcopi duxit. Quod ubi Patavini cognoverunt, ad quos illorum Agrorum defensio pertinebat, tantam jacturam sibi non esse ferendam putantes, Calendis Maji ad Tarvisinos ulciscendos prodierunt, ac ubi Agrum eorum

(5) Datæ dicuntur Epistolæ Laterani XVI. Calend. Aprilis anno primo sui Pontificatus; exstant in citato Bullarii Dominicani Tomo pag. 26.

(6) Ex Archivo Ordinis Bremond l. c. pag. 30. dedit Epistolas signatas Perusii die nona Octobris anni Domini 1229., Pontificatus tertii.

(7) Ex Sigonio Lib. XVII. de Regno Italiæ ad hunc annum;

(8) Huic Episcopo etsi potissima cura fuerat per Pontificem commissa, plurimum tamen operis Guallam nostrum contulisse, facile est existimare, eo quod Acta reconciliationis, a Sigonio loco supra commemorato edita, dicuntur celebrata: *præsentibus Fratre Gualla Legato Pontificis in Lombardia &c.*

rum fœde usque ad Urbis mœnia depopulati sunt, domum se receperunt. Quibus actis discessum est ab armis, Galliæ Cisalpinæ Rectoribus intercedentibus, duce, remque promovente Gualla (9). Pacata inde Marchia, Veronæ seditio rursus exarsit, cruentoque ibi certamine pugnatum est, quam etiam seditionem Gualla una cum aliis composuit, dictis sententiis Mediolani IV. Non. Septembris, ubi, teste Sigonio, decreta quoque fuit renovatio fœderis inter Galliæ Cisalpinæ Urbes.

Hoc temporis intervallo, sub exitum scilicet anni (10)

R MCCXXIX.

(9) Rollandinus sincronus Auctor, editus Tom. VIII. Rerum Italic. belli hujus historiam narrat Cap. XVII. lib. 11. ad ann. 1228. eumque sequitur Muratorius in Annalibus Tom. VII. pag. 198. Mihi vero magis placuit sequi calculos Sigonii, tum quia Rollandinus ei non sit contrarius; pacem enim sancitam fuisse sub anni 1229. exitum, insinuare videtur in exordio Cap. XIX. pag. 199. his verbis: *Nunc circa unius anni spatium Civitates de Marchia Tarvisina adeo quieverunt in pace, quod quasi circa finem anni Domini MCCXXIX. & circa principium subsequentis nulla fuit terrarum prædatio*; tum quia Episcopali fulgentem dignitate Guallam eo tempore supponunt non solum Sigonius, verum etiam Muratorius, & Rollandinus, qua dignitate ann. 1228. nondum eum fuisse insignitum mox ostensuri sumus.

(10) De initio ejus Episcopatus discrepantes invenio recentiorum calculos: Malvetius enim, aliique Veteres, qui aliquid de Gualla memoriæ prodiderunt, hanc in eo dignitatem supponunt. Enarratis a Malvetio rebus, quæ contigerunt ab anno 1225. usque ad annum 1231. de Gualla hæc habet pag. 905. *Eisdem diebus venerabundus Fr. Gualla Ordinis etiam Beatissimi Dominici Brixiensi Ecclesiæ præerat*. Igitur Florentinius in Indice, & Faynus in Cælo Brix. id collocant ad annum 1235. Capreolus Lib. VI. Hist., & Bollandiani T. II. Februarii pag. 808. ad annum 1230. Ughellus in Episcopis Brixianis, & Eccardus Tom. I. Scripp. Ordinis Prædicatorum pag. 22. ad ann. 1229. Mitto Galeardi supputationem in notis ad Ughellum referentis ad ann. 1220., namque provocans ad Sigonii locum, in quo legationes Guallæ enarrantur, dubitari merito nequit, illapsu typothetæ reperiri ann. 1220., utpote quod Sigonius non eo, sed anno 1229. Guallæ commemorationem habet. Porro nobis visa est probabilior sententia Ughelli, & Eccardi referens Episcopatus initia ad ann. 1229. Certum quippe est, anno 1225. ex hac Sede nondum fuisse remotum Albertum, propterea quod ad meliorem vitam ann. dumtaxat 1226. migraverat Raynerus Patriarcha Antiochenus, cui Albertum suffectum fuisse paullo ante diximus. Sed neque sub initium anni 1229. Episcopalem dignitatem fuerat adeptus, cum gerens ipse munus Legationis Bononiensis ann. 1229. a Sigonio enarratæ, titulo *Fratris Ordinis Præd.*, nulla facta Episcopatus mentione, nominatur; sed neque sub initium mensis Octobris ad eam dignitatem fuerat electus, cum in Bullis Gregor. IX. ad eum datis, & quarum supra meminimus, quarumque ultima signata est die 9. Octobris anni III. Pontificatus Gregorii, nempe 1229. semper vocetur *Frater*, nusquam Episcopus. Cum vero a Sigonio Episcopus Brixianus dicatur, cum recenset pacem, eo promovente, initam inter Tarvisinos & Patavinos, quam pacem sub 1229. exitum idem Sigonius narrat, conjici merito potest, nonnisi eo tempore hanc ei dignitatem collatam fuisse. Reipsa Rollandinus supra laudatus aperte dicit, Guallam factum fuisse Episcopum iis diebus, quibus fœdus hoc sancitum fuit; sunt enim hæc ejus verba loc. cit. pag. 98., *sed tantum institit Fr. Vualla, qui de Ord. FF. Præd. fuerat, & nunc erat Episcopus Brixien., & Legatus Apostolicæ Sedis*. Cui nostro calculo alius non officit Rolland. locus, quo innixus Muratorius in Annal. fœdus illud collocat ad ann. 1228., ubi Guallam Episcopum vocat: namque Rollandino affirmante loc. cit.: *quod quasi circa finem anni 1229., & circa principium subsequentis nulla fuit Terrarum prædatio*, consequitur ante finem anni 1229. terrarum prædationem

factam

MCCXXIX., Brixiano Episcopatu, licet invitus, cohonestatus fuit, quo in munere aliis etiam Ecclesiis prodesse nunquam destitit; namque anno MCCXXXIII. eum præfecit Romanus Pontifex ad cognoscendas criminationes, quibus Episcopus Parmensis, *Gratiadei* vocatus, fuerat insimulatus (11). Parmensi negotio expleto, Bononiam ejusdem anni mense Junio migravit, accersitus (12) a Fr. Jordano Ordinis Magistro Generali, qui animadvertens ossa B. Dominici humili atque obscuro in loco recondita, haudquaquam eam sedem tenere, quæ tantæ sanctitati conveniret, curavit, ut splendidiori in loco collocarentur, quam translationem, ut redderet celebriorem, Episcopos Ravennatensem & Mutinensem una cum nostro Gualla, Bononiam ut venire dignarentur, rogavit.

Præstito hoc erga S. Patrem religionis officio, ad propria cum remigrasset ille, sibi suæque Ecclesiæ totique Galliæ Cisalpinæ consulens pacis negotia simul cum Marchione Montisferrati, qui Brixiam in eum finem petierat, studiosissime pertractavit: *eisdem diebus*, verba sunt Malvetii ad annum MCCXXXIV., *Honorandus Pater D. Fr. Gualla Ordinis etiam Beatissimi Dominici Brixiensi Ecclesiæ præerat. Hic & Marchio Montisferrati, qui etiam causa pacis, aut quæ ad statum Lombardorum negotiorum gratia agebantur, per idem tempus in Brixiana Civitate pervenerant*. Anno quoque insequenti ad suæ Ecclesiæ Clavum sedentem invenimus; quippe renovatio Societatis Ferrariensium cum Societate Galliæ Cisalpinæ sancita fuit anno MCCXXXV. *in Camera Salæ D. Guallæ Episcopi Brixiæ* (13).

Anno MCCXXXVII. Cleri mores in Oppido olim dicto Bigolii (postea translati in Urceas novas, clarum Oppidum duodevicesimo ab Urbe lapide Occidentem versus) eximia solicitudine composuit, eumque numero, dignitate censibusque

factam fuisse, & nondum pacem initam, sed dumtaxat eam factam fuisse sub ejusdem anni finem, eoque tempore Guallam creatum Episcopum: neque mirum tantis muneribus Guallam nondum Episcopum fuisse ornatum. Liquet enim ex Ecclesiæ Annalibus sine Fratrum Prædicatorum, Minorumve consilio nihil fere iis temporibus tam in sacris, quam in politicis rebus fieri consuevisse.

(11) Ughellus in Episcopis Parmen. Tom. II. pag. 176. dedit Pontificis litteras signatas Anagniæ Id. Jan. ann. VI. Pontificat. Gregorii.

(12) Sigonius Lib. XVII. de Regno Italiæ ad ann. 1233. pag. 945., & Auctor Chronici B. Umberti apud Eccardum loc. cit. pag. 70.

(13) Ita legitur in Charta Confœderationis producta a Muratorio Tom. IV. Antiquit. Italiæ pag. 331.

que auxit, atque intra domos publicis expensis excitatas, ut una degerent Canonici cæteræque Dignitates curavit, ut, divina Psalmodia statis horis distributa, supremum quotidie Numen venerarentur: quod certe ante *residentiam* a Concilio Tridentino restitutam in maximam cadit hujus Episcopi laudem: quem morem laudatissimum diligenti studio Josephi Corniani Archipresbyteri impræsentiarum efflorescere nos ipsi summa animi lætitia vidimus. Guallæ Monumentum suppeditat nobis Ludovicus Cataneus Cap. IV. Tractatus, cui titulus: *Basilicæ Urcearum Novarum*, quod nos ex illo, in Brixianis etiam Bibliothecis minime obvio, transcribimus, nonnullis tamen nominibus emendatis.

„ Reformatio Cleri Plebis Bigolii „

„ Frater Guala miseratione Divina Brixieñ. Episcopus Dilectis in Christo Filijs Archipresb. & Fratrib. Plebis Bigolij salutem in Domino.

„ Iustis petentium desiderijs, dignum est, Nos facilè prebere consensum, & vota, quatenus à rationis tramite non discordant, effectu prossequtionem complere: ea propter, Dilecti in Dño, Vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu; Facultatibus Ecclesię Vestrę diligenter inspectis: Auctoritate Dñi Papæ, qua fungimur in hac parte, & ex Nostra Pontificali provida deliberatione Statuimus, & presenti pagina observandum Decrevimus, futuris temporibus in eadem, & ipsa Ecclesia Vestra, Novenario Canonicorum numero, v3. Unius Archipresbiteri in Sacerdotio cõstituti, & trium Pręsbiterorum, & unius Diaconi, & unius Subdiaconi, & trium Clericorum exinde solummodo sit contenta, eo non obstante si olim plures fueritis in ipsa Divinis obsequijs mancipati. Ita quod prædicti Sacerdotes debeant facere continuam Residentiam in Plebe præfata, & eo solo Beneficio debeant esse contenti, non obstante quod ad præsens nõ sitis in prędictis Ordinibus constituti.

„ Obeunte vero aliquo Confratrum, Sacerdos, vel talis, qui possit, ac debeat proximè ad Sacerdotium promoveri eligatur in ea, quousque completus fuerit numerus Sacerdotum: Completo autẽ numero Sacerdotum pręfato, & „ ob-

„ obeuntibus Archipresbitero, vel eorum aliquo, vel aliqui-
„ bus, qui pro tempore fuerint in prædictis Ordinibus consti-
„ tuti; nullus assumatur loco eorum, vel eius, nisi Sacerdos,
„ Diaconus, vel Subdiaconus, vel talis, qui velit, vel possit,
„ proxime promoveri ad eum, quem is obtinuerit, Ordinem,
„ in cuius loco fuerit admittendus.

„ Vobis igitur, aut alteri Personæ non liceat huius nostræ
„ Constitutionis numerum excedere, vel augere, nisi quod
„ optamus, ipsius Ecclesiæ intantum excrescerent facultates,
„ quod plures, quam novem Canonici, ut dictum est, in ipsa
„ procurari simul possint, tam commode, quam honeste.

„ Si quis autem contra hæc venire tentaverit, indignatio-
„ nē Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, Ap-
„ pollonij, & Philastrii Confessorū eius, & Dñi Papę, ac nostram
„ se noverit incursurum.

„ Datū Brixiæ die Lunę 11. Maij anno Dñi nostri 1237.
„ Indict. 10.

„ Ego Azo Brixien. Archid. hoc privilegiū vidi, & legi, &
„ me feci subs.

„ Ego Cavalcanus Archipr. hoc Privileg. vidi, & legi, &
„ me feci subs.

„ Ego Redolfus Archipr. de Azano Can. hoc Privileg. vidi,
„ & legi, & me feci subscribi.

„ Ego Jostachus Presb. & Can. hoc Privilegiū vidi, & legi,
„ meq; subscr.

„ Ego .... Presb. Can. hoc Privileg. vidi, legi meq; sub-
„ scripsi.

„ Ego Spelta Can. hoc Privileg. vidi, atq; legi, me quoq;
„ subscripsi.

„ Ego Manfredus Can. hoc Privileg. vidi, legiq; & me sub-
„ scripsi.

„ Ego Lantelinus de Ugonib. Can. hoc Privileg. vidi, legi,
„ & me subscr.

„ Ego Lodrengus Can. hoc Privileg. vidi, & legi, & me
„ subscripsi.

„ Ego Franciscus fil. q. D. Antonij de Brusellis de Ba-
„ gnolo Public. Imperiali auct. Not. Civis, & habit. Brixię
„ pręmissā copiā supradicti Privilegii ab autent. & originali fi-
„ deliter extraxi atq; exemplavi, ideo in fidē pręmiss. me subsc.

„ cū

„ cũ atteſt. mea appoſita, & cõſueta &c.

„ Ego Dominicus Cataneus Not. & Comunit. Urc. Nov. „ Cancell. prẹſcriptum Privilegium ab autentico, utſupra, fi- „ deliter exſcripſi.

Ut aliis etiam in locis ſuæ Diœceſeos debitus D. O. M. tribueretur honos, Decreta quædam & leges ſanxit, ut colligitur ex fruſtulo Synodi Diœceſanæ a Federico Madio habitæ, quod ſuo loco producetur. Interim vero officia vigilantis Paſtoris dum Gualla exercet, longum ac perdifficile anno MCCXLII. ſubire debuit iter. Cum enim Imperator Fridericus in Regnum Neapolitanum ſe transferre decreviſſet, alios inter Ciſalpinos Epiſcopos, quos eo accerſiverat, quibuſque fortaſſe uteretur, ſive pro fœdere cum Eccleſia ineundo, ſive ob alium finem, unus fuit Epiſcopus noſter, qui una cum Bergomenſi ad S. Germanum eo in Regno pervenit menſe Aprili, ibique Imperatoris adventum expectavit (14).

Quæ hactenus de Gualla dicta ſunt, in dubium revocari nequeunt, utpote ex Monumentis probatæ antiquitatis deſumpta. Quod vero affirmatum eſt a Florentinio & Ughello (15), Guelfis nimirum, & Gibellinis Brixiæ atroci bello invicem digladiantibus, ea pacis fœdera Guallam ſcripſiſſe, quibus deliniti viſi ſunt in poſterum ab excidio Patriæ abſtinuiſſe, vereor ut ullo probato Scriptore innitatur. Verum quidem eſt, Brixiam hoc tempore duas in partes diſtractam, aliis Imperii, Eccleſiæ aliis auctoritatem ſequentibus, quorum *Guelphi* ii, *Gibellini* alii (factiones ex Germania traductæ) vulgo appellabantur, cohortationibus & dexteritate Viri ſanctitate præclari in pace fuiſſe compoſitam. At Vir hic erat quidem ex ordine S. Dominici, ſed nulla Epiſco-

 pali

(14) Hujuſmodi iter Epiſcopi noſtri non eſt ab ullo, quem ſciam, Brixiano aut extero Scriptore commemoratum, ſed non erit in poſterum ab iiſdem omittendum; certum quippe eſt, anno 1242. Fridericum II. Apuliam petiiſſe ex Muratorio ad eum annum in Annal. Tom. VII. pag. 260., eoque ut ſe conferrent, in juſſis dediſſe Epiſcopis Brixiano, & Bergomenſi. Ita memoriæ prodidit in Chronico Ricardus de S. Germano Auctor profecto magni apud Eruditos nominis; tum quia res referat ſua ætate geſtas, tum etiam quia accurate, ut neminem tam facile reperias, quem tutius ſequaris in Hiſtoria Friderici II. Auguſti, teſte Muratorio in Præf. ſuæ editionis Tom. VII. Scripp. Ital. Rer. Hic igitur Auctor pag. 1049. loc. cit. inquit: *Brixien. Epiſcopus, & Bergomen. electus vocati ab Imperatore de Lombardia in Regnum veniunt, apud S. Germanum moram facere elegerunt, expectantes ibidem Imperatoris adventum*.

(15) Qui in errorem forſan traxit & Bremond in Appendice Bullarum Gregorii IX. ad Fratres Dominicanos loc. cit. pag. 116.

pali dignitate insignitus, & appellabatur Joannes. Est enim sic apud Malvetium, cui præcipua in ennarrandis horum temporum Patriis rebus habenda est fides (16). *Iis temporibus Ven. Fr. Joannes Ordinis Beatiss. Dominici vir eruditissimus, & miræ eloquentiæ, claris vitæ moribus, ac mirabili prædicatione refulsit*. Enarrat hic præclara ejus gesta, deinde sequitur: *Brixienses quoque, qui in ea, quam nuper diximus pugna ad Ezelini manus pervenerant, ab ea captivitate absolutos esse mandavit. At iis & aliis, quæ ferendæ pacis causa gerenda videbantur peractis, omni exercitui clamare cæpit, ut damnum, quod in præliis pertulerunt ante oculos revocarent, quantusque sanguis ab utraque parte fundendus fuerat, animadverterent, obsecrans pacem, quatenus servare laborarent: si quis "postremo subjungens" quolibet tempore hanc concordiam corruperit, in Judicii die cum Juda traditore damnetur, & dies sui in luctum convertantur; fiant campi ejus steriles, nec vineæ uvas afferant, jumenta ejus deleat pestifera lues*. Quod vero insignis hic Vir non esset Episcopus, liquido constare arbitror ex iis, quæ proximo Capite Malvetius habet: *Discedentibus autem illinc cunctis Magnatibus...... idem Prædicator egregius...... in eorum Civitatem cum magna exultatione profectus est. Nam omnes Cives & Episcopus &c. ad eum concurrentes &c.*

Verum, quod caput est certæ laudis Guallæ, actuosam vitam cum rerum cælestium contemplatione jucundo vinculo conjunxit, uberrimaque utilitate coluit. Quapropter meruit eadem die atque hora, qua S. Dominicus obierat, de sui Patris ad cælum ascensu certior reddi, visione per somnum accepta, quam Fr. Jordanus in S. Dominici Vita posteris conservavit (17). Totus itaque contemplationi deditus consilium iniit Episcopales tandem infulas abdicandi, quas annos quatuordecim gesserat, sedulo ac fideliter Episcopi munere persungens. Hinc animum vertit ad Astinense Cœnobium centum circiter ab annis jam conditum, & unum prope milliare a Patria sua dissitum: locum situs amœnitate, exactaque Vallombrosanorum Monachorum observantia, & S. Pa-

(16) Pag. 904.

(17) Visio hæc digna est omni fide, propterea quod ab ipsomet Gualla se eam accepisse affirmat Fr. Jordanus primus Ordinis Magister secundum S. Dominicum, unde ratione Personæ gravioris, & a sanctitate in primis commendatæ, cui facta est, celebris habita est in Ordine, teste Eccardo sub initium Tom. I. Scripp. Ordin. Dominicani; ubi etiam S. Dominici Vitam per Jordanem conscriptam inseruit.

Patriarchæ Dominici, crebro illuc ventitantis, præſentia celeberrimum, ſuiſque conſiliis valde accommodum. Quare Bergomum profectus egit cum Abbate Alexandro, ut ſe inter Monachos reciperet, eique Ordini adſcriberet. Magna omnium lætitia Cœnobitarum, compos voti factus fuit: utque Dignitati Epiſcopi conſuleretur, peculiares quædam cellæ ædificatæ fuerunt, illique aſſignatæ cum Sacello, in quo Gualla conſecravit Aram S. Nicolai Myrenſis. Quod Sacellum ipſi vidimus, & in lapideo ſuperliminari hæc non ſine labore verba legimus: *Capella R. P. Gualla Epiſcopi*. In Monaſterium receptus ſanctiori vitæ addictus, ut difformitatem tolleret, monaſtico more veſtire, ut ſibi permitteretur, effecit. Magna ipſius in pauperes & peregrinos benignitas commendatur; eumdem ob ſingularium virtutum famam probe cognitum, Albertus de Tertiis Epiſcopus Bergomenſis in ſuum Suffraganeum cupivit: quod muneris Gualla gerens, in Baſilica D. Alexandri Aram B. Virginis conſecravit. Eidem, pietati affatim addicto, Vallis Camunorum (ut fertur) adminiſtranda committitur a Senatu Brixiano. Rei cauſſa in documentis mox citandis latet. Sed ea probabiliter fuit, ut eorum Populorum mentes, Albigenſium errorum veneno infectas, Evangelicæ Doctrinæ puritate, quam plurimis in locis, maxime vero ſua in Diœceſi, quoad vixit, diligentiſſime diſſeminaverat, ſanaret. Antequam Aſtino diſcederet ætate jam provectus teſtamentum condidit, mortem ſuam quaſi præſagiens. Quod teſtamentum rogatum anno MCCXLIV. die XIV. Auguſti vidimus in Tabulario ejus Monaſterii. Vallem Camunorum adminiſtrare aggreſſus, eodem anno, quo hanc provinciam ſuſceperat, reliquit, fato functus, ut veriſimile eſt, die V. Septembris, ut indicatur in Martyrologio Aſtinenſi (18). Poſtero anno ejus corpus Brixiani Aſtinum tranſtulerunt & tumularunt. Cui officio interfuerunt Epiſcopus Albertus de Tertiis, Cathedralis Capitulum, & Cives frequentiſſimi. Anno MDXLVI. Templum inſtauratum eſt, quo factum fuit, ut illius corpus, lignea in capſa repoſitum, collocaretur in Ara S.

R 4 Mar-

(18) Hoc Martyrologium illud ne ſit, de quo diſputatum eſt inter celebrem Joannem Lamium & P. Soldanum eruditum Valliſombroſæ Monachum, nos plane fugit. Vide Ephemerides Litteratorum Lamii, & Soldani Epiſtolam Lucæ editam anno 1751.

Martini. Anno vero MDCXXII. die XIV. mensis Novembris Abbas Angelicus Grazi illud transferendum perhonorifice curavit. Hinc reclusa capsa, caput integrum apparuit, & reliquum corporis varia in ossa disjunctum. Ibidem anulus aureus inventus, in cujus medio hæc scripta erant: *Ossa B. Gualæ Epi Brixiensis hoc loco recondita 4. Aprilis An. D. M.D.XLVI. & hic est anulus ipsius*. Venerabile depositum subter principe Ara est locatum. Post Abbas, erecto Sacello pulcherrimo Sanctis Evangelistis, Arcam sat decoram B. Episcopo paravit. Anno MDCXXIII. die XVII. Aprilis, in quem inciderat secunda Festivitas Resurrectionis, solemniter eum transtulit, magna populi caterva comitante: corpus per totam eamdem diem cultui expositum reliquit, postea deposuit in cornu Epistolæ memorati Altaris. Hæc ibi inscripta fuerunt: *Ossa B. Gualæ Episcopi hac in ara D. Angelicus posuit. Anno Domini 1623. die 18. Mensis Aprilis*. Hanc solemnitatem variis beneficiis Deus approbavit. Ut vero gratus ejus animus erga Astinense Cœnobium Lectoribus innotescat, sequens damus ex eodem Cœnobio fragmentum:

„ Millesimo ducentesimo quadragesimo quarto die tertio „ mensis Septembris Venerabilis Pater nõr ac benefactor & „ devotus hujus Monasterii Dnũs Guala Brixiensis ẽps qui de- „ dit nobis lib. CIXXXVI. imperiales & capellam suam pul- „ chram videlicet Planetam dalmaticam tunicellam camisiam „ frisciatum & Tapetum unum pluviale glaucum. duo timi- „ nalia argentea & alia duo timinalia de smalto & palium „ unum rubeum oculatum. hic elegit sepulturam suam co- „ ram altare scĩ martini in Monasterio de astino quod plu- „ rimum amavit fui enĩ vir prudens honestus curialis religiosus „ optimus predicator Pater pauperum & orfanorum. & in „ utraque curia valde famosus ac potentissimus nacione vero „ pergamensis nobili genere de parentela roniorum. Magnum „ fecit testamentum plusquam M.CC. lib. Imperialium. & „ quando obiit erat potestas de valle Camonica. tenuit cathe- „ dram pontificalem brixię anñ XIIII plus sc. de istis fuit exu- „ latus per annos quinque.

Civem fuisse Bergomatem, constans est Auctorum senten-

tia

tia (19): ex Familia vero de Romnonibus (20). At Episcopum quoque illius Ecclesiæ unus affirmat Antoninus Bremondus (21), cui tamen (pace sit tanti Viri) fidem adhibere nequeo, propterea quod ex una parte nullum ipse afferat suæ sententiæ testimonium, ex altera vero id non inveniatur in Bergomensis Ecclesiæ fastis, neque in Ughello, neque in Indice eorum, qui ex Familia S. Dominici ad Ecclesiasticas dignitates evecti fuerunt (22), quorum omnium primus noster Gualla fuit, quod ad magnum decus ei est tribuendum. Errandi occasionem sumpsit fortasse Cl. Auctor ex alio Gualla Bergomensi, ex Monacho Vallombrosano ad Infulam Bergomatem assumpto, sive quia scriptum alicubi invenit (23), Beatum Guallam Civem Bergomensem & Episcopum Brixianum multum operis atque utilitatis Bergomensi Ecclesiæ contulisse. Verum Guallam nostrum diversum fuisse ab Episcopo Bergomensi, vel ex eo patere potest, quod hic ab anno MCLXX. initiatus fuerit illius Ecclesiæ Episcopus, noster vero post LX. circiter annos Brixianam Cathedram ascenderit (24). Achilles Mutius Tetrastico haud ineleganti ejus laudes cecinit (25). Nostri autem Catalogi adnotator hæc litteris consignavit : *Guala Epūs. qui fuit de bergamo. Epūs Civitatis Brix. M.CC.XLIIII. & fuit de ordine fratrum predicatorum. & fuit sepultus ad Monasterium de Astino de Bergamo.*



LXIV.

(19) Bergomas quoque dicitur in citatis Memoriis S. Sepulchri de Astino, unde deferendus Capreolus, a quo Lib. VI. ad ann. 230. appellatur *Brixiensis*.

(20) In citatis Memoriis S. Sepulchri de Astino.

(21) Tom. I. Bullarii Dominicani pag. 26.

(22) Sub initium Tom. I. Scripp. Ord. ab Eccardo contexti.

(23) Apud Guerinum loc. cit. : *B. Gualla Civis Bergomensis, & Episcopus Brixiensis multum operis contulit, & utilitatis Bergomensi Ecclesiæ.*

(24) Consuli possunt præter Dominicanos Scriptores, Sigonius, & Spondanus in Annalibus ad ann. 1227. Hoc temporis intervallo dicitur Brixianus Episcopus in Monumentis consecrationis quarumdam Ecclesiarum Brixianæ Diœcesis quidam Laurus, qui tamen ab ipsomet Fayno rejicitur.

(25) Par. I. Theatri Illustr. Bergomensium.

LXIV.
AZZO EPISCOPUS
ANNO MCCXLIV.

ANcipites fuimus Guallæ successerit ne Azzo, an Elias quidam Robertus e Regio Lepidi; namque Faynus in Cælo Brixiano (1), consentiente Galeardo in nova Ughelli editione, dicit, Eliam Robertum ad hanc Ecclesiam regendam ingressum fuisse anno MCCXXXIX. Antiocheni vero Patriarchatus tituli ornatum de carnis ergastulo exisse anno MCCXLVII. Verum a nostri Catalogi serie ne recedamus tria hæc obstant.

I. Ex iis, quæ modo diximus probabili conjectura inferri potest, anno MCCXXIX. Guallam electum fuisse Episcopum. Cum vero certo nobis constet, annis quatuor & decem Episcopatum administrasse, consequens est, anno dumtaxat MCCXLIV. aut MCCXLV. alium ei potuisse suffici; idcirco huic Eliæ, qui suffectus dicitur anno MCCXXXIX. nullus reliquus est locus.

II. Florentinius ex Panvinio scripsit, Eliam VI. ex Latinis Patriarcham, Antiochenæ Ecclesiæ octo annis præfuisse, anno autem MCCXLVII. e vita migrasse; hinc nullum relinquitur spatium, quo sedisse dicatur in hac Sede; namque ab anno MCCXXXIX., quo supponitur electus, ad annum MCCXLVII., quo obiisse dicitur, octo dumtaxat, quibus Antiochenæ Ecclesiæ præfuisse asseritur, excurrunt anni.

III. Ex iis, quæ supra diximus, patet, Antiochenum Patriarcham sedisse Albertum nostrum supra commemoratum usque ad annum MCCXLV., aut MCCXLVI., cui subrogatus fuit Elias quidam Regiensis, & ex Familia Dominicanorum, teste Lequiennio (2) & Eccardo (3), qui tamen numquam fuit Episcopus Brixianus.

Successorem igitur Guallæ habuit Brixiana Ecclesia Azzonem. Hic Episcopalibus Infulis antequam admoveretur, ad Archi-

(1) Pag. 30.
(2) Tom. III. Orientis Christiani p. 1161.
(3) In calce Præfationis T. I. in addendis Scripp. Ord., quibus consonat citatus Bremond. T. II. Bullarii Dominic. pag. 112.

Archidiaconatus dignitatem in majori Ecclesia evectus fuerat non solum ab anno MCCXXXVII., quod constat ex ejus subscriptione ad editum Guallæ Decretum pro reformatione Plebis Bigolii pag. 259., verum etiam ab anno 1244. ipse enim utpote ea dignitate insignitus præsens fuit venditioni quorumdam bonorum, quam Mensa Canonicalis fecit Communi Brixiæ, quorum partem aliquam Civitas attribuit Fratribus Dominicanis, quibus crescente eorum numero ampliores ædes ab anno MCCXXXI. construere cœperat, completas teste Malvetio anno MCCLI. eo in loco, ubi magnificum nunc habent Templum una cum ædibus *Inquisitoris* in caussas Fidei (4). Venditionis charta hæc est ex Tabulario ipso Conventus S. Dominici deprompta.

„ In Christi nomine. Dominus Martinus de Offlaca, Mansionarius Canonicę Brixiensis, a Dominis Azone Archidiacono, Cavalcano Archipresbitero maiori, Mazorio de Sabio, Presbytero de Scarpezolo, Flamengo de Manervio, Spelta de Salodo, Iantelmo Ugonum, Azone Confanonerio, Justachio de Herbusco, & Ioderengo filio Domini Ugonis de Martinengo, Canonicis Brixiensibus, suo nomine, & pro se, ac nomine, & vice Canonicæ, & Capituli Brixiensis, missus, actor, procurator, & sindicus constitutus, ad venditionem faciendam, & datum, & cartam ipsius venditionis, & dati Communi Brixię, vel Potestati, aut eius Judicibus, vel alicui eorum, nomine ipsius Communis Brixię recipientibus; & ad pretium recipiendum, si quod restat solvendum; & ad confitendum se, nomine dictę Canonicę, & Capituli, & Canonicorum, de pretio ipsius venditionis esse solutum; & ad promittendum de evictione; & ad omnia experienda quę in prędictis, & in quolibet prędictorum, & circa prędicta, & quodlibet prędictorum necessaria fuerint: sicut patet, & apparet per publicum instrumentum inde confectum a me Benvegnuto Oxelle Notario, nomine, ac vice dictorum Canonicorum, & Canonicę, & Capituli Bri-

„ xien-

(4) Officium Sanctissimæ *Inquisitionis* Brixiæ complectebatur olim Bergomum etiam & Cremam, uti docemur verbis circumscriptis vetusto ejus sigillo, quæ sic se habent, ut sunt producta ab Astezato pag. XXXVIII. Commentarii alias a nobis citati Evangelistæ Manhelmi: ✠ SIGILLUM ✠ SACRI * OFFICII * INQUISITIONIS * BRIXIE * BERGOMI * ET * TERRE * CREME.

„ xienſis , pretio finito trecentarum librarum imperialium :
„ quas ipſe Sindicus nomine ſupraſcriptorum Canonicorum ,
„ & Canonicę, & Capituli contentus fuit, & manifeſtus ſe rei
„ veritate ,& non ſpe futurę numerationis librarum, eſſe ſolu-
„ tum a Communi Brixię ; videlicet de quadraginta ſex libris
„ imperialibus a Domino Inverardo de Salis , Maſſario Com-
„ munis Brixię , in primo medio anno poteſtarię Domini Pa-
„ gani de Petraſanćta, tunc Brixienſis Poteſtatis; & de ſuper-
„ fluo a Domino Ottebono de Tathagis , Maſſario dićti Com-
„ munis in ſecundo medio anno poteſtarię dićti Domini Paga-
„ ni: prout in libris Bonefacij Petraci, tunc Notarij dićti Do-
„ mini Inverardi; & Dulzani de Palazolo, tunc Notarij dićti
„ Domini Otteboni, continetur: renunciando omni exceptio-
„ ni non dati, & innumeratę pecunię, ſive non acceptę: tra-
„ didit, & expoſuit cartam venditionis; & datum fecit in Do-
„ minum Anzelerium Judicem , & Aſſeſſorem Domini Paga-
„ ni prędićti , tunc Poteſtatis Communis Brixię , de tota ter-
„ ra , & area , & domibus ſuperhabentibus , iuris dićtę Cano-
„ nicę , & Capituli ; quę eſſe dicitur per menſuram duo plo-
„ dia, & LXI. tabulę, & VII. pedes , & VII. uncię , vel cir-
„ ca: & iacet apud Eccleſiam Sanćti Laurentij Brixienſis a me-
„ ridie ſtratę : cui cohęret a monte , & a mane via ; a ſero
„ Carzia; a meridie habitare conſueverat Bonapax de Caſtro.
„ Qui Dominus Anzelerius recepit eam venditionem, & da-
„ tum , nomine , & vice dićti Communis Brixię. Eo vero
„ modo fađa eſt dićta venditio , ut Commune Brixię dićtam
„ terram , & aream , & domus ſuperhabentes habeat , & te-
„ neat perpetuo; & exinde quidquid voluerit faciat iure, pro-
„ prietario nomine , cum omni iure , ratione , & ađione ,
„ uſu , & honore , ad eam venditionem omni modo pertinen-
„ tibus; & cum omni iure aquę Carzię, ſecundum quod dićta
„ Canonica habebat, ſine ſupraſcriptorum Canonicorum, ſuo-
„ rumque ſucceſſorum contradićtione . Inſuper dićtus Sindi-
„ cus, nomine dićtę Canonicę, & Capituli, dedit, ceſſit, at-
„ que mandavit dićto Domino Anzelerio , recipienti vice , &
„ nomine dićti Communis Brixię , omnes rationes , & ađio-
„ nes , omniaque iura , reales, & perſonales ; utiles, & dire-
„ ćtas dićtę Canonicę, & Capitulo in prędićta venditione , &
„ pro ea competentes , & competituras ; quibus uti , & ex-
„ peri-

„ periri Commune Brixię valeat, ficut dicta Canonica, &
„ Capitulum poterant. Ad hęc ipfe Sindicus, nomine, & vi-
„ ce dicti Capituli, & Canonicę, per fe, & fuos fucceffores
„ dicto Domino Anzelerio recipienti, & poftulanti nomine,
„ & vice Communis Brixię, dictam venditionem, & datum
„ ab omni perfona contradicente cum ratione perpetuo defen-
„ dere, guarentare ftipulatione promifit, fub pęna duplę evi-
„ ctionis, ficut pro tempore fuerit dicta venditio meliorata,
„ vel valuerit in ęftimatione bonorum virorum in confimili
„ loco, ftipulatione pręmiffa: Conftituens dictam Canonicam,
„ & Capitulum fuprafcriptum hanc venditionem, & datum,
„ ficut fupra legitur, nomine Communis Brixię precario pof-
„ fidere. Quam vero poffeffionem dictus Dominus Anzele-
„ rius, nomine Communis Brixię, eidem Sindico, & per eum
„ dicto Capitulo, & Canonicę interdixit, dicens illud Com-
„ mune Brixię velle de cętero poffidere. De quo vero pre-
„ tio fuprafcripto prefati Canonici dederunt ducentas viginti
„ fex libras imperiales Domino Marchefio Cagnolo, & eius
„ fratribus pro quadam emptione ab illis fratribus facta di-
„ ctę & Canonicę, & Capitulo de terra eorum fratrum,
„ & domibus fuper habentibus, quam ipfi habebant in clau-
„ furis Brixię, ubi dicitur Ad lavellos; & triginta tres libras
„ imperiales Magiftro Onfado de Celatica, & Celaticę eius
„ fratri pro quadam fua domo, & terra cum ea domo tenen-
„ te, ab eis venditis prędictę Canonicę, & Canonicis in loco
„ Celaticę, refiduum vero converfum effe ibi dicebatur in uti-
„ litatem dictę Canonicę per dictum Sindicum, & per Cano-
„ nicos inferius fcriptos: Quam autem emptionem fecit no-
„ mine dicti Communis Brixię dictus Dominus Anzelerius
„ de voluntate Brixienfis Confilij Generalis, caufa eam, qua-
„ liter fupra legitur, conferendi, & concedendi pro Commu-
„ ni Brixię Fratribus Prędicatoribus, Brixię commorantibus,
„ ad habitandum, pro loco uno ibidem, ad honorem Dei, &
„ Sedis Apoftolicę, ac Brixienfis Ecclefię, conftruendo. Quę
„ venditio ęftimata fuit pretium fuprafcriptum trecentarum
„ librarum imperialium per Dominos Petrum Villani, Oddo-
„ nem Advocatum, Ottebonum de Rethuldefco, Arditionem
„ de Pontecarali: Guilielmum Marantam de Bocardis, Tan-
„ getinum de Tangetinis, Rambaldum de Ugonibus, Ma-
„ nuel-

,, nuellum de Madio, sacramento adstrictos per iam dictum
,, Dominum Paganum, tunc Brixiensem Potestatem, ęstimandi
,, bona fide venditionem suprascriptam, factam a dictis Ca-
,, nonicis, seu a dicta Canonica, sive a prędicto eorum Sindi-
,, co, Communi Brixię, seu dicto Domino Anzelerio pro ipso
,, Communi Brixię, qualiter superius declaratur. Quę vero
,, venditio facta est in dicto Domino Anzelerio prędicto mo-
,, do, pręsentibus, confirmantibus, & approbantibus omnia
,, suprascripta Dominis Azone Archidiacono, Cavalcano
,, Archipresbytero, Mazorio de Sabio, Presbytero, Justachio
,, de Herbusco, Azone Confanonerio, Iantelmo de Ugonibus,
,, Spelta de Salodo, Canonicis Brixiensibus.

,, Actum est hoc in Curia Canonicorum Brixię, die
,, Sabbati, undecimo intrantis Novembris, anno Domini
,, MCCXXXIV. Indict. VII. Interfuere Dominus Marchesius
,, Cagnolus, Iafrancus de Cruce, Notarius, & Magister On-
,, sadus de Celatica, testes rogati.

,, Ego Benvegnutus quondam Johannis Oxelle, Sacri Pala-
,, tij Notarius, interfui, & rogatus scripsi.

Sed & ex Placito, in Cavalcano de Salis, ejus in Brixiana Cathedra Successore, proferendo, constabit, in eadem Dignitate perseverasse ad annum MCCXL. Porro ut ea referamus Azzonis gesta, quorum memoriam oblivio non delevit, confirmavit Fratribus Humiliatis sua præsentia anno MCCXLVI. emptionem quorumdam bonorum secus Torrentem Garziam, quæ erant Ecclesiæ S. Faustini ad Sanguinem. Authographum emptionis Monumentum, quod a laudato Doneda accepimus, in lucem proferimus.

,, In Xpī nōie die martis penultimo mensis Januar. in ca-
,, mera dñi Azonis dei grā Brixieñs Epī. presentia dñi stefani
,, de Ello clīci de Oriano & frīs Vidonis & frīs Jōhini de or-
,, dine frm̄ humiliatorum tt.. ℞. Ibi dñus Azo dei grā Brixieñ
,, Epūs nōie ecclē scōrum martirum faustini & jovitte ad san-
,, guinem presente & consentiente dño frē Arico Golte procu-
,, ratore dicte ecclē investivit frēm Johēm de Contegnaga mi-
,, nistrum colegii domus humiliatorum de Contegnaga de tri-
,, bus tabulis terre ortive in uno tenente iuris dicte ecclē que

,, terra

„ terra iacet extra portam porta matulfi civitatis Brixie pro-
„ pe caziam. Cui a mane hrēs fabati a monte ingreffus &
„ aquaductus frm̄ a meridie emptores . . . .
„ folvendo annuatim in fcō Martino vel in octava nōie ficti
„ pro ffa terra per fe fuofque fucceffores vel fuum certum
„ miffum dicte ecclē five dnis & officialibus dicte ecclē five
„ confrībus aut fuo certo miffo. XVIII. īp. vel duplum bonor.
„ mēza. fub pena dupli ficti &c.
„ Actum eft hoc A. D. MCCXLVJ. Indic. Quarta
„ Ego Bartolameus condam ālbti fcī nōt. interfui & R.
„ hanc cartam fcripfi.

Commemoratis in exhibito Monumento Fratribus Humiliatis, etfi plura effent in Agro Brixiano prædia & monafteria, locum tamen nancifci non potuerant, ne in ipfis quidem Urbis pomœriis: Verum cum S. Dominici Alumni Ecclefiam S. Fauftini ad Sanguinem, ut fupra dictum eft, reliquiffent, nullum non moverunt Humiliati Fratres lapidem, ut ipfi in Dominicanorum locum fufficerentur; hinc, finitimis laudatæ Ecclefiæ prædiis coemptis, a Summo Pontifice Innocentio IV. commendatitias obtinuerunt epiftolas ad Azzonem Epifcopum, qui acquifitiones prædiorum ab ipfis factas comprobans, Ecclefiæ tamen poffeffionem nunquam adduci potuit, ut ipfis concederet.

Prope Oppidum Montis-clari duodecimo ab Urbe lapide, meridiem verfus, monafterium erat Canonicorum Regularium, quod Canonicis poftea deftitutum Cœnobio S. Salvatoris, hodie S. Aphræ, unitum fuit: ex eo accerfivit Azzo unum ex illis Canonicis Sacerdotibus, cui traditam voluit fupradictæ Ecclefiæ curam.

Ad peculiarem hujus Paftoris laudem referri debet, quod, fuorum Prædecefforum inftar Mayfredi, Raymundi, Joannis Flumicelli, atque Joannis de Palatio, Monafterio de Manerbio proventus, latifundia, juraque omnia non folum ampliffime rata voluit, verum etiam novis cumulavit beneficiis & muneribus; etenim fuburbanam S. Felicis Ecclefiam, in quam deinde anno MCCIC. ejufdem Monafterii Moniales translatæ funt, una cum omnibus cenfibus & privilegiis, eidem tradidit, ab omni liberam vectigali, farto dumtaxat tectoque Monafterii regimine, quod Raymundus, cæterique Epifcopi fibi refer-

reservarant ; imposito insuper canone duarum ceræ librarum pro novæ Ecclesiæ S. Felicis acquisitione , sibi suisque Successoribus solvendo. Chronica Diplomatis nota sic se habet : *Datum est hoc confirmationis privilegium sub M.CC.L. Indict. VIII.* Integrum monumentum authographum una cum sigillo cereo rubri coloris, in cujus medio insculptam vidimus Episcopi imaginem , ejusdemque legimus nomen ita circumscriptum : AZZONIS, servatur in citato Archivo Monasterii S. Mariæ de Pace, quodque hoc loco subjungimus .

„ Azo de Turbiado Miseratione Divina Brixiens Epūs Di-
„ lectis in Xpō filiabus Finie Abbatisse Monasterii Sancte de
„ Manervio Marie eiusque Sororibus regulariter viventibus
„ Salutem in eo qui omnibus dat Salutem. Iustis petentium
„ desideriis dignum est nos facilem prebere consensum & vota
„ quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente
„ complere. Quapropter dilecte in Dño filie iustis vestris po-
„ stulationibus grato concurrentes assensu personas vrās, & lo-
„ cum in quo divinis estis obsequijs mancipate cum ōibus bo-
„ nis que in presentiarum rationabiliter possidetis & in poste-
„ rum iustis modis permittente dño poteritis adipisci sub bea-
„ torum Apollonii & Filastrij Confessorum & nostra spāli
„ protectione suscipimus & pñtis Scripti patrocinio commu-
„ nimus in quibus hęc spālibus duximus vocabulis exprimen-
„ da. Videlicet (*hic enumerantur bona in Joannis privilegio de*
„ *anno MCLXXXVIII. recensita & alia postea acquisita vel eidem Mo-*
„ *nasterio largita, ut apparet ex verbis sequentibus Diplomatis*) quæ
„ vobis & Monasterio Vestro Venerande Memorie predecessores
„ Nostri Brixienses Epī. Mayfredus Epūs. Raymundus. Johs
„ de flumicello. Johs de pallatio contulerunt. fecerunt & sta-
„ tuerunt prout in eorum privilegijs plene continetur . ea &
„ ipsa privilegia omnia ratificamus . & nobis nostrisque suc-
„ cessoribus ac ipsi Monasterio auctoritate qua fungimur con-
„ firmamus & statuimus perpetuo possidenda excepto quod
„ annuatim nobis duas libras cere nostrisque Successoribus per-
„ solvere debeatis. Ad hęc quoque Nos qui licet non bene
„ pij tamen in domino pia loca diligimus . & bene meritas
„ personas libenter honoramus inventas in favorem religionis
„ ac vite laudabilis honestatis Monasterii pensate commodo &

„ no-

„ nostro aliquid adiicere cupientes Ecclesiam Sancti Felicis
„ Brixien. ab omni Cathedratico ac Synodalis obedientię pre-
„ statione seu exactione liberam & penitus absolutam cum
„ omnibus que possidet vobis & Monasterio vestro auctoritate
„ Pontificali & fratrum nostrorum consilio ac assensu pro no-
„ stre ac nostrorum predecessorum remedio animarum uni-
„ mus damus confirmamus & hoc privilegio spetiali commu-
„ nim''s. Porro regimen & ordinationem ipsius Monasterij no-
„ bis nostrisque successoribus penitus reservamus. Nulli ergo
„ omnino hominum nostre ditioni subiecto liceat hanc pagi-
„ nam nostre Unionis atque confirmationis infringere vel ei
„ ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare
„ presumpserit indignationem Omnipotentis Dei & beatorum
„ Appolonij & Filastrij confessorum eius ac nostram noverit
„ se graviter incursurum Amen.

„ Datum est hoc Confirmationis privilegium sub M.CC.L.
„ Indictione Octava per manum Magistri Johannis de Pon-
„ tollio Archipresb, Plebis de Trenzano Brixien. Diecesis

„ Ego Obertus de pontecarali Archidiacon. Brixien.

„ Ego Cavalca. de Salis Archipbr. Brixien. Ecclesie
„ Ego Jostachus Prepositus & Sacerdos Brixien. Ecclesie } hoc privilegium vidimus & legimus & nos subscribere fecimus.

„ Ego Lanfrancus de Pallatio Canonicus Brixien.

„ Ego Johs de Brembio Canonicus Brixien. Ecclię hoc privilegium vidi & legi & me subscribi feci

„ Ego Lotherengus de Martinengo Vicedominus Brixien. hoc privilegium & legi & vidi & me subscribi feci.

„ Ego Spelta de Salodo Canonicus Ecclię Brixien.

„ Ego Lamfrancus de Bagnolo Canonicus Brixien. hoc privilegium vidi & legi & me subscribere feci.

„ Ego Bartholameus de Camegnono Canonicus Brixien. hoc privilegium vidi & legi & me subscribere feci.

„ Ego Martinus Kizola Canonicus Brixien. hoc privilegium vidi & legi & subscribere me feci.


„ Ego Azo Confanonerius Canonicus Brixien. hoc privilegium vidi & legi & me subscribere feci.

„ Ego Redulfus Archipbr. de Azano Canonicus Brixien. hoc privilegium vidi & legi & me subscribi feci.

S „ Ego

„ Ego Dunipertus Presbr. Canonicus Ecclĩe Brixien. hoc
„ privilegium vidi & legi & me subscribere feci .

Præter hæc nihil aliud de hujus Episcopi gestis deprehendere potuimus, nisi quod mense Martio anni MCCLI. primum jecerit lapidem exædificando Humiliatorum Monasterio dicto *de Gambara*, nunc S. Mariæ Magdalenæ, duodevicesimo ab Urbe lapide: sepulturam accepit in S. Petro Majori, anno MCCLIII. die XVIII. Octobris. Tottus habet: *in festo S. Luciæ*, sed hinc perturbatur nostrorum Præsulum chronologia; propterea quod S. Luciæ festum incidere nequeat in Octobris mensem, quo Azzonem obiisse omnia Monumenta testantur. Reipsa dies decimusquartus exeuntis Octobris, numerando scilicet retro a postrema mensis die, est dies decimusoctavus exeuntis Octobris: numerando, inquam, a postrema mensis die, qua currebat Littera Dominicalis E, quæ plane incidit in Sabbatum, qui mos numerandi haud insolens est in medii Ævi monumentis. Unde error apud Tottum illapsus unius voculæ *i* abrasione facile tollitur, legendo *Lucæ*, loco *Luciæ*; quod confirmamus hisce verbis Adnotatoris nostri Catalogi: *Azzo de Turbiado epūs civitatis brixie, & sepultus est die Sabati XIIII. octubris in Ecclesia majori sancti petri de domo MCC.LIII.*



LXV.

L X V.

CAVALCANUS EPISCOPUS
ANNO MCCLIII.

MOrtuo Azzone, Cavalcanus de Salis ad Episcopalem hanc Sedem promotus fuit. Dignitate Archipresbyterali majoris Ecclesiæ fungebatur, jam ab anno MCCXXXIV., quo *Canonicæ & Capituli Brixiensis* nomine quemdam cum *Communi Brixiæ* Contractum firmavit, cujus notitiam præbet Monumentum in Azzone editum: eamdem ipse Dignitatem anno MCCXXXVII. administrabat, ut colligitur ex privilegio Guallæ pro Clero Bigolii, quod hac subscriptione firmavit: *Ego Cavalcanus Archip. hoc privilegium vidi, legi, & me feci subscr.* Sed & labente mense Aprilis anni MCCXL. in ejusdem Dignitatis muneribus exercendis occupatum fuisse, evincit Monumentum ea nota chronica signatum, quo auctoritate Gregorii de Montelongo Apostolicæ Sedis Legati composuit controversiam inter FF. Dominicanos Ecclesiam olim SS. Faustini & Jovitæ ad sanguinem incolentes, & ejusdem Ecclesiæ Rectores pro expensis in ejusdem Ecclesiæ restaurationem factis. Non ingratum erit eruditis Brixianis integrum legere typis impressum Monumentum ex citato S. Dominici Archivo depromptum; cum non tantum fidem faciat Dignitatis & virtutis hujus Cavalcani, sed etiam plura nobis exhibeat, quæ tunc temporis in usu erant, quæque ad illustrandam Ecclesiasticam Brixianam Historiam aliquid utilitatis afferre possunt.

„ In Christi nomine, die Sabbati decimo, exeunte Aprile, „ in Canonica Brixiensi, præsentia Domini Azonis Archidiaconi Brixiensis, & Domini Redulfi Archipresbyteri de Azano, & Domini Prę. Presbyteri, & Domini Iantelmi Ugonum, & Domini Iafranci de Palatio, & Domini Ioterengi, „ Canonicorum Brixię, nec non & Domini Bonefacij Prępositi Sancti Salvatoris, & Domini Thethaldi Prępositi Sancti „ Ale-

„ Alexandri, & Domini Alberti Pręposíti Sancti Joannis de „ foris, testium rogatorum. Ibi Dominus Cavalcanus Archi- „ presbyter Brixiensis, auctoritate Domini Gręgorij de Mon- „ te longo, Apostolicę Sedis legati, qua in hac parte fun- „ gebatur, prout in litteris ipsius Domini legati, eius si- „ gillo munitis a dicto Domino Archipresbytero, ibi vi- „ sis, & lectis, audientibus, & videntibus Dominis su- „ pradictis: Cognito per magistros, & alias personas super „ expensis a Fratribus Prędicatoribus Brixiensibus in labo- „ rerijs, & ędificijs per eosdem factis ad Ecclesiam Sancti „ Faustini ad sanguinem; & illis expensis visis, & diligenter „ examinatis; summa quarum expensarum ascendebat in tre- „ centis libris imperialibus, prout dixerunt: pronunciavit „ Dominum Aricium Gottrum Notarium, & Procuratorem „ dictorum Fratrum Prędicatorum Brixiensium; & per eum „ dictos Fratres Prędicatores fore creditores in bonis, & posses- „ sionibus, & redditibus dictę Ecclesię Sancti Faustini, & de- „ nariis, quos dicta Ecclesia exhibere debebat pro circa Bri- „ xię facienda, in ducentis libris imperialibus; & ut sibi satis- „ faciant in dictis bonis, possessionibus, & redditibus dictę „ Ecclesię, & denarijs suprascriptis usque ad prędictam quan- „ titatem ducentarum librarum imperialium.

„ Actum est hoc anno Domini MCCXL. Indictione XIII.

„ Ego Bartolameus quondam Alberti Sancti, Notarius „ interfui, & rogatus hanc cartam scripsi.

Hujus haud exigua laus illa eluxit, quod Brixiani Epi- scopatus administratione dignus visus sit Romano Pontifici Innocentio IV., dum ex Gallia rediens, Januam appulsus Brixiam venit anno MCCLI., & Cavalcanum, Civibus an- nuentibus, Patria Infula condecoravit. Licet autem Floren- tinius & Ughellus affirment, Cavalcanum ad hujus Eccle- siæ fastigium evectum fuisse anno MCCLIII., vapulat ta- men uterque a Galeardo in notis ad Ughellum. Contendit enim eruditus Canonicus, Cavalcani electionem duobus an- nis retrahendam esse, eo quia Innocentii in hanc Urbem ingressum refert Sigonius (1) ad annum MCCLI., quam epocham confirmat Galeardus Diplomate ejusdem Pontificis, quod

(1) De Regno Italiæ Libro XIX.

quod dicitur datum Brixiæ per manum *Magiſtri Marini S. R. E. Vice-Cancellarii XII. Kal. Octob. Indict. IX. Anno Dom. Incarn. M.CC.LI.* (2). Quam ego epocham confirmare poſſem, ſi ratio operis exigeret, aliis Monumentis, cujuſmodi eſſet illud deſumptum ex veteribus Mutinenſium Annalibus (3), & ex Malvetio pag. 290., quibus addi poſſet Muratorius, qui in menſem ejus anni Septembrem hunc adventum incidiſſe ſcribit in Annalibus ad annum MCCLI. (4). Mihi vero utramque componere poſſe videor ſententiam, ſi dixero, Cavalcanum anno MCCLI. ab Innocentio Pontifice Brixiæ tunc verſante potuiſſe deſignari Azzonis Suffraganeum, vivente adhuc Azzone, vel quia ſenio laborabat, vel alio impedimento detinebatur; ex una etenim parte in dubium nequit revocari, anno dumtaxat MCCLIII. die XVIII. Octobris Azzonem obiiſſe, teſte probatiſſimo noſtri Catalogi Adnotatore, iis verbis in Azzone recitatis: ex altera vero inſolens haud erat eligendorum Suffraganeorum conſuetudo; præter enim exempla, quæ in Epiſcopis noſtris Armanno, Villano & Mayfredo attulimus, præclarum ſuppeditat ejuſdem rei exemplum Sigonius in Octaviano Ubaldino, qui anno circiter MCCLXI., vivente adhuc ejus Anteceſſore Jacobo, electus fuerat Bononienſis Epiſcopus (5).

Cæterum, ut Cavalcani præclara geſta enarrare incipiamus, *erat hic de generoſa progenie Civium de Salis, vir bonitate præcipuus*, teſte Malvetio, *ſacrarum Scripturarum dogmate ſufficienter inſtructus* (6). Quapropter non eſt mirum, ſi a Romano Pontifice, cui, ſi fides Capreolo (7), jampridem Romæ innotuerat, Epiſcopalem Dignitatem acceperit. Sed temporum infelicitas, quæ, eo ſumma rerum Eccleſiaſticarum potiente, Urbem vehementer afflixit atque quaſſavit, impedimento fuit, quominus præclariora ederet facinora. Namque anno MCCLVI. *inſtigante Ezzelino impuriſſimo Tyranno adeo gravis rixa, odiumque in Civitate inſurrexit, ut pars una Populi in alteram manum levaret; adhærentes enim Imperiali ſeu Ezzelinæ factioni* (8), *adverſus amicos partis Ec-*

 cleſiæ

(2) Tom. II. Bullar. Caſin. pag. 260.

(3) Tom. II. Rer. Italic.

(4) Tom. VII. pag. 299.

(5) Lib. III. de Epiſc. Bononien. Tom. III. pag. 438.

(6) In Chron. Brixian. loc. cit. pag. 925.

(7) Lib. VI. pag. 104.

(8) Iſtæ partium Imperialium factiones etiam ante hunc annum graſſabantur in Urbe, & huc ſpectare arbitror, quod refert Mat-

clesiæ mense Martii insurgentes, quosdam ex eis gladiis extinxerunt, alios variis ærumnarum generibus afflixerunt, electo in suum Principem Griffo de Griffis. Sed anno proxime sequenti exhortatione pariter & præcepto Legati Sedis Apostolicæ (Philippi Archiepiscopi Ravennat.) *Frater Enverardus de Ordine Prædicat. Vir Venerabilis Griffolinum Brixiæ Potestatem, & alios Optimates ita dulci & facunda eloquentia mitigavit, quod illi, qui de parte Ecclesiæ fuerant vinculati, a vinculis absoluti, & suis sunt Possessionibus restituti. Ita suo dulci colloquio Brixiensium animos reconciliavit, quod ipsi firmiter promisere, se more solito in devotione Ecclesiæ permansuros; cumque hoc Ezzelino nunciatum fuisset indignatione pariter & furore succensus mox Griffo suisque amicis persuasit, ut quos nuper receperant, nullo modo in Civitate permitterent. Igitur pars Ezzelinæ factionis mendax promissionis, quam in Legatum Summi Pontificis habuerat, rursus cæteris concionibus insidias tentavit ingerere, & Ezzelinum ad dominium Civitatis Brixien. sublimare, quo comperto, partes Ecclesiæ contra illos subito arma convertunt, sed cum pars Ecclesiæ ad Olii ripas victa eversaque fuisset, Antistes cum Sacerdotibus cæterique Cives, qui in Civitate remanserant, Griffum secundo in Principem statuunt.* Porro narrationem istam, partim ex Chronico Monachi Patavini (9), partim ex Malvetio (10) exscribere, operæ pretium arbitrati sumus, ut viam nobis sterneremus ad evincendum, nullo satis probato Scriptore affirmatum fuisse a Florentinio & Ughello, ipsomet annuente Galeardo, nostrum Episcopum Cavalcanum pridie Calendas Septemb. an. MCCLVIII. apud Gambaram, una cum Philippo Ravennæ Archiepiscopo, Legato Sedis Apostolicæ, in conflictu ab Ezzelino Tyranno captum, vinctum & per publicas Urbis vias raptatum, & denique in exilium ejectum. Harum enim ærumnarum non solum nihil

Matthæus Parisius in additamentis Historiæ majoris pag. 193.; Nimirum Conradum Regem Siciliæ Friderici II. Imperat. filium, qui obiit anno 1254., cum accusatus fuisset ad Summum Pontificem Innocentium, quod Hæreticis faveret, ita se per Procuratorem coram Summ. Pontif. purgasse: *Semper persecutus est Dominus Rex hæreticos quarumlibet Sectarum in Alemannia, quamdiu moratus est ibi, & postquam venit in Regnum: & paratus eos persequi tam in Lombardia, quam alibi, tamquam Princeps Catholicus, & Christianissimus. Dolens quamplurimum, quod non potest eos persequi cum effectu in partibus Lombardiæ, sed ut constat publice toti mundo, Mediolani, Brissa, & Mantua prædicatur publice hæresis, quia salva reverentia Præsidentis, dicuntur Ecclesiæ Filii speciales.*

(9) Ad annum 1257. Tom. VIII. Rer. Ital. pag. 696.

(10) Loc. cit. pag. 923.

hil invenio commemoratum penes eos Scriptores, qui cædem ab Ezzelino exercitui confœderato illatam, atque Legati Pontificis, una cum Gerardo Cozzarocha electo Episcopo Veronensi, captivitatem accurate in Collectione rerum Italicarum posteris consignavere: verum etiam eæ pugnant omnino cum eodem Malvetio, ex quo habemus, Episcopum nostrum ab eo certamine apud Gambaram inito abfuisse; atque in Urbe una cum Sacerdotibus remansisse (11), ubi communi consilio Griffum & nonnullos alios e carceribus eripuerunt, eumque rursus Urbis Principem statuerunt. Sed cum novus Princeps Ezzelinum in Urbem recepisset, Episcopus & Sacerdotes opinantes, sibi ejus crudelitatem fore intolerabilem, confestim fugam inierunt; hinc aliis alio dispersis, Episcopus Luerem (12) se recepit, ubi excedens e vita anno MCCLXIII. (13) sepultus est in Ecclesia D. Georgio sacra: in cujus parte postica aliqua ego vidi syllabarum signa, pene obliterata, utpote marmore haud lævi insculpta, quibus, fama est apud oppidanos, hujus Episcopi mortem posteris consignatam fuisse. Reipsa eo loci obiisse, dubitare non sinunt hæc ad nostrum Catalogum adnotata verba: *Cavalcanus de Salis venerabilis epūs brix. sedit ann̄. VIII. qui fuit ejectus a pessimo Ezelino & jacet in Ecclesia Sancti Georgii de loare*.

Animadvertere placet, Capreolum argui anacronismi a Galeardo loc. mox laud. hisce verbis: *cladem ab Ezzelino exercitui fœderato illatam consignant in annum MCCLVIII. Blond. Foroliv. Decad. II. Lib. VIII., Sigon. Lib. XIX. de Regn. Ital., & Campius Lib. III. Historiæ Cremonen., male autem omnino Capreolus Lib. VI. Hist. Brixien. Episcopum nostrum ab Ezzelino captum recenset ante adventum Innocentii IV., cum totum septennium intercesserit ab ejus adventu ad Cavalcani captivitatem*.

(11) Sunt hæc Malvetii verba pagin. 926. (postquam retulerat Ezzelinum Brixianorum copias ad Gambaram prostravisse, & Philippum Rom. Ecclesiæ Legatum, aliorumque illustrium Virorum multitudinem copiosam sorte captivitatis abduxisse): *Postera ergo die Cavalcanus Antistes cum Sacerdotibus, cæterique Cives, qui in Civitate remanserant, omnes communi consilio Griffum, & nonnullos alios a carceribus eripiunt. Verum hoc in suam perniciem*.

(12) Luerus in Tabulis Antonini dictus Leuceris vetustissimum Oppidum triginta admodum millia passuum ab Urbe distans, Ripariæ occidentalis ad Lacum Isei, vulgo Sebinum, facile princeps, sive amœnitatem situs, sive Populorum frequentiam, claritatem sanguinis, divitiarum, commerciique abundantiam consideres.

(13) Ita est in Totti Catalogo: *mortuus est anno 1263. mense Januario*.

Verum nullum invenio Cavalcani captivitatis, apud Capreolum, vestigium; affirmat quidem ipse, loco a Galeardo citato (14), Episcopum Brixianum ductum fuisse captivum ab Ezzelino, sed credibile non est, ob oculos habuisse Cavalcanum; etenim illius electionem per Innocen. IV. factam collocaverat post Ezzelini obitum (15). In eo igitur situs mihi videtur Capreoli anacronismus, quod septem annis, antequam acciderit, Ezzelini adversus Brixianos victoriam posuerit: quodque etiam, contra aliorum Scriptorum fidem, universas Ezzelini res narraverit; ad Cavalcani vero captivitatem quod attinet, prorsus, mea sententia, absolvendus.


LXVI. & LXVII.
UBERTUS ET MARTINUS EPISCOPI
ANNO MCCLXIV.

Post Cavalcanum recensetur in nostro Catalogo Martinus. Verum Cavalcani in hujus Ecclesiæ regimine successorem fuisse Ubertum Placentinum, Marchionis Pellavicini nepotem, ne dubitemus, facit auctoritas cæterorum omnium catalogorum cum mss. tum editorum, quibuscum convenit Malvetius in hæc verba: (1) *Iis diebus honorandus Pater Cavalcanus de Salis ab humana vita sublatus est, cujus loco Ubertus de Placentia, genere Nobilium de Fontana, faciente Marchione Pellavicino, substitutus est*. Post quæ verba nihil prorsus habetur apud Malvetium, & Capreolum de Episcopis nostris, usque ad Berardum Madium, qua occasione notatur annus emortualis Martini; quamobrem dubia mihi est fides Florentinii affirmantis, eximio Uberti studio sedatas fuisse vehementes concertationes, quibus varias in partes distracta Urbs æstuabat. Hanc enim gloriam Malvetius (2) tribuit Raymundo de la Turre Cumano Episcopo (3), Neapolioni & Francisco

(14) Pag. 161. Hist. Brixianæ.
(15) Pag. 104.
(1) Loc. cit. pag. 938.
(2) Loc. cit. pag. 943.
(3) Scilicet, Fratri Thomæ de Leontino Siculo Ordin. Prædicator., viro sanctimoniæ,

cisco Mediolanensium Ductoribus. Cum igitur Ubertus fultus factione Marchionis Pellavicini, qui Ezzelino vita functo Brixianarum rerum potiebatur, hanc Sedem neque electus a Populo neque sacratus a Rom. Pontifice invasisset, diris fuit a Summo Pontifice Urbano IV. devotus. Curatum deinde est, ut Ubertus hanc Sedem sponte relinqueret, ut Martino, quem Populus sibi asciverat, Urbanusque Pontifex consec·averat, liber esset locus suæ Ecclesiæ pacifice moderandæ. Morem igitur gerens Rom. Pontifici Ubertus, fuit ab eodem anno MCCLXXIII. absolutus, atque permissus redire ad Præposituram Ecclesiæ de viculo Placentinæ Diœcesis, ubi paullo post decessit (4).

Hinc Martinus hujus Ecclesiæ curam iniit, in eaque sedentem die XIV. Septembris anno MCCLXVI., & anno MCCLXXII. ostendunt citata œconomicæ Cancellariæ Episcopalis Regesta: & Constitutiones in suæ Diœcesis utilitatem constituisse, patet ex Charta in Federico Madio edenda. Concilio Lugdunensi II. dicitur interfuisse, sed nullam in illius Concilii Actis invenire potuimus Episcopi hujus mentionem. Anno MCCLXXV. obiit, teste Malvetio (5), & fuit humatus in Ecclesia majori, ut habet Adnotator nostri Catalogi his verbis: *Martinus Episcopus Brixiæ, qui jacet in Ecclesia S. Mariæ Majoris in Sacello dicato S. Silvestro, quod ipse construi curaverat, diviteque censu ditaverat.*



LXVIII.

niæ eloquentiæque laude florenti, atque ab Urbano IV. misso ad componendos Cremonensium animos, quod liquet ex ejus Pontificis Epistola Cremonensibus data Viterbii VIII. Calend. Febr. anno III. sui Pontificatus.

(4) Hujus rei notitiam hausit Ughellus ex Epistola Gregorii inscripta Uberto II. Idus Martii ann. III. sui Pontificatus Lugduni, quam Bullam ex Regesto Vaticano integram dedit Campius P. II. Historiæ Placentinæ pag. 467.

(5) Loc. cit. pag. 951.

LXVIII.
BERARDUS EPISCOPUS
ANNO MCCLXXV.

MArtino vita functo, electionem Successoris Clerus demandavit Arbitris (1), qui uno consensu Berardum Madium elegerunt Septembri mense ejusdem anni, quo Martinus obierat. *Anno MCCLXXV.*, verba sunt Malvetii, *subtracto a rebus humanis Martino*, (2) *Brixiensis Ecclesiæ Antistes Berardus Nobilium de Madiis genere oriundus, vir eruditissimus, & ampla memoria dignus ejus loco substitutus est mense Septemb.* Is & antiquitate generis, & gloria Majorum, & excellentia ingenii clarus, regimine Ecclesiæ suscepto, nihil habuit antiquius, quam omnibus nominibus eam reddere splendidiorem. Cum præclara valeret regiminis & Ecclesiastici, & civilis gratia, ejus propria laus fuit, quod omnium primus nomine, & re Marchio, Dux, & Comes suæ Patriæ nominari, & esse meruerit (3). Ut securior assertioni nostræ fides accedat, placet subnectere chartam ex citato Monialium B. M. V. Angelorum Archivo depromptam:

„ In Xpī nomine die Martis quartodecimo intrantis Aprilis „ loco Mandi ante domum Martini Notarij præsentibus Gabriello de Portellis . . . . . ibi Dominus perjacobus presbyter ecclesiæ Sanctæ Brigidæ Civitatis Brixiæ dedit, porrexit, repræsentavit, & legere fecit Domino Tancredo de Adamis Consuli Communis de Mando unam literam sigillo „ Domini Episcopi cujus tenor talis est. B. Dei gratia Episcopus Brixiæ, Marchio, Dux, & Comes Consulibus, & „ Com-

(1) Compromissi tabulas signatas die Sabbati 21. mensis Septembris anni 1275. ex Chartulario PP. Congreg. Oratorii Brixiæ dedit Galeardus in notis ad Ughellum pag. 548. quo ex Monumento constat, eo tempore in hac Urbe morem viguisse accersendi ad Episcopi electionem Monachorum Abbates, Rectoresque Ecclesiarum, etiam extra Urbem, populo tamen non accito. Universum autem Collegium selegit sex ex convocatis, quibus fecit eligendi Episcopi facultatem.

(2) Loc. cit. pag. 951.

(3) Honorium nostrum Episcopum exornatum fuisse ab Imperatore hisce titulis, tradit Capreolus, uti adnotavimus in Commentario de eodem, simulque Capreoli sententiam impugnavimus: illis se nominat titulis Berardus in Monumentis etiam citandis, iisque usi sunt cæteri Successores.

„ Communi de Mando; singularibus personis tam nobilibus „ quam prophanis eidem loco salutem in Dño. Tenore præsentium vobis sub pœna excomunicationis præcipiendo mandamus quatenus per jacobum presbyterum ecclesiæ S. Brigidæ „ Civitatis Brixiæ non debeatis impedire nec molestare de bonis, terris, & possessionibus suis, quas habet, & ei pertinent, & consenserit habere, & possidere ipse, & Successores „ sui in terra & territorio de Mando, & maxime de illis possessionibus, quas tenebat tempore dicti domini Franceschi „ de latere, salvo siquis contradicere voluerit octavo die a „ præsentatione præsentium compareat coram nobis plenam „ justitiam habere.

„ Dat. Brixiæ sexto Aprilis millesimo ducent.^mo^ nonag.^mo^ „ tertio, indict. sexta. & hæc nedum &c.

„ Anno Domini millesᵐᵒ ducent.ᵐᵒ nonag.ᵐᵒ tertio Indi- „ ctione sexta.

„ Ego Bonhomus de Mando Notarius Sac. Pall. his interfui rogatus, hanc cartam scripsi.

Ad tantum decus eum ita pervenisse, affirmat Ughellus: *Patria Principatum arripuit, Ducis, Marchionis, Comitisque titulis congestis, ut facto sua honestas dignitasque non videretur deesse, cum prius Guelphos inimicos cum Thebaldo illorum Duce compulisset in exilium.* Sed rem aliter contigisse, publica hæc testantur Civitatis monumenta per Malvetium (4) posteris consignata. Ardebat Urbs assiduis Civium Populique inter se dissidentium bellis, partim Guelphæ, partim Gibellinæ parti faventium cum victores tandem Guelphi consilium inierunt tantis damnis finem imponendi, quapropter revocatis ad proprios lares civibus expulsis, multisque habitis pro pace ineunda orationibus, annuente ipso Thebaldo de Bruzato Guelphorum Principe, totius Concilii nutibus Berardus de Madiis tunc Brixianæ Ecclesiæ Antistes *vir magnanimus, grandisque prudentiæ, urbis, ac totius Reipublicæ Rector, ac Præsul eligitur, pacto, quod per quinquennium dumtaxat Principatum gereret. Fuit tamen in ea tam magna egregiorum Civium collectione pene omnium unus assensus ipsum Thebaldum ejusdem Civitatis Principem, atque Ductorem eligere. At ipse pro ut erat omni virtute præclarus, Sacrosancta*

(4) Loc. cit. pag. 902.

ctæ Ecclesiæ Pastorem sanctius prahonorare opinatus est. Actum est hoc anno Christi Domini MCCXCVIII. die mercurii, Sexto Martii, & ejusdem mensis die Martii XXV. idem præsul expulsas partes in patriam redire ordinavit, sedis suæ anno XXIII. Capite vero proxime sequenti, scilicet CXXIV., res ejusdem Berardi fusius Historicus prosequitur, quas additionibus auctas & Monumentis Lectorum oculis subjicere aggredimur. Præclaram itaque nactus est occasionem anno MCCC. ditandi Brixianam Ecclesiam Divini cultus incremento. SS. Nazarii & Celsi Ecclesiæ, quæ nunc insignissima est *Collegiata*, frequenti Capitulo *Almutiis* utente ornata, præclaroque Præposito, qui solemnioribus nonnullis festis utitur Pontificalibus (5), unus tunc inserviebat Sacerdos cum uno Clerico. Miseram Ecclesiæ conditionem commiseratus pientissimus Ottonellus de Martinengo Basilicæ Cathedralis Canonicus, quamplurimorum, quibus abundabat bonorum, ultima sua voluntate signata die sexta Martii anni MCCC. (6) eam hæredem instituit, ut, aucto sacrorum Mystarum numero, sacra floresceret Divina Psalmodia, multas ipse in eam rem leges statuerat, quas tamen omnes reliquit arbitrio sui Episcopi Berardi Madii, quem vocat suum *Venerabilem Patrem, & Dominum Marchionem, Ducem, & Comitem, suumque Fideicommissarium*. Quamobrem Episcopus præclaram animo reputans sibi oblatam occasionem, non solum insignem instituendi *Collegiatam*, verum etiam vetustum, omni laude dignissimum, in recenti Canonicorum Collegio communis vitæ institutum inducendi (7), quo non solum bona forent omnibus communia, sed etiam ob fraternæ charitatis vinculum, unum in Confratribus esset cor, & anima una, totus in eam rem incubuit, eoque collecto sacrorum ministrorum numero, fundationis Diploma expedivit die XVIII. Aprilis ejusdem anni MCCC., quod nobis comiter ab illius Collegiatæ Rmis Canonicis traditum, primum hoc loci vulgare placet:

„ In nomine Domini Nostri Jesu Christi millesimo trecen-
„ tesimo Ind.ne tertia decima, die lunæ, decimo octavo Apri-
„ lis

(5) Hodiernus Præpositus est Alexander Fè Episcopus Methonensis in Peninsula Peloponneso cum sanguinis splendore, tum morum probitate opumque copia præclarissimus.

(6) Ex Testamento in ejusdem Collegiatæ Chartulario asservato.

(7) De præclaro hoc Instituto, quod non solum in Brixiana, verum etiam in Metropolitana Mediolanensi Ecclesia jamdiu obsolevit, videsis Muratorii Dissertationem LXII. Tom. V. Antiquit. Italiæ pag. 186.

„ lis in Parlatorio, juxta Cameram Dñi Epī, in Domibus E-
„ piscopatus Brixiæ; Pñtibus DD. P. Bertolo presbytero Ca-
„ pellano D. Epī, P. Ventura presbytero Capellæ Ste Trini-
„ tatis, Cazaghino clerico de Capreolo, Guido de Maninis cle-
„ rico de Capreolo, & Joannino de Pulzano clerico Campario
„ D. Epī, testibus rogatis &c.

„ Nos Berardus de Madiis Dei gratia Episcopus Brixien-
„ sis, Marchio, Dux, & Comes &c. Ecclesiarum profecti-
„ bus ex officii nostri debito libenter in quantum possumus
„ intendentes, Ecclesiæ Beatorum Martyrum Nazarii & Cel-
„ si Civit.^s Brixiæ, quæ tantum binorum frũm n.°, videli-
„ cet unius Sacerdotis, & unius Clerici pñtialr, & a longis
„ temporibus retroactis continuis noscitur extitisse facultati-
„ bus, Missis ex oblationibus quorundam Xpī fidelium am-
„ pliatis, ordinand. duximus de Frũm nostrorum Canonico-
„ rum Brixien. Ecclesiæ consilio & assensu, videlicet quod in-
„ ferius continetur.

„ In primis quidem statuimus & ordinamus quod de cetero
„ & semper quinque fratres Sacerdotes esse debeant in dicta
„ Ecclesia, unus quorum sit Præpositus, qui habeat duplicem
„ Præbendam, & cui alii Confratres teneantur, & debeant
„ tamquam suo, & dictæ Ecclesiæ Præposito obedire in
„ omnibus licitis & honestis, tam in spiritualibus, quam
„ in temporalibus.

„ Item quod dicti Confratres & Præpositus de cetero sem-
„ per debeant facere, & cantare bene & diligenter Missas, &
„ divinum Officium die noctuque, habeant cappas vel cottas
„ in Ecclesia, extra vero Ecclesiam & in claustro & domibus
„ Ecclesiæ debeant facere clamides suas ad collum.

„ Item de cetero semper dicti Præpositus & Confratres de-
„ beant vivere in communi in refectorio, & ad unam men-
„ sam, & de una coquina, & jacere in uno dormitorio, nisi
„ justa causa intervenerit per Præpositum approbata.

„ Item quod de cetero semper Præpositus dictæ Ecclesiæ de-
„ beat legere septimam lectionem in die Sabbathi Sancti in
„ majori Ecclesia Brixien.

„ Item quod de cetero semper si contigerit vacare Preben-
„ dam in d.^a Ecclesia per mortem, vel renuntiationem, aut
„ precintionem alicujus eorum, vel aliquo alio casu, aliquis
„ non

„ non possit, nec debeat substitui loco ejus, nisi sit idoneus,
„ & in Sacerdotio constitutus.

„ Item quod de cetero semper Institutio, destitutio, creatio, & reformatio, & privatio Præpositi, & Confratrum d.æ Ecclesiæ ad D. Episcopum Brixiensem pertinere debeat pleno jure, hoc addito & salvo, quod si Dnus Episcopus non provideret ipsi Ecclesiæ infra mensem de Præposito vel Confratre, tunc elapso d.° termino, electio Præpositi, vel Confratrum pertineat ad Capitulum d.æ Ecclesiæ.

„ Item quod de cetero semper Præpositus & Confratres d.æ Ecclīæ debeant fideliter ministrare Parochianis ff.tis Ecclesiæ debita Ecclesiastica Sacramenta & facere, & observare jejunia ind.ta & ord.ta a S. Romana Ecclesia.

„ Item quod de cetero ex aliqua occasione, vel casu Præpositus, vel Confrēs d.æ Ecclesiæ, seu aliqui eorum non possit habere nec obtinere aliud Beneficium, vel Præbendam alicujus Ecclesiæ, præterquam d.æ Ecclīæ SS. Nazarii & Celsi, & si habuerit, vel obtinuerit, vacet, & sit eo ipso, Beneficio d.æ Ecclīæ SS. Nazarii & Celsi privatus, & alius substituatur loco illius, qui sit idoneus, & Sacerdos.

„ Item quod de cetero omnes reditus, ficta, decimæ, & proventus d.æ Ecclīæ colligantur, exigantur, percipiantur, & habeantur per D. Præpositum & Confrēs d.æ Ecclesiæ tam præsentes quam futuros, quibus exactis, collectis, & receptis, dividantur & dispensentur in hunc modum, videlicet, quod medietas ipsorum deveniat in communi dictæ Ecclesiæ pro cibo & potu Præpositi & Confrūm, & quidquid superabundaverit de ipsa medietate expendatur in ornamentum Altarium Ecclesiæ ff.tæ, & eleemosinis pauperum Xpī, & alia medietas pro ratha dividatur inter Præpositum & Confratres disponenda in animabus suis, de quibus Præpositus semper habere debeat duplicem Præbendam.

„ Ego Guidottus de Longhena publ. Imp. auct. Not. &c.

Anno sui Episcopatus XI. ad augendum Ecclesiæ suæ præsidium, Eremitas Ordinis S. Augustini, quos dispersos in varias classes, a diversis Institutoribus efformatas, Alexander

der IV. anno MCCLVIII. in unum corpus collegerat, contubernio Urbis donavit, Ecclesiamque illis attribuit (in qua splendidiorem in formam redacta, sacra peragunt) Apostolo Barnabæ nuncupatam. Insuper excitavit Monasterium satis amplum, ad Cœnobitarum commodum, quibus ob aquæ inopiam concessit postea duas aquæ uncias Fontis dicti *de Herculis*. Pergamenam donationis chartam asservatam in Archivo FF. Eremitarum, qui hodie appellantur Augustiniani Congregationis *Lombardiæ*, ab iisdem humaniter nobis communicatam nunc primo vulgamus.

„ In Xsti Nomine cum Ecclesia Domus Prior fratres con-
„ ventus & capitulum ordinis Heremitarum Sčti Barnabe
„ Apostoli Gloriosi Civitatis Brixie, non habeant aquam
„ unde possint Divina Officia celebrare ac spiritualia & tem-
„ poralia exercere. & inde incomodum gravamen & dam-
„ pnum maximum patiantur Dñs ysnardus de Suragis Prior
„ Paraticorum Brixie & eius consiliarij in honorem & omni-
„ modam revẽntiam omipontentis Dei Patris Filii & Spiri-
„ tus Santi, & Sanctissime Trinitatis & Beate Marie sem-
„ per Virginis Matris eius & prefati Barnabe Apostoli Glo-
„ riosi & tocius curie Celestis omi modo & iure quibus
„ melius potuerunt & posunt pro Elimosina, Misericordia
„ & gracia & comuni utilitate ordinaverunt providerunt &
„ statuerunt ac inrevocabiliter concesserunt & dederunt de
„ quinque uncijs aque fontis siti in contrata de Herculis Ci-
„ vitatis Brixie coheret ipĩ fonti aque a mane strata sive
„ via publica. A monte - - - - - - - -, ubi ducũnt. equi ad
„ adaquandum sive ad bibendum & a meridie lavandarium
„ & via duas uncias dicte aque & fontis; Q' ãli modo &
„ ordine quod dicta Ecclĩa Domus Prior Fratres Conven-
„ tus & Capitulum sopradicti presentes & futuri de cetero
„ semper possint & debeant libere possidere & uti dictis dua-
„ bus uncijs aque & fontis & dicto fonte pro duabus un-
„ cijs & ipsam aquam sive predictas duas uncias aque con-
„ ducere & conduci facere ad Ecclesiam Domus Priorem
„ Fratres Capitulum & Conventum sopradictos omni ora
„ die añis temporibus & continue semper ad predictorum
„ libitum voluntatis. non obestante aliqua contradictione

„ ali-

„ alicuius universitatis Colegij vel singularis persone. ut in-
„ de predicti Ecclia Prior Fratres Domus Conventus &
„ Capitulum presentes & futuri de cetero teneantur & de-
„ beant missas Divina Officia & Orationes effundere & fa-
„ cere ad Omnipotentem Deum Patrem Filium Spiritum
„ Sanctum & totam Trinitatem ut ipsa dignetur velit pla-
„ ceat & faciat sui Misericordia & Gracia & missis Divinis
„ officijs & Orationibus intervenientibus predictorum con-
„ servare perpetuo Sactissimam Pacem Dei in tota Civitate
„ & districtu Brixie & totam ipsam Civitatem & districtum
„ & omnes Animas Corpora & bona omnium & singullo-
„ rum presentium & futurorum habitancium in eisdem &
„ eciam instanter & continue & devotissime intercedere ac
„ rogare Beatissimam Virginem Matrem Domini Nostri Ye-
„ su Cristi & Beatum Barnabam Apostulum Gloriosum &
„ totam Beatissimam Curiam Celestem ut suis meritis &
„ precibus dignentur velint placeat & faciant nunc & sem-
„ per fieri & compleri omnia & singula supradicta semper
„ ad omnes Sactissime Trinitatis Beate Marie Virginis San-
„ ctissimi Barnabe Apostoli Gloriosi & Beatissime totius Cu-
„ rie Celestis reverentias, servicia beneplacita laudes Gloria
„ & honore, & omnia & singula supradicta ordinata pro-
„ visa statuta concessa & data dicta & facta fuerunt in pre-
„ sentia Venerabilis Patris Domini Berardi de Madijs Dei
„ Gracia Episcopi Brixiensis Marchionis Ducis & Comitis
„ & de eius voluntate consiencia & asensu. in parlatorio
„ dicti Domini Episcopi. die ultimo Jullij. Millesimo ter-
„ centesimo sexto. indicione quarta. interfuere testes Dñs
„ preventura presbiter Capelanus dicti Domini Episcopi &
„ Josepus Clericus & familiaris ipius Dñi Episcopi.

„ Ego Jo: Alnus qui vocor Siri Notarius ex comissione
„ michi facta a me infrascripto Bonaventura de Vulzano
„ Notario prescriptum instrumentum secundum tenorem
„ breviature per eum inde scripte publicavi & scripsi.



Ego Bonaventura de Vulzano Tut. Notarius & officialis Episcopi Brixie .... Instrumentum sive possessionem rogatus .... publicandam comissi & me subcto †

Prin-

Principis munificentiam, & gratum, erga insignem Benefactorem, Eremitarum animum testatur sequens inscriptio perantiquo charactere insculpta lapidi, quæ etiam nunc legitur in veteri Sacrario ejusdem Ecclesiæ, quæ sic se habet:

„ Anno Domini M.CCC.VI. Regnante Domno Berardo „ de Madiis Episcopo Brixiæ, ac Domino universali in spi- „ ritualibus & temporalibus. Cum Fratres S. Barnabæ non „ haberent fontes tunc concessit ad postulationem Fratris „ Jacobi Prioris dicti Conventus. Cyprianus de Navarra „ Contestabilis dicti Domni dedit dicto Fratri Jacobo, & „ Conventui pro dictis fontibus conducendis centum xx. li- „ bras imperiales, pro quo beneficio dictus Prior, & Con- „ ventus promiserunt semper celebrare unam Missam super „ altare S. Jacobi Apostoli (8).

Anno MCCXCI. Otho Vicecomes Mediolanensis Archipræsul Synodum indixit Provincialem, ut Episcopi Diœcesani incenderentur, ipsique populos sibi subjectos inflammarent ad redimendum a Saracenorum tyrannide sacrosanctum Christianæ Religionis Monumentum, Domini Nostri J. C. Sepulcrum, quod olim christianis armis ab eorum jugo ereptum, in eorum manus iterum inciderat. Acceptis Metropolitæ epistolis, illi se sistit Concilio Berardus, ut pro virili hanc Sanctissimo nostro Redemptori, qui tanta pro nobis pati voluit, gratiam rependeret. Ipse cum nonnullis Patribus delectus fuit, ut ea expenderet, quæ ab omnibus proposita fuerant, aptioraque seligeret, & perficienda curaret. Memoriam & Acta hujus Synodi perennavit in Patria Historia Bernardinus Corius (9).

Subinde Diœceseos nostræ sacris institutis excolendæ manum adjecit, ubique promovens Dei gloriam, atque ad christianæ charitatis opera exercenda suorum populorum corda succendens. Prætera animo reputans, ecclesiasticam disciplinam temporum iniquitate, dissidiorumque civilium frequentia multum excidisse, amplumque patere corruptelis campum

T Diœ-

(8) Ex ea inscriptione patet, jam tum consuetudinem fuisse instituendi Missas, quas vocant *perpetuas*. Monetam insuper, quæ Brixiæ in usu erat, instar fuisse cæterarum pene omnium *Lombardiæ* Urbium, quas constat *imperiales* libras in usu habuisse.

(9) Corius in Patria Historia ad ann. 1291.

Diœcesanam coegit Synodum, ubi rata habuit, quæ tres ejus Prædecessores Albertus, Gualla & Martinus condiderant in eumdem finem Decreta, nonnullis etiam de suo additis, quod constabit ex lacinia hujus Synodi in Federico ejus Successore edenda.

Eximia quoque diligentia saluti consuluit & quieti laudati Parthenonis Monialium Sancti Benedicti in oppido Minervii per Mayfredum fundati (10), perque Joannem II. aliosque in hac Sede suos Prædecessores confirmati, plurimisque privilegiis aucti. Cum enim ob frequentes in Urbe perinde ac in tota sua Diœcesi Guelphos inter, & Gibellinos excitatas turbas multis incommodis & periculis objectum Monasterium illud intelligeret, de loco tutiori, ubi Deo quietius Moniales servire possent, cogitavit; aptaque ei visa est urbana Ecclesia, sive *Capella* SS. Martyrum Felicis & Fortunati, quæ olim in ejusdem Monasterii dominium pervenerat. Itaque anno MCCXCIV. edito Decreto jussit, ut eo transferrentur, ibique usque ad annum MCCCCXLVII. degerunt. Autographum Berardi Decretum (quod una cum aliis, quæ in Mayfredo, Joanne II. & alibi citavimus, possidet idem Asceterium, cui nomen: *S. Maria de Pace*) chronicam hanc notam præsefert: *Datum est in hac Civitate Brixiæ Anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quarto Indict. VII. die Sabbati XIII. Novembris ante Capellam S. Martini in Domibus Episcopatus Brixiæ*. Diplomatis initium, propter Episcopi titulos, dignum est animadversione: *Berardus Dei gratia Episcopus Brixiensis, Marchio, Dux & Comes*. Titulum Marchionis & Ducis nulli ex suis Antecessoribus attributum vidimus; ejus vero Successores Marchiones, Duces & Comites appellantur in citatis Cancellariæ Episcopalis Regestis. Reipsa Brixianus Episcopus gaudet, præter Balneoli Commarchiam, honore & censibus Ducatus Vallis Camuniæ, Marchionis Tusculani in Riperia occidentali Benacensi, & Comitis Gaidi. Nonnulla alia in eamdem rem adnotavimus in Honorio (11), & alibi.

Aliarum quoque Ecclesiarum oblivio non ceperat Berardum, unde ad augendum in illis erga supremum Numen honorem & cultum, amovit lupanaria e loco proximo Ecclesiæ

(10) Vide pag. 109.

(11) Pag. 81.

ſiæ protomartyris Stephani in Caſtro. Monaſterium Eccleſiamque SS. Coſmæ & Damiani ad extremam & occidentalem Urbis partem conſtrui fecit, dirutis Eccleſia & Monaſterio, quæ in majori foro condita erant a IX. Seculo, ut diximus in Titiano (12); unde plateam majorem, vulgo *del Duomo*, mirifice amplificavit. Præter iſta ad Dei Sanctorumque cultum ſtatuta, publico etiam juri & commodo conſulere voluit. Itaque univerſam regionem Brixianam ad jus petendum in Palatium Populi compulit venire. Fluvium, qui *Navilium* appellatur, duxit de Flumine Clyſio; inſuper & flumina duo de Torrente Mella traxit, quorum unum per Urbem diſcurrit, ad lanificia præcipue ordinatum, aliud non longe ab Urbe ad agrorum irrigationem perlabitur, & molendinis inſervit (13). Ut Medici alacrius ægra corpora curarent, eorum Collegio privilegia ab Imperatoribus & Populo conceſſa confirmavit & auxit.

Cum ex una parte Thebaldi de Bruſatis vim & auctoritatem pertimeſceret, ex altera vero cæterorum Brixianorum animos ſibi videret obſtrictos, in tuto res Patriæ locare ſibi propoſuit; Convocatis itaque Senioribus cognationis ſuæ, Thebaldum, omneſque ei amicitia junctos extrudere, ac delere conſuluit, cumque fidos ſibi Gibellinos feciſſet, Girardum de Gambara, Zironum de Palazo, & alios quoſdam Magnates conſilii participes fecit. *Denique quos conſanguinitate, & amicitia Thebaldo conjunctos noverant de Civitate repulerunt anno Chriſti Domini MCCCIII.*, verba ſunt Malvetii, qui Berardi exitum ita commemorat: *Berardus ejectis ab Urbe, quos diximus, ad partem Gibellinorum ſe contulit, Guelphos quoque conſilii ſui conſcios, eodem conſortio cooptavit. Idem ergo Brixienſis Præſul decem millia librarum Brixienſis monetæ* (14) *ab habitatoribus Gaidi exegit. Tenuit utique hic Brixienſis Epiſcopus Urbis principatum annis decem cum ab hac vita ſubtractus eſt Sedis ſuæ anno XXXIII.* Clarus itaque virtutibus, ac laboribus pro Brixianis ſuſceptis, dignitate & auctoritate ferme regia per annos ſupra triginta

 fun-

(12) Pag. 76.

(13) De magnifica hujus Canalis ſtructura, qua Berardus aquas Clyſis ad irriganda Brixiani Agri prædia derivavit, deque aliis Berardi præclare geſtis carmen haud invenuſtum edidit Joannes Baptiſta Mantuanus in Epithalamio Ptolomæi Fratris, & Dorotheæ Valentis prope initium Lib. IV. Sylvar. Tom. III. pag. 303.

(14) Scilicet Imperialis, quæ tunc temporis apud nos obtinebat, de qua videri poteſt Muratorii Diſſertatio, quam Cap. ſecundo Prologi citavimus.

functus, Brixiæ moriens anno MCCCVIII. die VI. Octobris, Sepulturæ traditus in Ecclesia S. Mariæ Majoris, vulgo *Rotunda* in monumento marmoreo pulcherrimis, ut ea tempora ferebant, laboribus decorato, posita hac brevi inscriptione (15), cui consonat Adnotator ad nostrum Catalogum:

D. Berardi Madii Episcopi, ac Princip. Urb.
Brixien. Sepulchrum M. CCC. VIII.

corpus trecentos fere post annos, cum Ecclesiam instauraret Dominicus Bollanus anno MDLXXII., inspectum, integrum repertum translatum est prope januam *Rotundæ*, qua itur in novam Cathedralem, ubi citatum ejus Monumentum adhuc inspicitur.

Antequam ad Federicum ejus Successorem noster delabitur Commentarius, operis dispendium haud me facturum puto, si quæ de Berardi principatu tradidere Astezatus, & Muratorius, ad severum examen revocavero. Primus post Capreolum lib. VII. Hist. Brixien. opinatur, Berardum, perinde ac Federicum, fuisse quidem Brixiæ Principem, scilicet Caput Brixiani Senatus, neutiquam Brixiæ Dominum (16) supremumque Principem. Nititur ille Monumento quodam signato anno MCCCXII., quo inita fuere pacta quædam inter Nello de Massa, cui belli gerendi provincia committitur, & Federicum Episcopum una cum Civitatis *Antianis*, & Viris nobilibus: at ne Capreolo, & Astezato (ad Berardum quod spectat) assentiar, ea ipsa faciunt, quæ sunt commemorata ejus gesta. Etenim publicos fluvios deducere, publica Asceteria, & Eccle-

(15) Eam refert Ughellus, & ejus occasione referre incipit gentilitia Stemmata Episcoporum nostrorum. Utrum vero Berardus ipse cœperit insignia adhibere, an Ughellus per conjecturam illud posuerit, fateor mihi ignotum. Illud certum, Familiarum signa seculo X. antiquiora non esse; viros autem sacros, iisdem uti serius eo tempore cœpisse, adnotat supra a nobis laudatus Joannes Brunatius in Opere de re numaria Patavinorum; quodque uberius fortasse in locupletissima, quam parat Patavinæ Ecclesiæ Ecclesiastica, & Civili historia ostensurus est. Plura, si placet, videri possunt in Dissert. LIII. inter Medii Ævi Antiquitates Italicas Muratorii.

Illud ultimo adnotare placet ex Regestis Civitatis, Andream Quirinum electum fuisse ab Episcopo Berardo Madio Urbis Prætorem; mos enim olim fuit accersendi ex aliis locis viros Jurisperitos ad jus populis dicendum. Unde labente seculo XII. quidam Aposacius, & labente XIII. & ineunte XIV. Bartolinus de Maciis, postea Florinus de Pontecarali, Conradinus de Bucchis, sive de Bruchis, Paxinus de Grisis, Saleotus de Madus, Albertanus de Albertanis, celebris ille Scriptor, Federicus de la Vallonga, omnes Cives Brixiani Patavinis jus dixere, ut habetur cum in Libro omnium Regiminum Civitatis Paduæ, a Muratorio edito Tom. IV. pag. 1222. Antiquit. Ital., tum in ejusdem Civitatis mss. mihi humaniter a laudato Abb. Brunatio communicatis.

(16) Astezatus loc. cit. pag. 34.

clesias de loco movere, & solo æquare, laicis Communitatibus privilegia impertiri, belli & pacis jura statuere, Populum ad sibi petendum jus vocare, pecuniam exigere, & alia ejusmodi, quis non intelligat, ab eo solo posse præstari, qui supremo utitur Urbis Dominio? Nec aliquid negotii facessit, Seniorum consilium & auctoritatem ipsum postulasse; nonne Principes fere omnes, viros, & consilio, & ætate, & sanguinis splendore præclaros in consilium adhibere solent? nonne & ipse Venetiarum Princeps, cujus exemplum urget Capreolus, simul olim erat Princeps, simul caput Senatus, simul Rempublicam administrabat pleno jure? At graviora sunt, quæ adversus Berardum movet Muratorius. Etenim apud eum male audit propter ipsum, quem acquisierat, Urbis Principatum. *Terminava in questo anno la giurisdizione sua* (ita de eo loquitur in Annalibus (17) ad annum MCCCIII.) *ma avendo egli assaggiato il dolce del commando, e volendo continuar nella Signoria, perchè se gli opponeva Tebaldo de Brusati uno de' più potenti Nobili Guelpho di professione, coll' adoperare la forza il cacciò in esilio*. Verum sua Episcopus, ut mihi videtur, non caret defensione. Hic enim inprimis non videbatur ad imperium cupiditate trahi, quod non erat vi consecutus, sed suorum voluntate: Eamque potestatem bonitate retinuerat, eximiisque in publicum commodis adhibuerat: Deinde probe cognorat, Thebaldum dominationis percupidum, virumque factiosum; unde anno insequenti provinciæ Flaminiæ a Benedicto XI. Rom. Pont. multis conatibus regimen consequutus fuerat, ex qua provincia redux vehementis dissensionis auctor fuit in Patria. Jure igitur ac merito Berardus pertimescebat, ne Thebaldi opera eæ iterum excitarentur turbæ, quibus sedandis subierat ipse tantum laboris; quæ prava Thebaldi indoles haud erat Muratorio incognita ex ipsis Scriptoribus, quos descripsit in Annalibus ad annum MCCCXI. (18).

Postrema ratio, quæ celeberrimi Scriptoris opinionem de nimia hujus Episcopi imperandi cupiditate prorsus evertit, est testimonium Ferreti, de cujus fide ille solum dubius esse potest, qui ignorat, Ferretum patria Vicentinum fuisse, medioque Seculo XIV. historiam ab eodem conscriptam fuisse de rebus in Italia gestis ab anno MCCL. usque ad an-

T 3 num

(17) Tom. VIII. pag. 14. (18) Loc. cit. pag. 54. & 57.

num MCCCXVIII., & ejus pronum animum ad vituperandum culpandumque quemlibet; adeo ut *ullum vix ille Principem, & ne ipsos quidem Pontifices Maximos a crimiatione immunes dimiserit*, ut verbis utar ipsiusmet Muratorii in præfatione ad Ferretinam historiam, quam ex mſ. Codice Vicentino intulit in Tomum IV. Rer. Ital. Integrum locum, etsi longiusculum, operæ pretium erit ex ea historia hic describere (19): *Eadem tempestate Berardus Episcopus Brixiensis, vir æque prudens & nobilis, Patriam suam privatim ac publice gubernabat; nam populi favorem adeptus, fastus elisit, coegitque nonnullos optimates a mœnibus exulare, ne in tumultum prodeuntes arma susciperent. E quibus Brusadorum, Vexilliferorumque genus ejectum, eo quod omnium audacissimum foret, primum exulavit; suos autem, qui ex Madiis nuncupantur, & his complices grato fovit amplexu. Hic quamquam privatus in Sede videretur, plebejus esse maluit, & Senatum augere, quam ærarii spoliis ex bonorum proscriptione sibi pro petulantia uti. Justitiæ enimvero pius cultor fuit, severus fidei servator, cunctis benignus, & in re facienda cautus Pontifex, sobrius & parcus satis, partialis multum, & in proposito tenax. Hic quo tutius regnaret, ad decorem patriæ muralibus novis, & cæmento vetusta mœnia renovavit; propugnacula quoque multa, ac turres pugnæ aptas circum muri coronam fabricavit; valvas quoque ac Portarum aditus, supra quam Lombardorum mos fuit, mirabili opere construxit. Pacem non bellum voluit, unde Urbs hæc nobilissima, quam brevi tempore viribus & opibus dives abundaverit, hactenus recens fama commemorat.*

Igitur certissimis argumentis ostendisse arbitramur, charitati erga Patriam, qua semper flagraverat Berardus, potius quam insano regnandi amori tribuendam esse Thebaldi ex Urbe, Berardi opera, expulsionem.

LXIX.

(19) Pag. 1031. Advertendum, in Indice cit. Tomi perperam legi nomen Bernardi loco Berardi.

LXIX.
FEDERICUS EPISCOPUS
ANNO MCCCVIII.

JUstis Berardo solutis, Federicum deinde Madium (1) defuncti Episcopi nepotem, Maphæi filium, & Ecclesiæ majoris Canonicum, immatura licet ætate, utpote tricesimum nondum annum attingentem, Brixiani subdiderunt. Muratorius in Annalibus ad annum MCCCVIII. id a populo factum esse scribit: at Malvetius, ad quem Muratorius provocat, prorsus silet quanam auctoritate Federicus Episcopatum acceperit. Pontificem Clementem V. in Galliis tunc degentem sibi esse adeundum cogitans novus Episcopus primum Romam, deinde Galliam versus (2) itineri se dedit, assumptis itinerum sociis Bertolino Madio strenuo milite, Alberto Monasterii majoris SS. Faustini & Jovitæ Abbate, aliisque e suo Clero. Summus Pontifex sub ejusdem anni MCCCVIII. exitum, Epiphaniæ festum celebraturus Tolosam quum venisset (3), eo se contulit Federicus, atque altera insequentis anni die a Pontifice fuit consecratus (4). Episcopali munere insignitus dedit operam, ut laudatus Abbas Pontificis beneficentiam experiretur; unde Pontifex novo Episcopo facultatem fecit concedendi, adhibito consilio Capituli majoris Ecclesiæ Brixianæ, eidem Abbati, ejusque Successoribus usum Episcopalium, utendi nimirum anulo cum benedictione solemni. Acta est concessio die IV. Januarii anno MCCCIX. in Urbe Tolosæ, *in Camera S. Pontificis* (5), quibus obtentis, novus Episcopus

T 4 lætus

(1) Ex Ughello.

(2) Ex Bulla mox citanda.

(3) Hoc affirmat Amalricus in Vita Clementis V. Tom. I. pag. 103. Vitarum eorum Pontificum, qui Avenione sedere, per Stephanum Baluzium collectarum.

(4) Id omne constat ex Bulla Clementis V. ex Tabulario Monasterii SS. Faustini, & Jovitæ edita ab Ughello in Episc. Brix. Tom. IV. pag. 551. Hinc deneganda est fides Fayno, qui in cit. SS. Faustini, & Jovitæ Vita ex eodem privilegio colligit pag. 84., isthæc omnia fuisse Romæ peracta; cum certum sit, Clementem V. Burdigalæ nuntium accepisse de sua in Rom. Pontificem electione anno 1305., neque unquam e Galliis excessisse: præterquamquod in ipsa Bulla per Ughellum edita dicuntur acta illa omnia *in Civitate Tolosa in Camera Summi Pontificis*.

(5) Advertendum, nullam in ea concessione mentionem fieri mithræ, & chirothecarum, idcirco arbitror speciali olim privilegio fuis-

lætus in Italiam remeavit, atque labente Februar. in novum sponsæ sinum advolavit, ubi coacto III. Cal. Martii in Episcopii ædibus Capitulo majoris Ecclesiæ, concessit facultatem, eodem Capitulo consentiente, Abbati supralaudato ejusque Successoribus gestandi anulum, & benedictionem solemnem super Populum elargiendi in ipso Monasterio SS. Faustini & Jovitæ majoris, ac in Ecclesiis ei pleno jure subjectis, quando in ipsis divina officia celebrantur in vespertinis ac matutinis Horis (6). Totus deinde in supremi Numinis obsequium qua confirmandum, qua augendum incumbens Diœcesanam coegit Synodum in Ecclesia, quam arbitror Æstivam S. Petri *de Domo*, plurimis in eum finem latis Decretis, confecta fuit die VII. mensis Madii anni MCCCIX. Acta hujus Synodi hactenus incognitæ invenire non potuimus: eorum tamen memoriam ex charta satis vetusta ex Archivo S. Faustini majoris publici juris facimus:

„ In Christi nomine Nos Federicus Dei gratia Epūs Bri-
„ xiensis infrascriptas Constitutiones innovationes statuta, sive
„ decreta edita per condam dños Albertum: Fratrem Gual-
„ lam: Martinum; & Berardum Epōs predecessores nostros:
„ Quæ sic incipiunt: In Christi nomine presenti decreto sta-
„ tuimus &c. Item statuta edita in Concilio Laudensi per
„ condam venerabilem Patrem Dnum Guifredum Dei gratia
„ tituli S.ti Marci Presbiterum Cardinalem: Item statuta edi-
„ ta per condam venerabilem Patrem Dñum Hostiensem, & Ve-
„ letrensem Epū Cardinalem tunc Aplīce Sedis Legatum super
„ vita

fuisse huic Abbati concessa, quibus seculo potissimum X. gaudere cœperunt Abbates, teste Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus, Lib. II. cap. 1. Tom. II. pag. 408. Conjecturam confirmant hæc Astezati verba pag. LIII. cit. Præfationis ad Evangelistam Manhelmum: *Caeterum conjicere licet, quamvis tabulæ desiderentur, a primis temporibus Pontificalium usu Abbatem Ecclesiæ hujusce* (*S. Faustini Majoris*) *a Rom. Sede decoratum*. Nam apud Ughellum Tom. IV. col. 736. legitur, *ad Notongi Brixiani Episcopi, qui anno 939. floruit, preces, Stephanum IX. Pontificem* (aliis VIII.) *privilegia non primo concessisse, sed confirmasse; idemque praestitit anno 1309. Clemens V. qui & anuli usum, ac solemnis benedictionis Populo elargiendæ facultatem eidem impertiit. Immo Julius II. Faustinianos Abbates, & Euphemianos, atque una Cremonenses Episcopos pro tempore extituros ad absolvendum a reservata Apostolicæ Sedi excommunicatione in eos lata, qui in majori Hospitali Brixiæ filios ultro, ac citra necessitatem exposuerint, Delegatos Apostolicos perpetuos cum amplissima facultate constituit.*

(6) Ita legitur in cit. S. Faustini majoris Monumento ab Ughello ex S. Faustini Archivo in IV. Italiæ Sacræ Tomum inlato, quod dignum est, ut locum habeat in nova, quam jure ac merito desiderant Eruditi, Bullarii Casinensis editione, in qua Diplomata a Margarino edita cum mss. conferantur, notæ Chronicæ emendentur, recens detecta inserantur,

„ vita & honestate, ac reformandis moribus clericorum: ac „ statuta infrascripta per nos edita, quæ sic incipiunt: Nos „ Federicus Dei, & Aplicæ Sedis gratia Epus Brixiensis Mar„ chio, Dux & Comes: Considerantes, quod in Ecclesiastico „ libro scriptum est &c. publicamus, ordinamus, & precipi„ mus de cetero inviolabiliter observari sicut inferius contine„ tur. Millesimo CCCV. Indict.e III. Quod Abbates: & Mo„ naci: Priores: & Fratres qui sunt Presbiteri sint in Mona„ steriis infrascriptis.

„ Item statuimus, & ordinamus: Quod de cetero semper „ sint, & esse debeant ad minus in infrascriptis Monasteriis: „ Ecclesiis: & Domibus: Abbates: Monachi: Prepositi: Prio„ res: & Fratres: Qui omnes sint Presbiteri secundum mo„ dum, & numerum infrascriptum vid.t

„ In Monasterio Sanctorum Faustini, & Juvitæ: Unus Ab„ bas Presbiter, & duodecim Monachi Presbiteri.

„ In Mon.rio Sanctæ Eufemiæ Unus Abbas Sacerdos, & „ duodecim Monachi Sacerdotes.

„ In Mon.rio S.ti Petri in Monte: Unus Abbas Presbiter, & „ octo Monaci Presbiteri.

„ In Mon.rio de Manervio: Unus Abbas Presbiter, & unus „ Monachus Presbiter.

„ In Ecclia S. Petri in Oliveto Unus Prepositus Sacerdos, „ & VII. Fratres Sacerdotes.

„ In Ecclia S. Joannis de foris Unus Prepositus Sacerdos, „ & Sex fratres Sacerdotes.

„ In Ecclia Sanctorum Faustini, & Juvitæ ad Sanguinem: „ Unus Prepositus Presbiter, & tres fratres Sacerdotes.

„ In Ecclia S. Alexandri: Unus Prepositus, & tres Fratres „ Sacerdotes.

„ In Ecclia S. Salvatoris: Unus Prepositus Presbiter, & tres „ fratres presbiteri.

„ In Ecclia SS. Petri, & Marcelli: Unus Prior presbiter, „ & unus frater presbiter.

„ In Ecclia S. Petri de Navis Martiris unus Prior presbi„ ter, & unus frater Sacerdos.

„ In Ecclia S. Dominici de Toscolano: Unus Prepositus „ presbiter, & unus frater presbiter.

„ In Ecclia S. Eustachij in clausuris Brixiæ: Unus Prior „ pre-

„ presbiter, & unus frater presbit.

„ In Ecclīa S. Jacobi de la Mella: Unus Prior Sacerdos, „ & unus frater presbiter.

„ In Mon.tio SS. Cosmæ, & Damiani: una Abbatissa, & „ duodecim Monachæ.

„ In Ecclīa S. Mariæ Magdalene de monte denno: Unus „ prior presbiter, & unus frater Sacerdos.

„ In Ecclīa S. Georgij de monte claro, unus Prior presbi- „ ter, & unus frater Sacerdos.

„ Et si contigerit quod predicti Monachi, seu fratres: aut „ aliqui ipsorum non essent in etate debita in qua possent ad „ Sacros ordines promoveri teneantur, & debeant cum ad „ etatem legitimam pervenerint se facere ad Sacerdotium, & „ ad alios Sacros Ordines statutis temporibus ordinari.

„ In Christi nomine amen: anno à nativitate eiusdem mil- „ lesimo CCC nono Inditione septima die XI. Maij in Ecclīa „ S. Petri de Dom brixien. presentibus R.dis Viris Dñis Si- „ mone de S. Stefano Custode Lunensi Vicario infrascripti „ Dñi electi: Oldofredo de Leno Preposito, & Mag.ro Alber- „ to Vicedomino Canonicis Ecclesiæ Brixiensis: Magistro Bo- „ naventura de Salvaticis Jurisperito: Jacobo Ferarini No- „ tario, & Venturino Boldi de Rovado Clerico: & multis „ alijs vocatis testibus, & rogatis: Congregata, & more soli- „ to convocata in Ecclīa supradicta generali Synodo Prelato- „ rum: Presbiterorum: Religiosorum, & Clericorum non ex- „ emptorum Civitatis, & Diecesis Brixiensis de Mandato Ve- „ nerabilis Patris Dñi Federici Dei, & Aplīca gratia Brixien- „ sis electi: & in Epūm confirmati lecta, & publicata fue- „ runt omnia statuta, & consuetudines suprascripta, & con- „ tenta in presenti volumine statutorum per me Jacobinum „ de bornado notariū. & scribam ipsius Dñi Electi, & eius „ Curiæ: Et sic per ipsum Dñum Electum confirmata, & „ approbata fuerunt de voluntate omnium, & singulorum in „ dicta Synodo existentium: Et per omnes, & singulos, qui „ ipsi Synodo affuerunt.

„ Ego Jacobinus Notarius antedictus predictis omnibus in- „ terfui, & dicta Statuta, & Consuetudines legi & rogatus „ hæc scripsi.

„ In Christi nomine amen Ego Joannes Petrus q.m nobilis

„ viri

„ viri Dñi Marchesii de parre civis, & habitator Brixiæ au-
„ thoritate Imperiali notarius publicus prescripta inscripta in-
„ ter cetera ut supra ab originali volumine statutorum &c. ut
„ supra Epātus Brix. sive dictæ ecclīæ de Dom de verbo ad
„ verbum nil addito nec ommisso fideliter transcripsi: & quia
„ cum originali antedicto concordare inveni: ideo in fidem
„ ac robur premissorum me subscripsi signo tabelionatus mei
„ consueto apposito. cum supra scripta depenatione quæ dicit
„ Præpositus Sacerdos tamquam verba duplicata.

Fertur, eodem anno suppetias tulisse, jussu Rom. Pontificis, Arnaldo Pellagruæ Cardinali Legato, qui Ferrariam recuperare nitebatur, & centum gravis armaturæ milites privatis sumptibus aluisse, quam rem etsi recentes dumtaxat Scriptores enarrent, tacentibus illis, ex quorum memoriis belli hujus vicissitudines, eorumque nomina, qui suppetias tulere Pontificio Legato, commemorat Annalium Italiæ Auctor (7), verisimilem tamen reddit propensus Federici erga Pontificem animus, junctumque amicitiæ vinculum cum Cassono Turriano Archipræsule Mediolanensi, quem certo constat copiis Mediolanensibus stipatum Ferrariensem obsidionem auxisse.

Cum Imperator Henricus VII. Novembri mense anni MCCCX. in Italiam ingressus esset, ut ferrea corona instar suorum Majorum in Urbe Mediolanensi ornaretur, illuc Episcopus noster se transtulit. Adveniente coronationis die statuta, quæ erat sexta Januarii, vetus exarsit supra (8) a nobis commemorata nostrum inter & Vercellensem Episcopum disceptatio, contendente utroque Episcopo, jus sibi esse, post Archiepiscopum Mediolanensem, ad nobiliorem locum. Henricus in Episcopum Vercellensem propensus *ad hoc specialiter voluit habere tamquam suum Episcopum, qui sic tunc a Rege & Regina vocabatur* (9), litemque ita sedavit, ut in Regis coronatione administraret Vercellensis, in ea autem Reginæ Brixianus Episcopus. Dum itaque Cassonus Mediolanensis Archipræsul, qui sacra solemnia celebrarat, Insigne

(7) Tom. VIII. Annal. Ital. pag. 41. ad ann. 1309.

(8) Pag. 219.

(9) Nicolaus Episcopus Botrotinen. in Relatione de itinere italico Henrici VII. Imper. ad Clementem V. edita a Baluzio Tom. II. Paparum Avenionen. pag. 1160.

figne Italici Regni, ferream nempe coronam, capiti Henrici imponeret, Ubertus de Advocatis Præful Vercellenfis, locata fede fua a dextris Archipræfulis Mediolanenfis, facras peregit functiones, quas enarrat Monumentum ab Ughello editum in Epifcopis Vercellenfibus (10). Dum vero capiti Margaritæ, quæ ad dexteram Regis conjugis vinculo aureo folutifque crinibus decora adftabat, ferreum fertum imponeret Archipræful, facras Federicus Madius Brixianus Epifcopus præftitit cæremonias.

Confluxerant ad eam celebritatem, & præftituri Henrico obfequium, & promoturi fuarum partium ftudium, Italicarum Urbium Proceres. Segnis non fuerat Thebaldus Brufatus Brixianorum Guelphorum princeps, quem a Berardo Madio vidimus Urbe ejectum. Tantam ipfe novi Principis gratiam fibi conciliarat, ut eum *in Baptifmate filii fui Imperator* (tefte (11) Malvetio) *in compatrem elegerit*. Accefferant ex parte Gibellina nofter Epifcopus, Matthæufque Madius rerum Brixianarum Domini. Æquus Imperator utramque partem ad concordiam cum effet exhortatus, illuxit tandem ipfo Coronationis menfe feliciffima dies, qua concordiæ & pacis fœdera inter utramque partem inita fuere; inter quæ illud fuit præcipuum, ut Thebaldus cum Proceribus Guelphis in patriam revocaretur: *faciente ipfo Imperatore* (rem ita teftatam reliquit Malvetius) *pax generalis inter Epifcopum Maphæumque de Madiis aliofque cives in civitate degentes ex parte una, & Thebaldum de Brufatis eofque illi adhærentes, conclufa eft anno MCCCXI. menfe Januarii*. Imperator vero, ut longius inita pax perfeveraret, dimiffo a Madiis civili Urbis Imperio, fimul Vicarium fuum Albertum de Caftrobarco conftituit in Urbe noftra, fimul erga Epifcopum Madium univerfumque Brixianum populum oftendere volens munificum animum fuum, ampliffima confirmatione, huic Ecclefiæ ea omnia privilegia rata habuit, quæ ejus majores ipfi indulferant.

Compofitis ita rebus, Federicus fuæ fponfæ fe reftituit, ut, depulfo bellorum metu omni, paftorale officium in animarum falutem tranquille exerceret; nihilo tamen minus perbrevis fuit hujus pacis fructus. Namque Albertus ille de Caftrobarco

(10) Tom. IV. pag. 801.

(11) Loc. cit. pag. 965.

barco cum sibi proposuisset Guelphos ulcisci, qui in pluribus Cispadanis Urbibus ab Imperatore desciverant, illud cepit consilii, quo universus populus Brixianus duas iterum in partes scissus *ad arma surrexit die* XIV. *Februarii*, *qua primus dies Quadragesimæ celebrabatur* (verba sunt citati Malvetii). Eo bello victis Gibellinis, universorum Guelphorum populus & Magnates citatum Thebaldum sibi Principem statuerunt, & Imperatori Henrico Urbis dominium petenti, mira animorum constantia restiterunt; qua de re commotus vehementissime Imperator admovit Urbi exercitum, multasque passus est Episcopus in Urbe degens ærumnas. Hoc temporis intervallo, Maphæum de Madiis Cathedralis Archidiaconum Bergomum misit, ut Concilio Provinciali, a Cassono Turriano Archipræsule Mediolanensi indicto, interesset, totius Cleri Brixiani nomine, eo quod (ut est in ejusdem Concilii Actis) ipse ab Urbe, sæva obsidione cincta, abesse non poterat. Acta Synodi hujus coactæ tertio Nonas Julias anni MCCCXI. edidit Cæsar Specianus Episcopus Cremonensis ad calcem Diœcesanæ Synodi anni MDCIII. Inter subscriptorum nomina ita est: *D. Maphæo de Madiis Archidiacono Buxeti Procuratore Venerab. P. D. Federici Dei gratia Episcopi Buxeti*, *cum Clerus mittere non potuisset*, *eo quod Civitas Buxeti est obsessa*: loco *Buxeti* legendum *Brixiæ*, certo certius est; tunc enim Oppidum illud haud erat Episcopali Sede decoratum. In Codice legebatur: *Brix.*, amanuensis, qua erat inscitia, transcripsit *Bux*, adnotante Campio Tom. III. Hist. Placent. (12).

Tandem pax Imperatorem inter & Civitatem coaluit ope Lucæ de Flisco S. R. E. Cardinalis, & Ottoboni Aquilejensis Patriarchæ, Apostolicæ Sedis Legatorum, Septembri mense anni MCCCXII. Apud Malvetium legitur anno MCCCXI., sed cubat alicubi error; scripserat enim Malvetius paullo ante, Henricum anno MCCCXII. verno tempore cum exercitu mare ingressum a Janua ad Urbem Pisarum pervenisse, indeque Romam profectum. Isthæc evenere anno 1312., ut legere licet Tom. VIII. Annal. Ital. Muratorii (13). Cum vero Brixianorum turbas eo tempore fuisse excitatas, narret Mal-

(12) Pag. 42. Eadem Acta recusa sunt pag. 543. Tom. IX. Rer. Italic. integro relicto eo errore, a Muratorio & Saxio non animadverso.

(13) Pag. 62.

Malvetius , plane in annum MCCCXII. easdem incidisse certum est . Adnectere placet, tantam tunc fuisse Brixianorum incolarum frequentiam, ut eam admiratus Imperator dixerit : *profecto hæc Brixia non est Civitas, sed Regnum* (14). Verum a præteritis damnis & laboribus vix cœperat animum relevare Episcopus , cum ecce in alias jactatur tempestates ob civile bellum ejusdem anni mense Decembri excitatum . Gibellinæ factionis dux ipse erat & caput (15) ; vario Marte aliquot mensibus pugnatum , victoria tamen a Gibellinis cum stetisset , miserunt Guelphi viros prudentia & nobilitate conspicuos ad Federicum Episcopum cæterosque tunc Urbis præsides , quatenus cum illis pacis fœdera connecterent , quos gratanter susceperunt , demumque pace composita , receptis in Urbem Civibus , qui ejecti fuerant , cæteri omnes ad lares proprios remearunt die XIII. Octobris anni MCCCXIII.

Ita compositis Guelphorum & Gibellinorum animis , videbantur tandem advenisse sereni dies Episcopo nostro , quibus tranquille Episcopalibus curis exercendis posset incumbere ; sed neque hac vice firma fuit & constans pacis quies & lætitia ; elapso enim biennio ruitur iterum in arma . Gibellini a Guelphis victi Urbe expulsi sunt , & Episcopus Gibellinorum caput Urbe abire coactus , ipsoque dicitur Episcopatus honore spoliatus a Rom. Pontifice Joanne XXII. in Guelphos propenso ; quod contingere non potuit nisi exacta die IX. Maji anni MCCCXVI. ; ea enim die nomen ejus in publicis Episcopalis Cancellariæ Actis recensetur ; imo exacto etiam Augusto mense ejusdem anni, quo Jacobus de Eusa in Rom. Pontificem electus est , assumpto nomine Joannis XXII. , fortasse quia nimium Episcopus Gibellinis adhærebat , quos novus Pontifex invisos habere cœperat , utpote qui Guelphorum partes Ecclesiæ tunc propitias putabat , quod , ut clarius intelligatur, altius repetenda res est . Ludovicus Bavariæ Dux , mortuo Henrico VII. Imperatore , pactum inierat cum Friderico Austriæ , quo cum de Imperio acriter contenderat , ut sibi jus omne esset in Italiæ Regnum, Friderico vero in Germaniam . Summum Pontificem Joannem XXII. Avenione degentem deprecatus erat Ludovicus , ut ratam

(14) Apud Malvet. loc. cit. (15) Ibid.

ratam habere vellet eam ſanctionem, ſed non ſolum Ludovici precibus non eſſe obtemperandum ſtatuit Pontifex, verum etiam jure omni ad Imperium eum privavit, quod ægro ferens Ludovicus, & a ſancita ſanctione recedere noluit, & Rom. Pontificem illis calumniis laceravit, quas continet libellus inſcriptus: *Ludovici IV. proceſſus contra Joannem XXII.* (16). Non tulit hoc infamiæ dedecus pacato animo Summus Hierarcha, ſed ſacro anathemati addixit Ludovicum, ejuſque Sectatores omnes (17). At Ludovicus majori incenſus ira in Italicas deſcendit oras, & Mediolani ſtipatus magna nobilium Virorum corona, e quorum numero erat Federicus noſter, Italici Regni dominium ſuſcepit, ſolemnique pompa Calendis Junii anni MCCCXXVII. in æde S. Ambroſii corona ferrea redimitus fuit a tribus Epiſcopis Aretino, Tridentino & Brixiano, *qui Miſſam celeriter celebravit.* Aycardus enim Antimianus Archipræſul Mediolanenſis Rom. Pontifici addictiſſimus exulabat a patria; Joannes vero Vicecomes Œconomus dumtaxat erat, & Conſervator Archiepiſcopatus.

Profecto narrationem iſtam nemo ſanæ mentis in dubium revocavit, utpote deſumptam ex duobus probatiſſimis Auctoribus, Matthæo nimirum Villano Auctore ſyncrono, atque Malvetio, qui patriam hiſtoriam paullo poſt Villanum conſcribere ſuſcepit. Verba Villani ſunt hæc ex Capite X. Lib. X. Hiſt. Florent. *A di 30. di Maggio 1327.....ſi fece coronare in Milano il detto Bavaro....per mano di Guido de' Tarlati depoſto veſcòvo di Arezzo, e per mano di quelli di caſa Maggio depoſto Veſcovo di Breſcia, & eſcommunicati.* Malvetius autem hæc habet (18): *porro Dominus Federicus de Madiis Brixienſis Civis licet rebellis, & qui Epiſcopatum tenuerat etſi a Summo Pontifice Joanne excommunicatus eſſet in ea coronatione Miſſam celeriter celebravit.* Quibus auctoritatibus plane Faynus iique omnes refelluntur, qui Federici mortem fixere anno 1327. Eadem narrat, ut omittam recentiores, Corius in patria hiſtoria ad eumdem annum, in eo ſolum emendandus, quod nomen Federici inconſulto mutaverit in illud Paſqualini.

Ludovicus hinc Romam contendit, ubi tot egit tragœdias ab

(16) Libellum edidit Baluzius in Vitis Paparum Avenionen. Tom. II. pag. 512.
(17) Excommunicationis ſententia legitur in Annal. Eccleſ. Raynaldi ad ann. 1327.
(18) Pag. 999.

ab omnibus Historiis commemoratas. Summus autem Pontifex, harum rerum accepto ferali nuntio, sacris denuo execrationibus Ludovicum perculit, Episcopos cæterosque omnes, qui in iisdem consenserant (19). Federicus autem noster, quo se verterit, ob Auctorum silentium, prorsus ignoramus. Ex inscriptione Sepulcri mox recitanda, quod positum ipsi fuit in Eustorgiano FF. Mediolanensium S. Dominici Templo, probabili conjectura colligi potest, ad bonam frugem reversum in sinu Ecclesiæ obiisse; probabiliter enim junxit se Mediolanensibus, qui paullo post a Ludovici partibus deficientes, eidem Mediolanum ingredi per vim tentanti fortiter restitere, propter quam rem Joannes XXII. a censuris eos absolvit & interdicto, quo fuerant irretiti. Conjecturæ vim adderet locus, ubi ab Ughello dicitur vita functus, scilicet Avenione, ubi Pontifex degebat. At cum universam hanc Ughelli narrationem supra everterimus, non est cur eadem innitamur.

Superest enodandus nodus admodum implexus, quo nimirum anno Federici obitus contigerit; Florentinius in Catalogo contigisse statuit anno MCCCXXXIII., sed Ughellus, quem sequitur Faynus, decem annos detrahit, nixus sepulcrali, quam hic damus, inscriptione:

Federicus Madius Brixiæ Episcopus
longe Reverendissimus hic jacet
Obiit XV. * *Kal. Aprilis*

Deinde in Arca hæc leguntur verba:

Brixia quem duxit, cujus præsidentia fulsit
Hic jacet inclusus Federicus Pontifex altus,
Moribus ornatus, Madiorum stipite natus.
MCCCXXIII. die Dominica XXI. *Martii.*

Dubii eramus, an mendum irrepsisset in Ughellum typothetæ oscitantia, sed experiundo cognovimus, eam inscriptionem adhuc existentem ita se habere; itaque consultis tabulis chronologicis mendum ab iisdem refellitur; quippe dies XXI. Martii anni MCCCXXIII. non incidit in diem Dominicam: bene vero anni MCCCXXXIII., quo statuimus cum Florentinio hujus Episcopi mortem. LXX.

(19) Apud Raynaldum loc. cit.

(*) In margine est: XII. *Kal.*

LXX.
PRINCIVALLUS EPISCOPUS
ANNO MCCCXVII.

EO anno, quo Federicus Episcopatu privatus fuit, vel paullo post, Princivallus Fliscus Januensis, & Canonicus Tullensis ei fuit suffectus, de quo nihil quod referam habeo, præter acta œconomica in Archivo Cancellariæ asservata, ejus nomine signata Non. Maji anni MCCCXIX., & IV. Non. April. anno MCCCXXII. Faynus & Ughellus affirmant, Ecclesiam administrasse annis octo, nimirum usque ad annum MCCCXXV., quo translatus fuit ad Ecclesiam Derthonensem.

LXXI.
TIBERIUS EPISCOPUS
ANNO MCCCXXV.

QUadam veluti permutatione (1) ex Derthonensi commigravit ad hanc Ecclesiam anno MCCCXXV. Tiberius Turrianus Mediolanensis, quem in citatis Cancellariæ Actis invenio sedentem die XVI. Novembr. anni MCCCXXVI. *Hic anno MCCCXXVII. die ultima Maji Mediolani Ludovicum Bavarum coronavit simul cum Aretino Episcopo: dum esset Joannis Summi Pontificis rebellis, & excommunicatus*; sunt hæc narrata ab Ughello in nostris Episcopis: verum vel e fonte prorsus cœnoso hæc hausit, vel probatos Auctores dum oculis legebat, ejus animus peregrinabatur; namque Federico Madio hæc nos omnia tribuimus ducti testimonio probatis-

V simo-

(1) Ex hisce permutationibus facile est inferre, Nostrorum Episcoporum electionem tunc temporis non amplius stetisse penes Clerum. Reipsa observat Tomassinus de Vet. & Nova Discipl. Lib. II. cap. 36. num. 3., Joannem XXII. ad impediendas eas dissensiones, quæ inter Cives & Clerum in Episcopi electione ut plurimum oriebantur, sibi reservasse collationem omnium Episcopatuum multarum Provinciarum, inter quas enumerat Mediolanensem.

ſimorum Auctorum (2). Deceſſ.ͭ IV. Cal. Januarii anni MCCCXXXIII., ſepultuſque eſt in Cathedrali *Rotunda* apud Sacellum Sanctiſſimæ Trinitatis, ut legitur in nota ad Catalogum noſtrum his verbis: *Tiberius de la ture de Mediolano Venerabilis ẽps brixien. Marchio Dux & comes migravit ex hoc ſeculo die IIII. Kal. Januarii M.CCC.XXXIII. & ſepultus eſt in Eccleſia S. Mariæ Majoris in capela Sancte Trinitatis in eadem Eccleſia Majore* (3).

LXXII.

JACOBUS DE ACTIS EPISCOPUS

ANNO MCCCXXXV.

TIberio extincto, dicenda eſt noſtra Eccleſia duobus annis viduata Paſtore; nam ex catalogis hactenus editis (noſter enim mſ. terminat in Tiberio) colligitur, non niſi anno MCCCXXXV. Tiberio ſuffectum fuiſſe Jacobum de Actis Mutinenſem. Is erat Pontificis Benedicti XII. Capellanus, cauſſarumque in ſacro Palatio Auditor (1), ut eſt in calce Codicis mſ. ſecundæ Secundæ D. Thomæ aſſervati in ſæpe laudato Archivo Capituli Cathedralis, ubi ſic legitur: *explicit Summa ſecunda ſecunda partis Fr. Thomæ de Aquino Ordinis F.F. Prædicatorum: Deo gratias. Amen. & eſt Domni Jacobi de Actis de Mutina Capellani Domni Papæ, & ejus Sacri Palatii cauſarum Auditoris;* quo ex munere dicendus eſt vocatus ad jus Eccleſiaſticum Brixianis adminiſtrandum; quippe eos inter recenſetur, qui vicariam hic geſſerunt dignitatem (2), ante-

(2) Mirabamur, oculatiſſimum Galeardum mentem non intendiſſe in tantum anacroniſmum, cum nullam ejus notam hoc loci vidimus, ſed mſ. ejus ſchedas revolventes, in hæc ejus verba incidimus: *male Corius hiſt. Mediol. Par. III. ad ann. 1327. factum hoc fuiſſe ſcribit a Paſchali Brixiæ Epiſcopo unacum Epiſcopo Regien., cujus loco Ughellus ſubſtituit Epiſcopum Aretinum, ſed neque in Regien. Epiſcopis, neque in Aretinis hujus coronationis apud Ughellum mentio ulla eſt. In Brixiana vero Sede, cum ea tempeſtate nemo ſederet niſi Tiberius, ideo Paſchalem hunc ab Epiſcoporum Brixianorum albo rejicimus.*

(3) Hic deſinit mſ. noſter Epiſcoporum Catalogus.

(1) Deleto munere hoc, inſtitutum eſt Collegium *Auditorum Rotæ*.

(2) Faynus in Catalogo Vicarior. Generalium inſato in Cæl. Brix. Ex quo illud etiam habetur, Jacobum illum fuiſſe in Eccleſia Talleaſi Scholarum Præfectum.

antequam ad Episcopatus infulas assumeretur. Cum prudentiæ sapientiæque suæ plurima dedisset Summo Pontifici experimenta, unus fuit ex paucis illis dignitate & doctrina præclaris Viris, quorum consiliis usus est Summus Hierarcha in præscribendis vitæ formulis, quas Benedictinis, & Minoritis præscripsit anno MCCCXXXVI. ut religiosæ disciplinæ splendor in sacris illis Ordinibus restitueretur. Raynaldus in Annal. Eccl. ad eum annum Pontificis Bullam refert, ex qua ea res confirmatur. Anno MCCCXLII. a Petro Buduvensi Antistite consecrari fecit Aram maximam (3) principis Ecclesiæ, quam plurimis Sanctorum Lipsanis reddidit venerabiliorem. Postquam Conradum Buccam Roccafrancam abire, & jus suum dimittere Apostolica auctoritate coegerat, vitam laudabiliter actam conclusit Brixiæ anno MCCCXLIV. ut colligitur ex laudatis Cancellariæ Regestis; pridie vero Calendas Novembr. ut est in citata tabula Necrologica. Sepulturam accepit in veteri Cathedrali in Altari S. Jacobi.

LXXIII.

LAMBERTINUS DELLA CECCA EPISCOPUS

ANNO MCCCXLIV.

Balduino postea *della Cecca* sive de Balduinis (uti est in Tabula Necrologica mſ. supracitata) Ecclesiæ cura demandata est. Hic fuit ex nobilissima Lambertinorum familia, quæ Bononiæ maxime floret, quæque de Brixiana Urbe optime merita est propter Lambertinum ex Lambertinis, qui ineunte seculo XIII. semel, iterum, ac tertium egregia justitiæ laude jus Civile Brixianis dixit (1). Unus Ughellus ex (2) Epistola tertia Clementis VI. in *Regesto Vaticano* trans-

V 2

(3) Ex Florentinii Catalogo. Insuetum autem ooo esse, Altare majus seorsim ab ipsamet Ecclesia aliquando consecrari, adnotabamus in S. Felicem pag. 94.

(1) Ejus rei notitiam hausimus ex nuncupatione Operis de *Infanticidio Herodiano* a doctissimo Casto Innocente Ansaldo elucubrati, Pontifici Summo Benedicto XIV., ex ea Lambertinorum familia prognato, inscripti.

(2) Loc. cit. pag. 553.

translatum ait ex Nicosiensi ad hanc Ecclesiam. Reipsa invenitur Lambertinus eos inter Episcopos *suffraganeos* Archiepiscopatus Nicosiensis in Insula Cypro, in qua jacet Nicosia, qui præsentes fuerunt Concilio Nicosiensi ab Elia Nicosiensi Præsule celebrato die XVII. Januarii MCCCXL. (3); quamobrem hic Lambertinus collocatur a Lequiennio (4) inter Latinos Nicosiensis Ecclesiæ Episcopos.

Brixianam Ecclesiam splendide ac laudabiliter administravit. Altero namque initi Pontificatus anno accivit in Urbem, petita prius facultate a Summo Hierarcha Clemente VI., qui Avenione moram trahebat, novos Colonos, qui Vineam Domini ejus vigilantiæ commissam excolerent, atque vitæ sanctioris exemplo, Divinique verbi prædicatione in uberiorem messem redderent frugiferam. Ii fuerunt Fratres Carmelitæ, paullo ante ab Honorio Pontifice approbati, quibus nobilem locum ad partem Urbis occidentalem attribuit (5).

Eumdem non suæ solum, sed alienæ etiam Diœceseos fovendæ cura maxime intentum habuit; quippe conatus est pro virili, ut Placentiæ firmaretur Xenodochium a quodam probo viro Joanne Terranera in eum finem excitatum, ut simul peregrini reciperentur, & ægroti curarentur, simulque eorum addicti ministeriis corpus in officio continerent frequenti patientis Jesu cogitatione, & crebris pœnitentiæ actibus, inprimisque flagellationibus, singulis sextis Feriis exercendis. Aptissimam insuper ad universos Diœceseos suæ filios Epistolam expedivit die XXIV. Februarii anni MCCCXLVI. eos incensurus ad liberalem stipem erogandam in tantum supremi Numinis cultum, animarumque utilitatem. Porro eximium studium, quo sacras quasque res Lambertinus promovere studebat, cum maxime ex ea Epistola eluceat, digna est quæ hoc loco referatur ex Historia Placentina Campii, quæ non ita obvia est in Bibliothecis, rarissima autem in Bibliopolarum officinis (6).

„Lam-

(3) Tom. XV. Concil. Labbé pag. 771.

(4) Tom. III. Orientis Chris pag. 1227.

(5) In Chartulario FF. Carmelitar. (vulgo *del Carmine*) asservatur Pontificis Bulla, ex qua hæc exscribere non piguit: *Cum itaque ut petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, vos in multis Civitatibus Lombardia nullum locum vest i Ordinis habeatis, nos Venerab. Fr. Nostri Lambertini Episcopi Brixiensis nobis super hoc humiliter supplicantis &c.* Dat. Avenione XV. Kal. Septemb. Pont. Nostri Anno IV.

(6) Hujus Instituti historiam retulit Campius Tom. III. Hist. Placent., in cujus Appendice pag. 292. dedit Lambertini epistolam.

„ Lambertinus Dei, & Apoſtolicę ſedis gratia Epiſcopus
„ Brixienſis, Marchio, Dux, & Comes. Vniuerſis, & ſin-
„ gulis Chriſtifidelibus, Abbatibus, Prępoſitis &c. per Ci-
„ uitatem, & Dięceſim Brixien. conſtitutis, ac cęteris tàm
„ clericis, quàm laicis ſalutem, & ſinceram in Domino
„ caritatem. Si iuxta ſententiam peritiſſimi Salomonis in-
„ tendimus, id ſeminare debemus in terris, quod reddente
„ Domino recolligere valeamus in Cœlis &c. Cum igitur
„ Frater Ioannes de Placentia inceptor deuotionis ſanctę di-
„ ſciplinę per multas terras Lombardię, fecerit fieri, &
„ conſtrui quoddam Hoſpitale in Ciuitate Placentię, quod
„ vocatur Hoſpitale Sancti Iacobi, in quo pauperibus, &
„ infirmis multa fiunt opera caritatis, & ad reuerentiam
„ Dominicę Paſſionis multi de Congregatione ſanctę diſci-
„ plinę ſua corpora flagellando ſępius domare nituntur, &
„ ad dicta pia opera ſuſtinenda ipſius F. Ioannis proprię
„ non ſuppetant facultates, niſi à Chriſtifidelibus, & de-
„ uotis ſubueniatur eidem: Vniuerſitatem veſtram rogamus,
„ & hortamur in Domino, in remiſſione vobis peccaminum
„ iniungentes, quatenus cum fratres, & nuncij dicti Hoſpi-
„ talis has noſtras litteras deferentes aduenerint eleemoſinas
„ petituri, pias eleemoſinas, & grata ſubſidia erogetis, vt
„ per ſubuentionem veſtram deuotum opus manutenere va-
„ leat, & adimplere, & vos per hęc, & alia bona, quę
„ Domino inſpirante feceritis, ad æternę poſſitis fęlicitatis
„ gaudia peruenire. Nos enim de omnipotentis Dei miſeri-
„ cordia, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac
„ Beatorum Martyrum Fauſtini, & Iouitę, nec non Bea-
„ torum Confeſſorum Apollonij, & Filaſtri patronorum no-
„ ſtrorum meritis, et interceſſione confiſi, omnibus verè
„ pęnitentibus, & confeſſis, qui eidem Hoſpitali, ſeu
„ nuncijs eiuſdem latoribus pręſentium manum porrexerint
„ caritatis, 40. dies de iniunctis eis pęnitentijs miſericordi-
„ ter in Domino relaxamus &c. Dat. in Epiſcopali palatio
„ Brixię die 24. Menſis Februarij 1346. indict. 14.

Perſeverabat, ea tempeſtate, in Monaſticæ obſervantiæ flore Monachorum S. Benedicti cœtus, qui priſcis ab uſque tem-

 pori-

poribus in monte Urſino degebant (7), qui vitæ neceſſaria empturi ad Urbem ventitantes, ad tabernas, aliaque loca divertere cogebantur. Ad quæ incommoda devitanda Eccleſiam S. Brigidæ in Urbe, tunc Parochialem, obtento Canonicorum Cathedralis conſenſu, jure perpetuo D. Girardo Monaſterii Abbati cæteriſque Monachis Lambertinus conceſſit anno MCCCXLVII. in eas conditiones, quas exprimit Monumentum, quod in Ughello cum deſideretur, in lucem illud educi ex citato Monialium S. Mariæ Angelorum Codice, gratum Lectoribus fore exiſtimamus. Ita vero ſe habet:

„ In Chriſti nomine Amen. An. Mill. trecenteſimo quadrag.
„ ſeptimo Indict.ne quartadecima die quintodecimo menſis
„ Novembris in parlatorio infraſcripti Domini Epiſcopi ſito
„ in Epiſcopatu Brixiæ præſentibus Domino Baldovyno de
„ Baldovynis de Bon., Carbino de Cremona Cancell. Rm̃i
„ Patris, & DD. Joannis Dei gratia Epiſcopi & Archiepi-
„ ſcopi Mediolanen. Presbyter Mauclo de Cumis Capella-
„ nus infraſcripti D. Epiſcopi teſtibus rogatis præſentibus
„ etiam .... D. Jacobino de monte Cavalli Archidiacono
„ Eccleſiæ majoris Brixiæ, D. Feo de Arezio Archipresby-
„ tero majoris dictæ Eccleſiæ, D. Jacobo de Conſalonibus
„ Præpoſito in d.a Eccleſia, D. Jacobino de l'aqua Præpo-
„ ſito de Calviſano, D. Antoniolo de Martino Canonicis
„ d.æ majoris Eccleſiæ Brixiæ, ad requiſitionem infraſcripti
„ D. Epiſcopi ad Capitulum congregatis, cum huc non eſſent
„ plures Canonici vocandi in Brixiæ Eccleſia, vel dictam
„ reſidentiam facientes, R.dus & diſcretus Girardus D. Jaco-
„ bi Abbas Monaſterii S. Petri in monte Brixiæ dixit in

„ præ-

(7) Mons Urſinus in adnotat. ad noſtrum Catalogum mſ. vocatur *Eccleſia S. Petri in Monte*, ut ſecernatur ab illa S. Petri in Oliveto in medio Chinæo monte inædificata, cujus haud perbrevem texuimus hiſtoriam in Commentario ad S. Paulum pag. 76. Deinceps mons Urſinus cœptus eſt vocari *Serle*, ubi Benedictinorum olim erat Cœnobium a Deſiderio, ut fertur, Rege fundatum. Ex eo fuiſſe Armannum illum noſtrum Epiſcopum, ſuſpicati ſunt loc. cit Ughellus, & Aſtezatus: noſque celebrem fuiſſe ibidem ejuſdem memoriam, advertere non prætermiſimus pag. 198. Raymundam quoque Biancam ex Monachorum illius Cœnobii numero Brixianis Inſulis admotum fuiſſe, in Commentario de eodem leviter attingemus. Illi Monaſterio unitam fuiſſe anno 1341. urbanam, tunc Parochialem, S. Brigidæ Eccleſiam (de qua in Commentariis de Lambertino, & Zanaſio) eſt loc. cit. affirmatum ab Aſtezato. Verum eam rem contigiſſe poſt ſex annos, indubitatam facit fidem vulgatum in Commentario de Lambertino Monumentum. Demum ob S. Silvini noſtri Epiſcopi reliquias, celebres hodierna die eſſe Serlas, ex noſtro conſtat hoc Opere pag. 69.

„ præsentia Rmi Patris & DD. Lambertini Dei & Aposto-
„ licæ Sedis gratia Episcopi Brixien. Marchionis, Ducis,
„ Comitis, & prædicti sui Capituli.... exposuit, & humi-
„ liter petiit, quod cum ipse, & Fratres Conventus sui,
„ & familia dicti Monasterii sæpe pro necessitatibus, &
„ commoditatibus suis & Monasterii prædicti veniant, &
„ causam justam habeant veniendi ad Civitatem Brixiæ, &
„ in Civitate prædicta nullam domum, vel mansionem ha-
„ beant ubi possint tam commode, quam honeste recipi &
„ morari, præfatus D. Episcopus, & Capitulum Brixiæ at-
„ tente considerantes, quod juste deprecantibus non est de-
„ negandus assensus, & quod indecens & inhonestum est,
„ & in totius Cleri redundat opprobrium, quod Abbas, &
„ Monachi quando pro necessitatibus vel utilitatibus Mona-
„ sterii præfati veniunt, Brixiæ ad hospitia & tabernas de-
„ scendant, & in eis necessario commorentur, idcirco idem
„ R.dus Pater D. Episcopus de expressa voluntate ex con-
„ sensu d. sui Capituli ex certa scientia consideratis omni-
„ bus, & singulis supradictis specialem gratiam faciendo
„ omni modo, via, & causa, quibus melius potuit Eccle-
„ siam S. Brigidæ in Civitate Brixia positam cum omnibus
„ suis juribus spiritualibus & temporalibus, quæ habet vel
„ habere possit eidem D. Abbati, & Abbatiæ prædictæ uni-
„ vit in perpetuum, annexit, ita quod Abbas, qui nunc
„ est, & Abbates, qui per tempora erunt in dicta Eccle-
„ sia, & domibus ipsius Ecclesiæ S. Brigidæ in perpetuum
„ habeant liberam habitationem, & quandocumque ipsa
„ Ecclesia Rectore vacabit, dictus D. Abbas teneatur, &
„ debeat præsentare unum bonum, & sufficientem Sacer-
„ dotem Clericum secularem D. Episcopo Brixiæ per ipsum
„ D. Episcopum in perpetuum Rectorem ipsius Ecclesiæ in-
„ stituendum qui gubernet dictam Ecclesiam, & populi ip-
„ sius Ecclesiæ curam habeat, & omnes fructus redditus
„ obventiones proventus ipsius Ecclesiæ percipiat, & ad vo-
„ luntatem suam in usus sui convertat, & de ipsis ipsi D.
„ Episcopo.... prout alii Ecclesiarum suarum.... facere te-
„ nentur, faciat, cui ad arbitrium D. Episcopi pro habita-
„ tione sua pars congrua de domibus ipsius Ecclesiæ per
„ Abbatem expedita & libera dimitt......, qui Pre-

 „ sby-

„ sbyter in visitatione, Cathedratico, & in omnibus; & „ per omnia subsit D. Episcopo Brixiæ secundum quod „ alii.... sui Capellarum, & Ecclesiarum.... subsunt; ita „ tamen quod per præsentem annessionem Presbytero, qui „ nunc est in ipsa Ecclesia, nullum præjudicium generetur.

„ Ego Joannes de Putis de regio publ. Imperial. aucto- „ rit. Notarius Officialis & Scriba præfati D. Episcopi, ac „ super Episcopalis Curiæ Brixiæ his omnibus prædictis „ præsens fui, & rogatus scripsi.

Lambertinum XI. Cal. Martias anni MCCCIL. ad Ecclesiæ clavum adhuc sedisse, ex citatis Cancellariæ Regestis patet; verum III. Nonas Septemb. ejusdem anni extremum vitæ diem morte commutasse, docemur inscriptione hac sepulcrali, cui consonat citata Necrologica tabula:

Sepulchrum Reverend. in Christo Patris, & DD. Lambertini de Bononia olim bonæ memoriæ Episcopi Brixiæ, qui obiit die III. Semptemb. (8) *MCCCXXXXVIIII.*



LXXIV.

(8) Ea Inscriptio adhuc legitur in Cathedrali Rotunda ad dexteram Altaris Angeli Custodis, ex qua corrigenda edita ab Ughello, quæ habet: *obiit die 3. Septembris M.CCCXXXXVIII.* qui tamen error sublatus est in margine novæ editionis Ughelli. Obiter adnotamus ex Fayno in Append. Cæl. Brix. pag. 64., Antonium Mazinum in *Bononia perlustrata* ad annum 1390. perperam duos distinxisse Brixianos Episcopos Lambertinos.

LXXIV.

BERNARDUS TRICARDUS EPISCOPUS

ANNO MCCCIL.

BErnardus inde Tricardus, Gallus (1), Agathensis Diœcesis subrogatus fuit. Ex Cistercien. Ordine, quem profitebatur, ad Bergomensis Ecclesiæ regimen electus fuerat a Clemente VI. in Galliis versante anno MCCCXLII.; sed in Ecclesiasticæ disciplinæ reparationem totus incumbens gravibus impetitus calumniis (2) a Bergomensi ad Brixianam Ecclesiam per eumdem Pontificem anno MCCCIL. traductus fuit, ascito, ut vicariam sibi opem præberet, Feo de Aretio, in canonicis disciplinis apprime versato. Hoc patefacit Diploma pro Monialibus de Minervio latum, cujus ex autographo ejusdem sæpe citati Parthenonis Cartularii damus sequens fragmentum: *A. MCCCLIV. Indic. VII. die* XII. *mensis Madii in Ecclesia S. Felicis de Brixia. Feus de Aretio Juris Canonici peritus Vicarius R.*[di] *in XPO Patris, & Domni D. Bernardi, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Brixiæ. Idibus Martii Anni MCCCLVIII.* Extremum vitæ spiritum edidit, cum annum explevisset Episcopatus nonum, & sepulturæ mandatus in veteri Cathedrali prope Altare S. Silvestri.



LXXV.

(1) Bartholomæus Peregrinus eum fecerat Bergomatem, sed vapulat a Martino Guerino pag. 76. cit. Synops. Ecclesiæ Bergomen.

(2) Eas ex mss. Civitatis enarrat Guerinus loc. cit.

L X X V.
RAYMUNDUS BLANCUS EPISCOPUS
ANNO MCCCLIX.

POstero autem anno, qui fuit MCCCLIX., Innocentius VI. Rom. Pontifex Bernardo suffecit Raymundum Blancum de Valate Mediolanensem. Nomen dedisse fertur Ordini S. Benedicti, eoque tempore Abbatis munere functus in Monasterio montis Ursini Agri (1) Brixiani; unde ejus nomine augendus esset Catalogus Episcoporum Congregationis Casinensis per Armellinum confectus (2). Is Xenodochium S. Margaritæ Brixiæ publicis firmavit tabulis. Cætera ejus gesta delitescunt. Obiit diem extremum anno MCCCLXII.

L X X V I.
HENRICUS SESSA EPISCOPUS
ANNO MCCCLXIII.

HEnricus hinc Sessa, anno proxime sequenti, ex Asculana ad Brixianam Ecclesiam translatus fuit per Urbanum V. Rom. Pont. XIV. Cal. Januar., sed iterum quatuor post annos traductus fuit ad Ecclesiam Cumanam in Campania.

LXXVII.

(1) Ughellus loc. cit. pag. 554. De monte autem Ursino vide Commentar. in S. Silvinum pag. 69. & in Lambertinum pag. 310.

(2) Tom. III. Biblioth. Benedictino-Casinens.

LXXVII.

AGAPITUS COLUMNA EPISCOPUS

ANNO MCCCLXIX.

ITaque Agapitus Columna ex Asculana Sede, quam relicto Archidiaconatu Bononiensi acceperat, amotus, hujus Ecclesiæ regimen hoc anno MCCCLXIX. suscepit. Fuit vir egregii animi, eximiaque valuit rerum gerendarum peritia; quæ tamen laus nescio an aliquid profuerit suæ Ecclesiæ, in qua exiguo temporis intervallo hæsit. Nomine enim S. Pontificis Gregorii XI. obiit legationes ad Carolum IV. Imperatorem, mox ad Henricum Castellæ, & Ferdinandum Lusitaniæ Reges, quibus egregie perfunctus, Romam reversus ab Urbano VI. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Priscæ adscriptus fuit. Verum animadvertente Agapito, Ecclesiam sibi traditam magnis, absente se, incommodis obnoxiam fore, ejusdem curam jam ab anno 1372. sub Gregorio XI. proximo Urbani VI. antecessore, transferri curaverat in quemdam Stephanum.

LXXVIII.

STEPHANUS EPISCOPUS

ANNO MCCCLXXII.

QUi Stephanus & ipse, mense Martio anni insequentis, locum concessit Andreæ Eremitano.

LXXIX.

LXXIX.
ANDREAS EPISCOPUS
ANNO MCCCLXXIII.

ANdreas itaque ad hanc ſedem aſſumptus anno 1373. iis floruit eximii Theologi, egregiique verbi divini oratoris laudibus, quas in Familia Eremitana S. Auguſtini ſibi comparaverat. Quinque vero annis hanc Eccleſiam maximo ſplendore auctam reliquit anno 1378.

LXXX.
NICOLAUS ZANASIUS EPISCOPUS
ANNO MCCCLXXVIII.

ECcleſia deinde demandata eſt Nicolao Zanaſio Cremonenſi, Juriſprudentiæ laude, vitæ probitate, longaque in Romana Curia experientia clariſſimo (1). Incidit hic Epiſcopus in mala illa tempora, quibus chriſtianus orbis diſciſſum ſe bifariam ingemuit; quippe mortuo Gregorio XI. ei ſuffecerant Cardinales Bartholomæum Prignanum, qui vocari voluit Urbanus VI. Sed paullo poſt Cardinales Galli, tribus etiam Cardinalibus Italis in ſuam opinionem perductis, crearant Papam Robertum Genevenſem, qui nomen aſſumpſit Clementis VII. Horum electio adeo implicita nonnullis viſa fuit, ut plenarium Concilium cogi ſtuderent, in quo orta de Pontificatu controverſia dirimeretur; ſed Urbanus nihil de ſuæ electionis genuitate jure ac merito hæſitans Clementem advocare ſatagebat. Ad id muneris aliquis requirebatur eximia juris Canonici peritia, ſummaque dexteritate præditus, inſuper Urbani partibus conſtanter adhærens; itaque delegit una cum Raynaldo de Urſinis hunc no-

(1) Ex Ariſio Cremonæ Litterariæ Tom. I. pag. 187.

noſtrum Epiſcopum, quod conſtat ex Cardinalium reſponſo apud Raynaldum ad ann. MCCCLXXIX. num. II.

Creditur etiam Orator Apoſtolicus fuiſſe cum Marinello Blanco ad Carolum III. Siciliæ Regem; namque præſens fuit, teſte Ughello (2), juramento, quod præſtitit ille Rex Urbano VI. Cal. Junii anno MCCCLXXXI.

Eodem labente anno, ob mortem Jacobi de Prandalio Eccleſiæ Urbanæ S. Brigidæ, de qua in Lambertino actum eſt, ultimi Rectoris, Bonus de Danetio Abbas Monaſterii S. Petri in monte Urſino eamdem ſibi a Zanaſio petiit, quam a Gilio de Pomponeis Vicario Generali Epiſcopi, ab Urbe probabiliter tunc longe agentis, conſentiente Cathedralis Capitulo, conſequutus eſt, ſtatuto canone quotannis ſolvendo unius libræ piperis Epiſcopo, *Sacriſtiæ* vero Cathedralis unius libræ ceræ novæ: unionis chartam ex citato Monialium Angelorum mſ. quæ ad Eccleſiaſticam Brixianæ Eccleſiæ eruditionem clarius ediſcendam plurimum confert, non erit ab re nunc primo produci.

„ In nomine Domini Amen. Univerſis & ſingulis præſens
„ Inſtrumentum inſpecturis pateat evidenter, quod anno a
„ Nativitate Domini ejuſdem Domini milleſimo terceenteſimo
„ octuageſimo primo Indict.ª quarta die vigeſimo quarto menſis
„ Decembris. Coram Venerabili & ſapiente viro Gilio de
„ Pomponeis licentiato in Decretis Canonico bonorum Rm̃i
„ in Xpo Patris & D.D. Nicolai Dei, & Apoſtolicæ Sedis
„ gratia Epiſcopi Brixien. Marchionis Ducis & Comitis Vi-
„ cario Generali reverenter conſtitutus Venerabilis & religio-
„ ſus vir D. Bonus de Danetio pergomen. Diæceſ. Dei gra-
„ tia Abbas Monaſterii S. Petri in Monte Brixien. Diæceſ.
„ Ordinis S. Benedicti pro ſe, & Succeſſoribus ſuis, & nomi-
„ ne & vice d.ᵗ ſui Monaſterii & Capituli, & Conventus ejuſ-
„ dem Monaſterii præfato D. Vicario devote, & humiliter
„ ſupplicante, quatenus cum Patronalis eccleſia S. Brigidæ
„ Civitatis Brixiæ, cui cura imminet animarum, vacet ad præ-
„ ſens per mortem q.ᵐ D. perJacobi Eccleſiæ de Prandalio
„ olim d.ª eccleſiæ ultimi, & immediati Rectoris, & benefi-
„ cialis vel alio quovis modo vacet; cujus quidem Eccleſiæ,
„ cum vacare noſcatur, Rectoris, & Beneficialis præſentatio

„ præ-

(2) Ughellus loc. cit.

„ præfato D. Abbati, & Capellano, & conventui ipsius.....
„ tamquam ipsius Ecclesiæ vero Patrono; institutio vero, &
„ confirmatio præfato D. Episcopo tam de jure, quam de an-
„ tiqua legitimeque præscripta consuetudine spectat & perti-
„ net pleno jure. Quæ quidem Ecclesia S. Brigidæ propter
„ ejus paupertatem immensam jamdiu vacaverit & ......
„ extitit fraudata officiis, prout etiam extat de præsenti, pas-
„ saque sit in suis edificiis ruinam enormem, cum nullus Sa-
„ cerdos jamdiu potuerit, nec ad præsens valeat reperiri, qui
„ ipsam Ecclesiam voluerit, nec velit in titulum acceptare,
„ nec de ea institutionem habere canonicam, & quia fructus
„ redditus, & proventus ipsius Ecclesiæ sint adeo tenues &
„ exiles, quod nullus Sacerdos de eis vivere possit, ac ipsa
„ Ecclesia, ad cujus reaptationem facultates ipsius Ecclesiæ
„ quōlibet supplere non possent, dictumque Monasterium S.
„ Petri in redditibus sit solito enormiter diminutum propter
„ mortalitates, & alios varios casus, qui diu super Territorio
„ Brixiæ viguerunt, & maxime in partibus, in quibus dictum
„ Monasterium S. Petri in monte, ejusque possessiones & bo-
„ na sunt situata in quibus partibus præfatus D. Abbas jam-
„ diu non fuit ausus habitare, prout nec etiam audet de præ-
„ senti metu Bannitor., & aliorum hominum pravæ natio-
„ nis, qui in illis partibus diu viguerint, quibus obstantibus
„ præfatus D. Abbas cum Monachis suis ex redditibus d.[i] Mo-
„ nasterii necessaria vitæ suæ non potest sibi commode mini-
„ strare, habito respectu ad immensa onera, quæ eos prætex-
„ tu dicti Monasterii oportuit, ac etiam oportet supportare;
„ præfatusque D. Abbas cupiat, & affectet in Civitate Bri-
„ xiæ aliquod habere Oratorium, & domicilium sibi conti-
„ guum ubi habitare valeat, & divina officia celebrare, ob-
„ tendentia Omnipotentis Dei, & B. Mariæ Virginis glorio-
„ sæ Matris ejus, ac B. Petri sub cujus vocabulo dictum Mo-
„ nasterium noscitur esse constructum; habito quin etiam re-
„ spectu, & extimatione condigna ad fidelitatem præfati D.
„ Abbatis, qui fuit, & est ac semper erit præfati D. Episco-
„ pi devotus, & fidelis, & in necessitatibus, & negotiis Epi-
„ scopatus, & Ecclesiæ Brixiæ, inquam, se exponit, ac circa
„ spiritualia, & temporalia d.[i] Monasterii augenda utiliter
„ semper innixus fuit, prout etiam innititur de præsenti.

„ Di-

„ Dignetur & velit præfatam ecclesiam S. Brigidæ sic, ut
„ præmittitur, vel alio quovis modo vacantem, cum om-
„ nibus finibus, & pertinentii suis præfato Monasterio uni-
„ re, & incorporare; offerens se paratum præfatus D. Abbas
„ d.ª Ecclesiæ S. Brigidæ in divinis perpetuo deservire, seu
„ facere deservire, ac ipsam ecclesiam congrue & decenter
„ facere reaptare, & siquo tempore casus contingeret ipsum
„ D. Abbatem ire ad habitandum ad d.ᵐ ejus Monasterium,
„ vel ad partes in quibus ipsum Monasterium est situatum,
„ ipse D. Abbas tenebit assidue ad d.ᵐ Ecclesiam S. Brigi-
„ dæ unum Capellanum, qui ipsi Ecclesiæ ..... deserviet in
„ divinis populoque Parochiæ ecclesiæ suprascriptæ ecclesiasti-
„ ca Sacramenta ministrabit, & ejus curam habebit anima-
„ rum. Quocirca præfatus D. Vicarius auctoritate præfati D.
„ Episcopi &c. qua fungitur in hac parte, & omni alio mo-
„ do via Jure forma, & causa, quibus melius potuit & po-
„ test matura deliberatione præmissa. Considerans & atten-
„ dens quod supplicatio antedicta in qualibet sui parte conti-
„ net æquitatem, prout præfatus D. Vicarius sibi constare as-
„ seruit ex diligenti inquisitione super dicta supplicatione &
„ contentis in ea prehabita. Et quod ex unione prædicta tam
„ cultus divinus, quam honor, & utilitas d.ª Ecclesiæ S. Bri-
„ gidæ, & Monasterii supradicti aquirent, præfatæ supplica-
„ tioni annuit, & concessit. Et prædictam Ecclesiam S. Bri-
„ gidæ sic, ut præmittitur, vel alio quovis modo vacantem cum
„ omnibus juribus & pertinentiis suis præfato Monasterio S.
„ Petri in Monte, præsente, petente, & requirente, ac humi-
„ liter postulante præfato D. Abbate univit, & incorporavit,
„ stabili ac firma institutione declarans, quod præfatus D.
„ Abbas teneatur dictam ecclesiam facere reaptare, ipsamque
„ in statum & formam consuetam redactam habeant ad sex
„ menses proximos futuros; & ibi perpetuo teneantur dictæ
„ Ecclesiæ S. Brigidæ in divinis deservire, seu facere deservi-
„ ri; & quibuscumque & quoties, inquam, idem D. Abbas Al-
„ tissimi gratia permittente iret ad habitandum ad Monaste-
„ rium suprascriptum, sive ad partes in quibus ipsum Mona-
„ sterium est situatum, quod ipse D. Abbas unum Capella-
„ num, qui dictæ S. Brigidæ Ecclesiæ jugiter deserviat in di-
„ vinis ad ipsam ecclesiam tenere, & dimittere teneatur, &

„ illud

„ illud idem per quoscunque ejus Successores præfatus D. Vi-
„ carius voluit, & vult debere inviolabiliter observari, &
„ quod dictum Monasterium pro compensatione largitatis, &
„ gratiæ antedictæ pro censu, & nomine census, & pro ho-
„ nore Cathedralis Ecclesiæ Brixiensis præfato D. Episcopo
„ Brixien., suisque Successoribus & Episcopatui Brixiæ unam
„ libram piperis, & Sacristiæ Ecclesiæ Brixiæ unam libram
„ Ceræ novæ quolibet anno in festo S. Martini, vel in ejus
„ octava solvere teneantur. Quam quidem institutionem præ-
„ fatus D. Abbas pro se, & dicto nomine sponte voluit, &
„ libere, & solemniter...... promittens per se, & suos Suc-
„ cessores omnia, & singula suprascripta effectualiter adim-
„ plere, eaque & quodlibet ipsorum inviolabiliter observare,
„ & observari facere, qui dictus Abbas delato sibi Sacramento
„ per præfatum D. Vicarium juravit ad Sacra Dei Evangelia
„ corporaliter tactis scripturis obedientiam, & reverentiam
„ debitam, & devotam præfato D. Episcopo, & Vicario suis-
„ que Successoribus fideliter bona immobilia, libros, calices,
„ vel paramenta d.ᵃ Ecclesiæ S.ᵃ Brigidæ sine sui superioris
„ licentia speciali.....; demum hunc actum sibi elegit in......
„ & omnibus, & singulis suprascriptis suum, & præfati D.
„ Episcopi, & Episcopatus .... Brixien. auctoritatem inter-
„ posuit, & Decretum. Et hæc omnia facta fuerunt per præ-
„ fatum D. Vicarium in præsentia, de voluntate, & cum de-
„ liberatione Venerabilium Virorum D. Joannis de Zendobio
„ Rectoris Doctoris Archidiaconi dictæ Ecclesiæ Brixiæ, D.
„ Jacobi de Fantinis de Asula Cantoris, & D. Petri de Mari-
„ nis omnium Canonicorum d.ᵃ Ecclesiæ Brixiæ asserentium,
„ & confitentium, se esse duas partes tum præsentium, & ul-
„ tra Canonicorum totius Capituli d.ᵃ Ecclesiæ ad præsens re-
„ sidentiam facientium, & protestantium, ut dixerunt, &
„ testantium, ut protestati fuerunt ibidem totum, & inte-
„ grum Capitulum d.ᵃ Ecclesiæ Brixiæ ibidem ad mandatum
„ præfati D. Vicarii convocator., & congregator. pro præ-
„ dictis specialiter peragendis, qui DD. Archipresbyter, Can-
„ tor Canonicus, & Capitulum post nonnullos tractatus, ut
„ dixerunt, præhabitos inter eos super d.ᵃ unione &c. pro uti-
„ litate evidenti prædictor. locorum prædictæ unioni, & om-
„ nibus, & singulis suprascriptis eorum consensum præbue-
„ runt

„ runt pariter & aſſenſum, de quibus omnibus rogatus extiti
„ per me Notarium infraſcriptum fieri debere publicum In-
„ ſtrumentum, quod præfatus D. Vicarius mandavit ſigilli
„ Epiſcopalis Curiæ appenſione muniri in teſtimonium præ-
„ miſſorum.

„ Actum Brixiæ in Sacriſtia Eccleſiæ Brixiæ preſentibus &c.

„ Ego Mathæus Notarius q.m yoſepini de Gottengo &c.

Biennio poſt ad Archiepiſcopatum Beneventanum evectus noſtram (3) Zanaſius reliquit Eccleſiam.

LXXXI.

ANDREAS SEGAZENUS EPISCOPUS

ANNO MCCCLXXXIII.

Dimiſſam a Nicolao Eccleſiam obtinuit paullo poſt Andreas Segazenus, ſive de Serazonis. Hunc patria Mediolanenſem, in ſacra Thelogia Magiſtrum, Placentinis antea infulis admoverat Urbanus VI. data die IV. Novemb. anni MCCCLXXXI. epiſtola (1). Verum poſſeſſionem adire cum prohiberetur a Galeatio Vicecomite, tunc Urbis noſtræ Domino, cujus ope Gulielmus Centuria a Placentino Capitulo electus (2) fuerat: Rom. Pontifex Galeatii precibus fatigatus, die XIV. Januarii anno MCCCLXXXI. Placentinæ Eccleſiæ Gulielmum Ordinis Minorum, Brixianæ vero Andream præfecit. Adepta hac Dignitate, nomen poſtea dediſſe Familiæ Eremitarum S. Auguſtini, retento ſimul Epiſcopatu, ſunt qui putant (3), ſed omnino falluntur; propterea quod in Auguſtinianum Ordinem aſcitum fuiſſe, antequam eligeretur, hæc oſtendunt Pontificis verba in litteris ſupra commemoratis (4): *Ad*

X *dile-*

(3) Ut liquet ex Epigraphe ſepulcrali apud Antonium Campium Lib. III. Hiſt. Cremon. pag. 102.

(1) Ex Chartulario FF. Eremitarum S. Marci Mediolani protulit Campius Tom. III. Hiſt. Placent. pag. 304.

(2) Ughell. in Epiſc. Placentinis Tom. II. pag. 230., & Campius loc. cit. pag. 160.

(3) Ughell. in Epiſcopis Noſtris Tom. IV. pag. 554.

(4) Apud Campium loc. cit.

dilectum filium Andream de Serazonis electum Placentinum Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini Professorem, in sacra Theologia Magistrum &c. Nostrates una cum Ughello extremum obiisse diem affirmant anno MCCCLXXXVI., sed sacra Brixianis administrasse mense Martio die XI. anni insequentis MCCCLXXXVII., patefacit Charta Thomae de Barlasma Ordinis Eremitarum S. Augustini hujus Episcopi Procuratoris & Actoris, quam nos ex Archivo SS. Faustini & Jovitae integram damus:

„ In Christi nomine anno a nativitate eiusdem millesimo „ trecentesimo octuagesimo septimo Indictione decima die „ undecimo mensis Martij in Civitate Brixiae super pallio „ veteri Epālis Curiae Brixiensis, presentibus venerabili, & „ discretis viris Dño Fratre Andrea de Thacovia Abbate „ Monasterij S. Benedicti de Leno Brixiensis Diecesis, Marchesino de Yseo, & Mafeo de Gotelengo Notarijs Civibus „ Brixiae testibus notis, & rogatis. Ibi Venerabilis, & Re„ ligiosus Vir Dñus Frater Thomas de Barlasma ordinis He„ remitarum S. Augustini Mediolani, Reverendi in Christo „ Patris, & Dñi Dñi Fratris Andreae Dei, & Aplicae Se„ dis gratia Epī Brixiensis Marchionis, Ducis, & Comi„ tis, & Epātus Brixiae procurator actor negotiorum gestor, „ & nuntius specialis ad infrascripta, & alia solempniter, „ & legiptime constitutus, ut patet publico instrumento „ rogato, & scripto per Jacobinum de Ustiano Notarium „ Civem Brixiae die decimo mensis Februarij millesimo tre„ centesimo octuagesimo quinto Indictione octava à me No„ tario alias pluries viso & lecto, ad instantiam requisitio„ nem, & in presentia Venerabilis Viri Dñi Dm. Ambrosij „ de Crivellis Dei gratia Abbatis Monasterij S. Faustini ma„ ioris Civitatis Brixiae, Recepit ibi presentialiter in pecu„ nia numerata, & ad cautelam dixit confessus, & con„ tentus fuit se bene habuisse, & recepisse ab ipso Dño „ Abbate libras novem plēt monete Brixiae pro extimo unius „ libre argenti pro ficto, seu censu anni proxime presenti „ finiti in festo S. Faustini proxime preterito retro, vel in „ octava, ad quod fictum, seu censum idem Dñus Abbas, „ & dictum eius Monasterium tenebatur, & obligatus erat

„ eidem

„ eidem Dño Epõ, & Epãtui Brixiæ in dicto festo S. Faustini, vel in octava, Renuncians idem Dñus Frater Thomas Sindicus, & Procurator dicto nomine exceptioni non habitarum, receptarum, & non sibi numeratarum predictarum novem librarum plañt extimi argenti predicti, & non sic in singulis verum::-

„ Ego Johãius de Vezatis de Serlis Civis Brixiæ publicus Imperiali auctoritate Notarius Civis Brixiæ presatique Dñi Epĩ, & Epãlis Curiæ Brixiensis Notarius, & Scriba his omnibus affui, & rogatus hanc Cartam scripsi.

Sed quo tandem anno, quove die obierit, quove loco acceperit sepulturam, nobis hactenus incognitum: æque ac incognitum est, quanam auctoritate motus Ughellus suspicetur, hunc Andream eumdem esse cum nescio quodam, *qui se vel abdicaverit Episcopatu, vel schismate fervente, eodem fuerit spoliatus, rursusque eidem Dignitati restitutus.*

LXXXII.
THOMAS VICECOMES EPISCOPUS
ANNO MCCCLXXXIX.

EX Charta modo producta constat, initia Episcopatus Thomæ Vicecomitis, qui Andreæ suffectus fuit, collocanda esse duobus annis post, ac fuere ab aliis præfixa. Reipsa Martio mense anni MCCCLXXXIX. præclarus hic Pontifex Urbis Ecclesias perlustrarat sacra visitatione, in qua ejus enituit præcipue solertia cum in amovendis corruptelis, quas in nonnullis Ecclesiis invenerat, tum in augenda Capituli majoris Ecclesiæ disciplina & dignitate. Quapropter aucto Canonicorum numero, cum ex communi ære congruos cuique proventus minime suppetere comperisset, eorumdem Collegio census attribuit, univitque omnia jura Ecclesiarum SS. Faustini in Castro & Augustini, Ecclesiamque S. Cassiani Curatam, in quibus sacra

omnia negligebantur. Unionis tabulas die VIII. mensis Martii anni MCCCLXXXIX. signatas ex toties citato Canonicorum Archivo integras hic damus:

„ In Xpī nomine amen. Nos Thomas Dei & aplīce Sedis
„ grā Epūs Brixien. Marchio Dux & Comes. Pastoralis offi-
„ cii cura solicitat. Ut circa visitationem reformationem & Bo-
„ num statum nostrar. Ecclīar. solicite intendamus. Unde cum
„ in nostra gnāli Visitatione per nos, & nostro officio nuper-
„ rime facta, invenerimus Ecclesias scōrum Faustini in Ca-
„ stro, Augustini, & Cassiani de Brixia, quæ pleno jure ad
„ Capitulum nostre Brixien. Ecclīe spectant & pertinent, ma-
„ xima indigere reformatione ppt. ipsarum desolationem, ac
„ fructuum reddituum & proventuum ipsarum maximam ex-
„ tenuationem, & adeo fore desolatas, & in suis fructibus
„ destitutas ut in ipsis cultus Divinus celebrari non possit,
„ nec in domibus Ecclīe Scti Faustini in castro possit aliquis
„ sacerdos honeste habitare cum tam Ecclīa quam domus &
„ habitationes ipsius Ecclīe sint posite & situate in medio lu-
„ panaris publici & Comunis. Et cum etiam in Ecclīa nec
„ in domibus Ecclīe Scti Augustini non possit aliquis Sacer-
„ dos residere nec habitare, cum dicta Ecclīa Stī Augustini
„ sit facta domus & locus munitionis Comunis brixie, & in
„ domibus dicte ecclīe sit factum palacium cōis brīx. Consi-
„ derantes etiam, Ecclīam Scti Cassiani fore in suis fructibus
„ redditibus & proventibus adeo extenuatam quod dicti fru-
„ ctus non ascendunt ultra sumam flōr octo & fore confi-
„ nem & propinquam nre brixien. Ecclīe, nec plus ab ea di-
„ stare quantum esset jactus lapidis, & quod non posset repe-
„ riri Sacerdos qui in eadem vellet intitulari, nec in ea divi-
„ na officia celebrare rationibus & causis superius allegatis.
„ Quod sine magna offensa Dei, & scandalo plurimorum
„ non poteramus coniventibus oculis pertransire, ne ad refor-
„ mationem ipsarum Ecclīarum efficaciter dirigeremus oculos
„ nrē mentis. Considerantes etiam quod ad presens in pre-
„ fata Brixien. Ecclīa numerus Canonicorum in sacris or-
„ dinibus existen. & continuam & personalem residentiam
„ in eadem facientium, & divinis officiis interessentium,
„ quod quidem officium maxime ampliari cupimus ut debe-

„ mus,

„ mus, plus solito divina favente grã acreverit, & quod dicti
„ Canonici non possunt comode substentari de prebendis ipso-
„ rum tantum, & divinis interesse officiis, cum dicte preben-
„ de propter maximas mortalitates, gueras & alias pestilen-
„ tias, que hinc retro & hodie viguerunt & vigent sint intan-
„ tum diminute, & quasi ad nichilum redacte, quod nisi per
„ nos provideatur vz. de ampliando cotidianas distributiones
„ & eorum residentiam, oportebit quod dicti Canonici di-
„ ctam brixiẽn Ecclĩam parum & quasi nihil.... dimittant &
„ alias prebendas sibi acquirant. Unde volentes super hoc quan-
„ tum possumus providere, & ut Ecclĩe ñre quantum possibile
„ est in divinis officiis continue deserviatur, quod quidem fie-
„ ri non potest nisi dictorum Canonicorum redditus aumen-
„ tentur, super hoc pluries ac pluries comunicato conscilio
„ tam pbõrum quam religiosorum..... aliorum sapientum cle-
„ ricorum eorum conscilio & deliberatione Xpĩ ac gloriosissi-
„ me Virginis Matris Marie & beatorum confessorum pariter-
„ que pontificum apolonij.... filastrij patronorum alme civita-
„ tis Brix. nominibus invocatis, omni modo jure via & forma
„ quibus melius & valibilius possumus, & possibilitate in hac
„ parte nobis a Jure concessa, & de voluntate beneplacito &
„ consensu instõrum dominorum Canonicorum brix. Ecclĩe,
„ Quorum nomina sunt hec vz. dominorum luchini de casate
„ Archidiaconi Brix. Johannis de Zendobio decretorum doctoris
„ ejusdem Ecclĩe Archipbrĩ, Jacobi de santinis de axula Can-
„ toris, Mathei de gojono, petri de Marinis, Manfredi de
„ Vustiano & heustachij de serpetris de herbusco omnium
„ Canonicorum brixien. Ecclĩe, qui sunt totum capitulum ca-
„ nonicorum ad presens residentiam facientium unimus, ane-
„ ctimus & incorporamus Ecclĩas curatas S. Faustini in castro,
„ & augustini simul a longo tempore ante unitas, & Ecclĩam
„ Sctĩ Cassiani curatam cum omnibus & singulis suis bonis Ju-
„ ribus, & Jurisdictionibus spiritualibus & temporalibus pre-
„ fatis Ecclĩis quoquomodo spectantibus & pertinentibus,
„ Ecclĩe ñre brix. cum modis & conditionibus inferius ano-
„ tatis vz. quod de cetero ipse Ecclĩe & quelibet earum intelli-
„ gantur esse unum corpus & una prebenda cum dicta Bri-
„ xien. Ecclĩa, & quod fructus redditus & proventus dicta-
„ rum Ecclĩarum, qui de cetero quoquomodo percipientur &

„ recipi poterunt, aplicentur & attribuantur residentie & di-
„ stributionibus cotidianis canonicorum tantum dicte brixieñ.
„ Ecclie, vz in sacris ordinibus constitutis & continuam &
„ personalem Residentiam die nocluque in canonica brix. fa-
„ cientibus & divinis officiis nocturnis interessentibus, & scien-
„ tibus & volentibus bene & sufficienter divinum officium
„ cantando & legendo facere per seipsos tantum, & quod di-
„ cti Canonici per se vel per alios faciant sstis Ecclijs, & cui-
„ libet earum quando fuerit opportunum missas & alia divi-
„ na officia celebrare & sacramenta Eccliāstica parochianis
„ earum diligenter administrare, Et curam regimen & admi-
„ nistrationem dictarum Eccliārum & earum possessionum &
„ domorum solicitam gerere, Et maxime in faciendo reffici
„ & reaptari dictas Ecclias & ipsarum domos que in magna
„ parte ruerunt, & ad presens reliqua pars ruinam minatur,
„ & cetera omnia & singula justa posse facere & exercere
„ que sint ad laudem Dei, reparationem Eccliārum, & ad bo-
„ nam hedificationem totius populi, decernentes ex nunc irri-
„ tum, & inane si secus a quocunque colore vel modo aliquo
„ fuerit atemptatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
„ paginam nostre voluntatis & dispositionis infringere vel au-
„ su temerario contraire, si quis autem contra hoc temptare
„ presumpserit, indignationem omnipotentis Dei gloriose virgi-
„ nis matris Marie, & beatorum Confessorum pariterque pon-
„ tificum Apolonij, & Filastrij se noverit incursurum. In quo-
„ rum testimonium presentes literas seu pñs Instrūm publi-
„ cum per pecinum de Serpetris Notarium ñrum & Curie
„ ñre scribi & confici mandavimus sigillique ñri apensione
„ jussimus roborari. Datum & actum brix. in ñro Epāli pa-
„ lacio Brixieñ. super Sala magna superiori anno Domini mil-
„ lesimo trecentesimo octuagesimo nono die octavo mensis
„ Marcij Indictione duodecima pñtibus venerabile & sapien-
„ te Viro domio Vicentio de vexis de Cumis Vicario ñro No-
„ bilibus & sapient. Viris D. Filipino de Miliis legum doctore
„ Cive brix. Antonio de Madijs. Martino de Macus Rectore
„ & benefic. Ecclie ñre Scti Johannis Evangeliste Civitatis
„ brixie, & antoniolo de cochalio notario Cive brix. testibus
„ ydoneis & notis ad prædicta.

„ Ego Pazinus de Serpetris de herbusco natus qdam Justa-
„ chi-

„ chini publicus auctor. Impiāli nôts & Civis brixie predictis
„ omnibus & singulis dum sic agerentur & fierent pñs fui,
„ eaque mandato prefati Domi Epi tradidi & imbreviavi, sed
„ alijs occupatus negotiis per alium notūm scribi feci, Et in
„ robur premissorum me propria manu subscripsi, signumque
„ meum consuetum apposui.

Anno deinceps MCCCXC, ut inducta in Cathedralis Capitulum Ecclesiastica disciplina firmiter efflorescеret, non solum veteres leges, quæ perdita seculi contumacia obsolescere cœperant, instauravit, sed etiam novas addidit (1). Dum vero in utilissimam hanc operam totus incumbit, translatus fuit ad Cremonensem Ecclesiam, indeque, Bonifacio IX. Pontifice, restitutus huic nostræ anno 1396., quo attribuit, eodem Pontifice annuente, quædam bona suæ Ecclesiæ in perpetuum feudum Philippo de Miliis Brixiano, ejusque hæredibus & successoribus. Deinceps insequenti anno translatus dicitur ad insulas Æginenses. Honorificos Ducis, Marchionis Comitisque titulos gessisse, scribit Ughellus, quibus tamen omnium primum insignitum fuisse Berardum Madium, adnotatum fuit a nobis in Commentario ad eumdem pag. 282.

LXXXIII.
FRANCISCUS LANTES EPISCOPUS
ANNO MCCCXC.

EO temporis intervallo, quo a Brixiana Sede Thomas abfuit, eam administravit Franciscus Lantes Pisanus, nempe ab anno MCCCXC. usque ad annum MCCCXCVI. Is est prætermissus a Florentinio, at recensetur a Fayno & Ughello. Nomen dederat Fratribus

(1) Harum existit autographum in cit. Canonicorum Archivo signatum die 27. mensis Januar. ann. 1390. Initium sic se habet: *Statuta, & antiqua constitutiones Capituli, & Canonica majoris Ecclesia Brixiensis approbata, & confirmata per R. D. Thomam Episcopum Brixiensem &c.* Earumdem apographum satis vetustum apud nos extitit.

Minoribus S. Francisci (1). Infulas primum obtinuerat Lunenses in Etruria in confinibus Liguriæ. Vicarii munus ei gessit nobilis Vir Domnus Marcus de Vicomercato, principis Ecclesiæ Canonicus (2). Restituto Brixianæ Cathedræ Thoma supralaudato, fuit hic quadam permutatione ad Sedem Cremonensem provectus, indeque ad Bergomatem (3).

LXXXIV.
THOMAS PUSTERLA
EPISCOPUS
ANNO MCCCXCVII.

AD Ecclesiam igitur Æginensem vocato Thoma, fuit eodem anno MCCCXCVII. Thomæ Pusterlæ Mediolanensi regimen commissum hujus Ecclesiæ. Nihil de actis ab hoc Præsule in Brixiana Ecclesia Auctores litteris consignarunt, fortasse quia biennio dumtaxat administratam moriens reliquit.



LXXXV.

(1) Ex Fayno, & Ughello probabiliter inlatus in novam Vvaddingi editionem Tom. IX. pag. 61., ubi nescio, quo fundamento vocetur Franciscus de *Pisis Laudensis*.

(2) Id patet ex pergamena in sæpius cit. Charthulario Parthenonis S. Pacis F. C. p. f. 49.: *Nobilis vir Domnus Marcus de Vicomercato Canonicus Ecclesia Brix., nec non Vicarius Generalis ejusdem Episcopi, & Episcopalis Curia*.

(3) De eo plura Guerinus pag. 79. cit. Synopsis Eccles. Bergomatis.

LXXXV.

GUILLELMUS PUSTERLA EPISCOPUS

ANNO MCCCIC.

E Vivis sublato Thoma Pusterla, renunciatus fuit Guillelmus Pusterla ejus Successor initio anni MCCCIC., namque Bonifacii IX. Bulla (1), qua Guillelmo hanc attribuit Ecclesiam, data est VI. Idus Januarii apud S. Petrum, anno X. Pontificatus. Is erat ex nobili Mediolanensi familia de Pusterla, & ex Ordine Clericali (2) annos dumtaxat XIX. natus (3). Quapropter Pontificia dispensatione indiguit, ut non expectata canonica ætate initiari, & Episcopalia munera obire posset, quod se indulsisse Pontifex affirmat propter ejus (4) *grandia virtutum dona*. Suam tamen Ecclesiam nunquam adiisse, scribunt Florentinius, Ughellus & alii, repugnantibus Vicecomitibus Brixiæ Dominis (5). Quapropter cum *repulsæ impatiens ad Gregorium XII. Pontificem provocasset, pro Brixiano Episcopatu Novocomensem illi adjudicarunt Causidici, cujus item nunquam compos fuit, quod Clericalis Senatus ad eam dignitatem Fr. Ant.*[us] *Turconem Minoritam promovisset, qui Greg.*[us] *XII. secuta abrogatione demandati sibi Episcopatus administrationem accepit, ita consentiente Alexandro V. Pontifice, vacuusque Brixiensis titulus rediit ad Guillelmum, cum non magis in hoc, quam in illo infortunatus fuisset*. Sed hæc Ughelli verba mirifice pugnant cum autographis, quæ consuluimus, hujus Ecclesiæ monumentis; namque in Episcopalis mensæ Tabulario (6) Episcopalium bono-

(1) In Archivo Canonicali tres exstant Bonifacii IX. autographæ Bullæ (apographæ sunt in cit. PP. Oratorii Chartulario inter Faynì Schedas) eodem die ac anno datæ: harum una inscripta est Guillelmo, altera Vassallis Civitatis, quibus auctor est Pontifex, ut Guillelmum recipiant in Episcopum; tertia universo Clero, & Populo Brixienli.

(2) Id est in citatis Pontificis Bullis, quibus significat, se elegisse in Brixianum Episcopum Guillelmum de Pusterla, tunc Clericum Mediolanensem, Clericali dumtaxat charactere insignitum.

(3) Ex Florentinio in Catalogo.

(4) Ex citato Florentinii Catalogo.

(5) Scilicet Galeatio Vicecomite. Sex enim ex illa Familia Brixianum imperium tenuere spatio annorum 67., nempe, ab anno 1337. ad annum 1404, ut ait Nazarius in Brixia veteri prope finem.

(6) Regest. Feudorum fol. 137.

bonorum locationes istæ exstant : *anno MCCCIC. Indict. VII. die IV. Maji, D. Guillelmus de Pusterla, & Antonius Pater ejus....ex Libro feudorum D. Bartholamei Maripetro* 1400. *Indict. IX. XII. Januarii Guillelmus de Pusterla Episcopus; Locatio & Livellum in Bagnolo per Constantium de Paterno Notarium :* 1405. *D. Guillelmus de Pusterla Episcopus indict. XIII. die 9. 9bris, ex Regesto D. Petri de monte f.* 70. 1410. *Indict. III. Guillelmus de Pusterla Episcopus die* 18. *xbris* 1411. *D. Guillelmus de Pusterla Episcopus indict. IV. die IX. Julii*. Quibus animadversis, liquido constare arbitror, Guillelmum non solum Brixianæ Ecclesiæ titulum constanter retinuisse, verum etiam jus adiisse in bona ejusdem terrena, eaque administrasse, & in puppi adhuc sedisse mense Julio anni 1411.

Ex iis quoque locationibus confirmatur sententia Galeardi, atque Eminentissimi Quirini explodentium ab hac Sede nepotem Gregorii XII. Antonium Corrarium Venetum, quem anno MCCCCIX. a Brixiana ad Cenetensem Insulam translatum fuisse nonnulli contendunt, etsi nitantur quodam Diplomate ex Archivo Episcopali Ecclesiæ Cenetensis (7), quod hanc notam præfert : *Datum in Civitate Austria Aquilejensis Diœcesis Idib. Julii Pontificatus nostri anno III.* Verum eo de Diplomate, deque iis, quæ sunt in nova Ughelli editione deducta, ut persuadeatur, Antonium eo anno MCCCCIX. ex Brixiana Ecclesia commigrasse ad Cenetensem, ita pronuntiat laudatus noster Episcopus Quirinus (8): *Plura de hoc Præsule* (Antonio Corrario) *leguntur in nupera Ughelli editione ex Membranis Ecclesiæ Cenetensis, unde hujus historiam locupletavit Hieronymus Leonius, quin tamen certò innotescant, quæ ab ipso in examen vocantur de Brixiano Episcopatu ab Ant. ante Cenetensem gesto*. Itaque Guillelmus Brixianæ Ecclesiæ gubernacula tenuit ad annum, quo expiravit, MCCCCXVI. Quo vita functo, nullus, qua nescio de.

(7) Editum est Tom. I. novæ Ughelli editionis.

(8) Eminentissimus Quirinus in Epistola citata ad Reverendissimum P. Cyprianum Benaleam Abbatem, & Præsidem Generalem Congregationis Benedictino-Casinensis data Brixiæ die 6. Augusti anni 1742. in quam illatum est Opusculum, cui titulus, *Monumenta litteratura Episcoporum Veneta ditionis, qui Francisci Barbari ætate floruerunt*. Epistola hæc est decima Decadis primæ Epistolarum latinarum ejusdem Eminentissimi. Quod est ab eodem Card. Quirino pronunciatum de rationibus eo in loco novæ editionis Ughelli adductis, illud & nos affirmare non veremur de argumentis productis in anonyma quadam dissertatione ms. Venetiis in eamdem rem elucubrata, quam nobilis Vir Antonius Scopulus Brixianus nobis communicavit.

de cauſſa, electus eſt Brixianæ Eccleſiæ Epiſcopus; at ejus adminiſtrationem a Martino V. traditam fuiſſe Pandulpho Malateſtæ, ſanguine probabiliter juncto cum eo Pandulpho, qui duodeviginti circiter annos (9) Brixiæ & Bergomi dominium habuit, tradunt Florentinius, Faynus & Ughellus locis citatis. Hanc adminiſtrationem etſi renuerit admittere Galeardus (10), negans, Clericali militiæ adſcriptum fuiſſe eum Pandulphum: nobis tamen inveriſimilis non videtur; quippe non de illo, qui Civicum noſtræ Urbis tenuit dominium, ſed de eo, qui Bononienſi inſignitus erat Archidiaconatu, loquuti ſunt ii, quos ſupra citavimus, Auctores: qui inſuper addunt, hoc eum munere, quod uno geſſerat anno, ſe abdicaſſe.

LXXXVI.
FRANCISCUS DE MARERIO EPISCOPUS
ANNO MCCCCXVIII.

MArtinus V. Summus Hierarcha Calendis Januarii MCCCCXVIII. Brixianas infulas Franciſco contulit de Marerio, claro Romanorum ſanguine orto, S. Mariæ Tranſtyberim Canonico, Eccleſiæque Rom. Notario. Verum hujus electio Brixianis cum minus arriſiſſet, eumque recipere denegarent, Comes Franciſcus Sfortia Mediolanenſium Princeps ſuam apud ipſos interpoſuit gratiam, datiſque epiſtolis, ut a propoſito recederent, officioſe poſtulavit: Brixiani contra ab eodem per epiſtolam enixe petiere, ne compellerentur ad eam rem faciendam, quæ aptiſſima foret ad perturbandam illis temporibus bene de Vicecomitum familia meritæ Urbis pacem. Sed integram præſtat e Cancellariæ Civitatis Regeſto (1) dare Epiſtolam, licet temporis nota deſtitutam, utpote primum,

(9) Teſte Tobia Veronenſi in continuatione Chronici Dominorum de Malateſtis, editi a perdocto viro Joanne Baptiſta Contareno.

(10) In citat. ad Ughellum notis pag. 555.

(1) Reg. E. parvo fol. 58.

mum, quod ibi offendimus, italice exaratum Monumentum:

„ Princeps Illuſ., & Excelſe Dñe. li littere della Signoria
„ Vrã, data Cremonę die . . . . . . cum ogni riverenza re-
„ ceveſſimo, per li quali la Cel. Vrã. conforta queſta ſua
„ devotiſſima Cōmunità volia laſſare el R. D. Franceſcho
„ Marero Veſchovo &c. venir alla poſſeſſione di queſto Veſ-
„ chovado de Breſſa &c. prout in dictis litteris continetur.
„ Ali quale cum ogni humiltà reſpondemo, che noi cono-
„ ſcendo li molti, e grandiſſimi benefitij receputi, e quelli
„ per l'avenire ſperemo di recevere dala clementiſſima, e
„ potentiſſima Signoria Vrã; & le mazor gratie poteſſemo
„ aver al mondo, ſaria poter ſare coſa foſſe grata, & uti-
„ le ala Excellentia Vrã, per exaltation dila quale, ſempre
„ ſemo diſpoſti de exponere largamente li noſtri perſoni, e
„ ogni noſtra poſſanza. Anzi conoſcendo noi vrī perfettiſſi-
„ mi Servitori, el venir a Breſſa del ditto R. D. lo Veſcho-
„ vo per longa . . . . experientia, non eſſere utile, imo
„ dannoſa, e molto pericoloſa al ſtato, e honore della no-
„ ſtra Cōmità &c. e dela Celſitudine Vrã; e molto contra-
„ rio, e adverſante ala pace, e tranquillità di queſto Mag.co
„ nrō, e valoroſo popolo de Breſſa, il quale per ſoa in-
„ comparabile conſtantia, e ſede hà tanti mali, e adverſità
„ patito. Et il quale ſemo certiſſimi non e men caro ala
„ Excellentia vrã, quanto al prefato R. D. lo Veſchovo.
„ Humilmente ſuplichemo la Signoria Vrã. ſe degni di non
„ aſtrenzere, ne gravarne di queſto. Se rendemo certiſſimi,
„ ſe ala Cel. Vrã foſſe note tutte le coſe noi ſavemo, la
„ gran prudentia dela Cel. Vrã. non ſareve contenta per
„ alcun modo lui veniſſe in queſta Cità, la quale gratia di
„ Dio e dela Excell. Vrã e liberata da l'inferno, e deli
„ ſoi perfidi Inimici.

Brixiani a propoſito deinde receſſiſſe dicendi ſunt. Marerium enimvero ſuam poſſeſſionem iniiſſe conſtat; ſtatutis enim ſuorum Prædeceſſorum, ad principem Eccleſiam ſpectantibus, quædam alia (2) addidit die XII. Februarii anni

(2) Eaſdem Conſtitutiones auxit etiam die 25. Septemb. anni 1433., quas legere licet mſs. ad calcem Codicis Conſtitutionum ſupracitatarum Thomæ Vicecomitis.

ni MCCCCXX. Sua deinde prudentia ac virtute res Ecclesiæ præteritis bellorum tumultibus qua lapsas restituit, qua labantes exquisito labore sustinuit, cui rei maximo adjumento fuerunt S. Bernardini Senensis conciones, in eum finem Brixiam ab eodem adsciti anno MCCCCXXVII. Virum in Sanctorum album a Summo Pont. Benedicto XIV. nuperrime relatum, Nicolaum Albergatum, Civem Præsulemque Bononiensem, Ordinis Chartusiæ, Ecclesiæque Rom. Cardinalem splendide excepit, dum ad pacem inter Senatum Venetum & Ducem Mediolanensem componendam, semel iterumque Venetias ac Mediolanum Albergatus contendit. Sed & anno MCCCCXXVIII. abdicationem Ecclesiæ SS. Felicis & Fortunati omniumque censuum ad eam spectantium, quam in favorem Ursinæ de Placentia nostri Monasterii SS. Cosmæ & Damiani, Cathedralis Archipresbyter fecit, suamet præsentia ratam habuit, suaque auctoritate communivit. Initium confirmationis ex charta autographa citati S. Mariæ de Pace Archivi (3) Lectorum oculis subjicio: *Indictione VI. die 23. mensis Decembr. in Civitate Brixiæ in domibus majoris Monasterii SS. Faustini & Jovitæ ibi Revd. in Cpō Pater & D. Epūs Brixiensis Marchio, Dux, & Comes &c.*, qua ex charta liquet, eamdem Ursinam ex SS. Cosmæ & Damiani Monasterio evocatam, novo Monasterio SS. Fortunati & Felicis præfectam fuisse. Incœpto Concilio Basileensi deinde interfuit anno MCCCCXXXI. Verum subortis Pontificem inter & Concilii Patres simultatibus, distractisque, ut fieri solet, votis, faventibus aliis Eugenio, aliis Concilio, Marerium, quod a Pontifice staret, comprehensum & in custodiam traditum, nec inde, nisi tribus Ducatorum millibus numeratis, emissum fuisse, Florentinius in Catalogo & Ughellus litteris consignarunt. Cujus tamen rei fides sit penes eos; propterea quod nullum afferant testimonium, nullumque sive in copiosis Basileensis Concilii Actis, sive in publicis hujusce Civitatis tabulis invenire potuimus vestigium. Imo ex legatione, qua eorum Patrum nomine ad Populum Romanum Eugeniumque Pontificem functus est, nulla, ante annum MCCCCXXXIV., quo id incommodi ei accidisse fertur, apud eos suspicione laborasse, conjici facile

(3) Filza A. fol. 9.

facile potest. Namque promulgato Basileæ Non. Februarii ejusdem anni Seff. XVI. Eugenii Decreto, quo Concilii celebrationem & continuationem approbat, præter alia compositæ pacis argumenta, Patres Eugenio (qui a Columnensibus Roma pulsus IX. Cal. Julii Florentiam se contulerat) duos Oratores miserunt, ut multis nominibus de eorum erga eum amore certiorem facerent; ii fuerunt Franciscus Episcopus Brixianus (4) & Magnificus Petrus de Monte (5). Plane quis suadere sibi potest, Marerii fidem iis Patribus suspectam fuisse, a quibus tantum muneris eidem impositum fuerit?

Qua functus legatione in suæ Sponsæ sinum convolavit, atque Episcopales ædes per injuriam præteritis bellis incensas reparavit, Civitate simul facultatem faciente, simul magnam pecuniæ vim suppeditante. Cum, eo absente, urbanam Ecclesiam S. Alexandri (6) Parochialem, in qua seculares Ecclesiastici degebant, quidam transmarina Infula insignitus invasisset, ejus dominium, utpote animabus subditorum parum utile, Civitas ægre ferens, Eugenium IV. R. P. deprecata est, ut in alios Divino cultu ferventiores illius Parochiæ regimen transferre posset; Hujus consilii certior factus, singulari amore erga Beatissimam Virginem incensus, Marerius operam dedit, ut Servi B. Mariæ Virginis doloribus confixæ in eam admitterentur, qui religionis erga Deiparam Virginem suavissimo Urbem impleverunt odore, quo hodierna quoque die implere non prætermittunt. Insuper ad Numinis æterni cultum augendum fovendamque animarum salutem, Canonicis S. Laurentii Justiniani in S. Petri in Oliveto (7), & Canonicis S. Augustini in S. Joannis Ecclesia domicilium dedit. Eodem tempore, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit illis, qui suppetias eleemosinis tulissent Congregationibus Disciplinæ & Charitatis Ecclesiæ majoris, nonnullisque aliis, quæ onus sibi sumpserant construendæ cratis ferreæ ante altare B. Mariæ Virginis in eadem Ecclesia, atque Lampadis LX. ellychniis certis vicibus accendendæ. Con-

cen-

(4) Ita sunt nominati in Bulla Eugenii IV. ad eos Patres, quæ lecta fuit in Congregatione Generali die XVII. Septemb. anni 1434. atque in lucem emissa Tom. IV. pag. 371. Thesaur. nov. Anecdotorum Marten. & Durand. Inlata deinde in Tom. XVI. pag. 1331. Conciliorum Labbè.

(5) Petrus de Monte is est, qui Marerium in hac Sede excepit, atque uberiorem in Commentario ad eumdem de hac Legatione sermonem habebimus.

(6) Hac de Ecclesia vid. pag. 70.

(7) De Ecclesia S. Petri in Oliveto perbrevem texuimus historiam pag. 76.

ceſſionis Indulgentiarum chartam ſignatam die XXIX. Aprilis MCCCCXXXVI., utpote animadverſione dignam, ex autographo apud Confratres Diſciplinæ Cathedralis exiſtente, nunc primo vulgamus (8).

„ Franciſcus de Marerio Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopus Brixienſis Marchio Dux & Comes. Dilectis in Xpo „ univerſis & ſingulis has litteras inſpecturis Salutem in Dño „ ſempiternam & celebrem preſentis Indulgentie notitiam at„que memoriam. Pro parte Dilectarum in Xpo Congrega„tionum Diſcipline & Caritatis Eccleſie noſtre majoris bri„xienſis. Item Caritatis Ecclē Sancte Sicilie citadelle veteris „ brixie Et Caritatis Ecclē Sancti Bartholomei in caſtro di„cte Citadelle nuper nobis extitit ſupplicatum Ut cum jam „ de libera noſtri licentia pſāte Congregationes ſimul ob re„verentiam & devotionem Beatiſſime & glorioſiſſime virginis „ Marie fabricari & ſuſpendi fecerint coram altari ipſius vir„ginis in pſāta majori Eccleſia feudata unam cratem ferream „ ut ipſa ibi perpetuo ſtare.... ſexſagent..... lampadibus oleo „ bombice & aliis opportunis fulciri. Et annuatim lampades „ ipſe certis vicibus accendi quando ad ipſum altare miſſe ce„lebrari debebunt vel celebrabuntur ad illuminationem ſacra„tiſſimi Corporis domini noſtri yhū Xpi Et ad impenſam di„cte cratis & fulcimentorum ejus pro hujuſmodi illuminatio„ne efficienda ac aliorum plurium beneſitiorum & piorum „ operum que ptēr hoc pſāte Congregationes dietim facere ha„bent & tenentur proprie ipſarum Diſcipline & Caritatum „ non ſuppetant facultates de aliquo noſtre... Dignitatis ad„miniculo & ſuffragio videlicet de aliquali indulgentia ut „ ptācta impenſa continue tprē ordinato fieri & ſuſtineri va„leat eiſdem Congregationibus ſubvenire & ſuccurrere Di„gnaremur. Inde nos cognoſcentes tenuitatem reddituum, & „ proventuum dictarum Diſcipline & Caritatum & opus an„tefactum pium eſſe ac ſanctum..... ac laudabile reputan„tes Et propterea earumdem Congregationum ſupplicationi„bus

(8) Immenſus hic lychnuchus penſilis, aptiórem poſtea in formam redactus, ante aram principem *Rotunda* adhuc viſitur, præcipuiſque ſolemnitatibus accenduntur Ellychnia, oleum operamque præbentibus Cathedralis Diſciplinæ Confratribus (vulgo *i Diſciplini del Duomo*) qui tamen ſuas preces in proximo SS. Hyppoliti & Caſſiani Oratorio fundere ſolent.

„ bus honestissimis moti & sibi de eo quod in Xpō possumus pa-
„ storaliter complacere ..... omnipotentis Dei misericordia ac
„ beatissime, & gloriose virginis Marie matris ejus Beato-
„ rumque apostolorum Petri & Pauli & beatorum qfessorum
„ Apollonii & Filastrii nec non Beator. Martir. Faustini &
„ Jovite patronorum nostrorum meritis & intercessione confisi
„ omnibus vere penitentibus & qfessis qui de bonis sibi a
„ Deo collatis pro manutentione Cratis predicte & fulcimen-
„ torum ejus manus porrexerint adjutrices Elimosinas & subsi-
„ dia caritativa quas & que facere voluerint assignando vel
„ assignari faciendo Rectoribus dictarum Discipline & Cari-
„ tatis Ecclie majoris Brixiensis memorate qui sunt & per
„ tempora fuerint ad regendum dictam Cratem & fulcimenta
„ ejus deputati quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis
„ auctoritate nostra misericorditer in dño relaxamus. In quo-
„ rum testimonium presentes fieri jussimus & registrari nostri-
„ que Sigilli appensione muniri Et per Bartholomeum de
„ baygueriis Cancellarium, & secretarium nostrum subscribi
„ Datum brixie apud Monasterium majus Scōrum Faustini
„ & Jovite die XXVIIII. Aprilis MCCCCXXXVI.

„ B. de bayguerís L. S.

Sed, cum longo deinceps temporis intervallo procul a suo Grege abesset, Civitas Veneto Senatui, cujus imperio anno MCCCCXXVI. sese tradiderat, supplices dedit libellos (9), ut vellet periclitanti ob diuturniorem Pastoris absentiam sacro Brixianorum Gregi consulere. Gestus est ei mos, imperatumque die XIII. Septembr. anni MCCCCXL. Urbis Rectoribus, ut coacto Civium concilio aliqui eligerentur, qui bona juraque Episcopatus sarta tectaque servarent, *donec impetretur juxta desiderium Civitatis quod amoveatur Episcopus, & denuo sit ei alter suffectus* (10). Quamobrem tres viri præcipui, functi Civitatis muneribus, selecti sunt, & missi ad eam rem cum Pontifice Eugenio Florentiæ commorante transigendam (11). Interim a fructuum perceptione Civitatis Decreto Mareriusex-
cludi-

(9) Ex Regestis in Chartulario Cancellariæ Civitatis E. pag. 35.
(10) Ex collectione Actuum Civitatis in Charthulario Bibliothecæ PP. Oratorii.
(11) Loc. cit.

cluditur (12), quibus a Pontifice auditis, ita Brixianorum votis obtemperavit, ut, fructibus Marerio solutis, per Vicarium, quem Eugenius nominaverat, sacra ministrarentur (13). Nihilo tamen minus eos fructus cum percipere Marerius non posset, conquestus est cum Pontifice, apud quem versabatur, quo eam rem iterum per epistolam Civitati scriptam die IV. Januarii anni MCCCCXLII. vehementius urgente (14), Civitas Pontifici obtemperandum esse statuit. Verum paullo post idem Pontifex satius arbitratus, Marerium a Brixiana Sede removere, x. Cal. Aprilis ejusdem anni ad Montis Faliscorum & Corveti Infulam eum transtulit (15).

LXXXVII.
PETRUS DE MONTE EPISCOPUS
ANNO MCCCCXLII.

SUmmus Pontifex simul Marerium ad Sedem (ut vocant) *Montisfalconis* transtulit, simul Brixianis Infulis Petrum de Monte, sive Montanum, utriusque Juris Consultum, Ecclesiæque Romanæ Protonotarium, exornavit. Hic Veneta in Urbe natus non plebejus, ut nonnullis visum fuit, sed ex illo Ordine, qui Patriciis nobilitate proximus est (1), Divinarum humanarumque rerum peritus, latinis græcisque litteris præditus & egit multa sapienter fortiterque pro Ecclesia, & scripsit multa erudite & eloquenter: dignus sane, qui cum iis clarioribus Viris conferatur, quos Seculo XV. flo-

(12) Ex eit. Regest. Cancell. Civit.

(13) Pontificis Epistola data Florentiæ die 4. Januarii ann. 1441. extat in eodem Cancellariæ Regesto fol. 61. Oeconomicæ tamen res administrabantur nomine Episcopi per Jacobum de Marerio Episcopi fratrem. Namque Jacobus Marerius frater, Procurator & Sindicus inuit nomine Episcopi quemdam canonem eum Petro de Taveriis in Castro Quintiani. Monumentum signatum est die 23. Februar. anno 1441. Indict. IV. Extat in Chartulario œconomico Nob. Com. de Martinengiæ, qui appellantur *del Mercato del Lino*.

(14) Ex eit. Cancell. Civit. Regesto.

(15) Ex Epistola Pontificis ad Civitatem data Florentiæ anno 1441. X. Cal. April. ex cit. Cancell. Regest. f. 94. Annus vero 1441. est juxta supputationem Florentinorum, qui anni initium a mense Martio desumebant.

(1) Illud est luculenter ostensum ab Joanne de Agostinis Tom. I. pag. 346. eruditissimi Operis *D.gli Scrittori Veneziani*.

floruisse constat. Itaque Litterarum studiis ab ineunte ætate deditus, a Guarino Veronensi Rhetoricæ elementis, bonisque moribus instructus, Græcam linguam excoluit una cum eximio Ludovico Fuscareno, cujus consuetudine, quoad vixit usus est, quæ *inde profecta quod ambo eadem in Urbe nati, iisdem præceptoribus edocti, eisdem disciplinis eruditi, & nedum fide sua, sed parentum suorum amicitia conjuncti* (2). Hinc desiderio exarsit philosophiæ arcana percipiendi, eaque de caussa Parisios contendit, ibique undecim annis versatus, & doctus a doctis habitus fuit, & e scholis celeberrimi Navarræ Collegii doctior evasit, tituloque & honore *Magistri artium* condecoratus (3). Domum inde reversus totum se dedit amicitiis doctissimorum hominum, quorum felix ea ætas magnum tulit numerum, laudati nimirum Fuscareni, Petri Æmiliani Pontificis Vicentini, Francisci & Hermolai Barbarorum (4); eorum ope in Patavino Lyceo publicus Juris Ecclesiastici professor adlectus, quæ prima fuit hominis ad amplioris fortunæ aditum commendatio, ita illi provinciæ operam navabat, ut veterum Patrum, humaniorumque Scriptorum non oblivisceretur (5); tanta vero eo in munere fuit Petri celebritas, ut ad Eugenium IV. P. M. fama pervenerit: qui, cum Notarium Romanæ Sedis ad Basileense Concilium mittere cogitaret, in quo non minus esset Juris Ecclesiastici peritia, quam gravitas & prudentia, atque fidelitas, in Petrum oculos fixit. Hunc igitur eo mittens, Protonotarii etiam honore insignitum voluit; quo cum pervenisset mense Junio anni MCCCCXXXIV. (6) adeo illis se Patribus probavit, ut una cum Francisco Marerio Brixiano Episcopo, de quo commentarium modo texuimus, præclara ad Populum Romanum, ipsumque Pontificem ornari se ab iisdem legatione meruerit (7). Ea dum fungeretur, subiit capitis discrimen (8); namque in jussis cum habuisset, ut non so-

(2) Verba sunt Cardinalis Quirini pag. 17. Epistolæ III. ad S. P. Benedictum XIV.

(3) Teste Launojo cap. 22. lib. 2. Par. IV. Histor. Gymnas. Paris. Navarræ Tom. IV. Opp. pag. 712.

(4) Id colligitur ex Opusculo Emin. Quirini inscripto: *Monumenta Literaturæ Episcoporum Venetæ ditionis, qui Francisci Barbari ætate floruerunt*, inlato in laudatam ad Benedict. XIV. Epistolam.

(5) Ex citato Quirini Opusculo.

(6) 1434. 24. *Giugno giunse in Basilea Monsig. Piero da Monte, che vegnia da Fiorenza perchè il Papa l' avea fatto Protonotario*: verba sunt Andreæ Gatteri Patavini in Historiola ms. Concilii Basil., quæ ex Codice Apostoli Zeni exscripsit de Agostinis loc. cit. pag. 352.

(7) Vid. in Marerio.

(8) Liquet ex Epistola VI. Francisci Barbari data Veronæ VI. Cal. Dec. MCCCCXXXIV. pag. 12. Collectionis Epist. Francisci Barbari editæ a Cardin. Quirino.

solum Eugenio Basileensium Patrum erga Pontificiam Sedem propensum testaretur studium, verum etiam Franciscum Condulmerium Venetum Cardinalem, Eugeniique nepotem a squalore carceris liberaret, Florentia (ubi Eugenio Basileensis Concilii vota atque obsequia exhibuerat) Romam pergens, captus ipse fuit a militibus Nicolai Fortebraccii & in vincula conjectus; hoc ei infortunium contigit post Augusti & ante Decembris exitum anno MCCCCXXXIV. Eugenii enim Pontificis Epistola Concilio Basileensi, qua ea de cura suscepta gratias agit, signata est tertio Calendas Septembris ejusdem anni, dieque XVII. ejusdem mensis lecta fuit in illius Concilii generali Congregatione (9); sexto vero Calendas Decembris ejusdem anni datæ sunt Francisci Barbari binæ litteræ, altera Laurentio Mediceo (10), altera Francisco Bevilaquæ, quibus eos precatur, ut eorum intercessione Dux Fortebraccius, vel gloriæ suæ caussa, Petrum restituat in libertatem, ne in Legato violatum jus Gentium, & Concilii sublatam esse libertatem appareat, & eruditioni ac virtuti bellum per id tempus indictum videatur.

Felicem habuere exitum amicissimi Barbari officia; nam brevi restitutus fuit Petrus pristinæ libertati. An vero ad Concilium redierit, incertum; sed illud certissimum, negotiorum Ecclesiæ Romanæ curatorem sive Quæstorem ad Anglos missum fuisse: quænam vero cura sibi ea in Legatione cordi foret, testatur ipse hisce verbis in Epistola *e Londoniis* data (11) Ludovico Archiepiscopo Florentino, scilicet, ad *Ecclesiæ Romanæ dignitatem auctoritatemque defendendam. Id cum alia permulta, tum ea Pontificis verba manifeste declarant, qui cum ad hoc Regnum aliquem mittere vellet, qui sub quæstoris seu collectoris, ut vulgo dicitur, nomine, aliud quam quæstum ageret: "Ego (ad suos inquit) hominem aliquem doctum, & Pontificii ac Civilis juris peritissimum, magno animo & singulari fide præditum ad Angliam mittere institui, qui & tueri & conservare Primatum Romanæ Ecclesiæ possit". Fui ipse non meis meritis, sed tua clementia tuoque auxilio electus, cujus officio illud*

(9) Vid. in Marerio.

(10) Ex Codice Clar. Viri Marci Fuscareni Equitis, ac Ædis S. Marci Procuratoris citat Epistolam de Agostinis loc. cit. pag. 354.

(11) Est eo in Codice, quem citabimus adnotatione sequenti. Caret nota temporis, amanuensis Romani negligentia, an alia de caussa, ignoramus: at ex notis appictis cæteris Epistolis opinamur, datam fuisse mense Aprili, aut Madio ann. 1438.

primo pertinere arbitratus sum, ut in tuenda & amplianda Pontificis dignitate omnem curam & diligentiam adhiberem: deinde ut præcipua quadam modestia rei pecuniariæ intenderem. Jam vero quanto zelo, quanta diligentia, quantisque laboribus in eam sibi demandatam provinciam incubuerit, pergratum nobis fuit legere in ea Epistolarum, Orationumque Petri Montani collectione, quam ex Codice Vaticano describendam curavit Eminentiss. Quirinus (12). Post eam quæsturam, quam quinquennio administravit (13), ad Regem Galliæ legatur Sedis Apostolicæ Orator, ibique, præter alia, quæ in commune Orbis Christiani bonum præstitit, summa laude commendatur ejus diligentia in Collegii Navarræ tuendo decore (14). Hisce intentus negotiis, primum tulit suorum laborum præmium, exornatus a Summo Pontifice Pontificatu præclarissimo Brixiano x. Calendas Aprilis anni MCCCCXLII. (15). Suam hinc invisit Sponsam, sed privatim, paucissimisque diebus, quippe solemnem ingressum differre coactus fuit ad Calend. Augusti MCCCCXLV., qua Gallica occupatus Legatione, qua viarum discriminibus impeditus, & etiam ut Summum Hierarcham de iis, quæ longe gesserat, coram faceret certiorem. Id omne narratum ab eo est in Epistola Brixiano Populo ex Urbe Roma data die xv. Madii anni MCCCCXLV., quam hic, ut plenior earum difficultatum notitia habeatur, necessario in lucem emittendam arbitramur (16).

„ Dilectis nobis in Christo Senatui, & Consiliariis
„ Civitatis Brixiæ.

„ Quanto studio, Viri optimi & clarissimi, quantoque
„ amore contenderim, ut illam vestram inclytam Urbem,
„ Populum, Plebemque mihi commissam, sæpenumero, &
„ hac præsertim in tempestate viserem, Deus ipse, qui
„ scrutator est cordium, & qui res meas versant, testes
„ maximi sunt. Divina etenim factum esse dispositione cre-

„ do,

(12) Codex hic, cujus meminit Quirinus pag. 23. citati Opusculi, extat nunc in hac publica Quiriniana Bibliotheca, cujus notitia in ejusdem Cardinalis Commentarium erit a nobis inferenda.

(13) Quirinus cit. Opusc. pag. 30.

(14) Vid. citatum Launoji locum.

(15) Id liquet ex Pontificis ad Civitatem Epistolis in Marerio citatis.

(16) Ex Apographo in Regesto Cancellariæ Civit. E. p. fol. 134.

„ do, ut nequidem vestrum in me, nec meum in vobis
„ flagrantissimum sane, atque ardentissimum desiderium
„ complere potuerim; nam post meum discessum a Galliis
„ omnem operam, studium atque diligentiam dedi, ut me
„ periculis terrarum exponerem, non quidem splendore re-
„ gio circumseptus, aut servorum turba stipatus. Hoc sæ-
„ pissime institui, sed habitu cujusdam servitoris atque ver-
„ naculi rem hanc, & facinus ipsum adimplere curavi, eo
„ solum proposito, ea intentione, eo denique instituto, ut
„ votis vestris aliqua saltem ex parte satisfacere possem.
„ Verum itineris pericula, viarum discrimina, & æmulo-
„ rum Basileensium, & Sabaudiensium exquisitæ atque pa-
„ ratæ insidiæ ab eo me proposito revocarunt. Fluctibus
„ tandem maris me exponens, & ipsis, auspice Deo, fe-
„ liciter superatis, Liburni portum ingressus Florentiam ad-
„ veni, ac propterea factum est, & id honestati meæ con-
„ venientissimum fuit, ut postquam ita propinquus accesse-
„ ram, prius ad eum, qui me miserat, omnino redirem,
„ quam propriis affectibus satisfaciens aliunde diverterem.
„ Recensebo primum quæ pro Republica Ecclesiastica in
„ Galliis per me gesta sunt Pontifici Maximo, a quo liben-
„ ter visus sum, & gratiose susceptus, quibus breviter ac
„ feliciter expositis, sine mora ad vos iterum ingrediar.
„ Hoc enim mihi solum superest, ut vestris opinionibus,
„ & huic tanto utrinque zelo aliquando satisfaciam. Vos
„ autem, qui hactenus pro vestra prope divina & incredi-
„ bili patientia, longo jam ævo multa dura & acerrima
„ superastis, etiam hanc brevem morulam, haud iniquo
„ animo sufferetis, quæ nullo certe studio aut industria
„ procuratur. Id postremo his addere cura fuit, ut me non
„ minus absentem quam præsentem diligatis. Cupio enim
„ rem dignam vestris exoptationibus gerere, & ita agere
„ quod merito habebitis contentari. Commendo vobis insu-
„ per Dignitatem meam, atque jura & libertates Ecclesiæ
„ non tam meæ quam vestræ. Ea enim est præstantissimo-
„ rum civium maxima laus, & quibus plurimum sancta
„ Religio communicata esse dignoscitur, cum maxime quæ
„ juris divini sunt, & summa ratione, & digna veneratio-
„ ne colunt atque tuentur. Agite precor uti cives optimos

 „ de-

„ decet, quatenus sicut virtute terrena magis semper apparuistis, ita & erga Deum & Ecclesiam opera vestra bona magnifico quodam splendore divino prefulgeant.

„ Ex Urbe xv. Maji 1445.

„ Petrus Epūs Brixien.

Promissis in posterum stetit, Brixiamque equo albo (17) insidens ingressus est Calendis Augusti (18), eodem, quo productam scripsit Epistolam, anno, iis exceptus gratulationibus, quæ tantum Præsulem decebant. Statim ac ad hujus Ecclesiæ gubernacula accessit, prima ejus solicitudo fuit de SS. Martyribus Savino & Cypriano, quorum sacra lipsana Brixiam possidere sciebat; notitiam hactenus obscuram, quam certam ipse putabat (19), utpote e Galliarum mss. haustam, Brixianis promulgavit, eorumque *Officium* e Galliis allatum, festumque quotannis V. Idus Julii (20) celebrandum indixit. Curam suscepit perficiendi Episcopium. Civitatis consilium de publico Xenodochio excitando (21) maxime

xime

(17) Ex charta pergamena signata die 26. Augusti 1445., atque asservata in œconomico Chartulario nobilis Martinengæ Familiæ, vulgo *del Mercato del Lino*: hinc discimus, eo quoque tempore morem illum obtinuisse, quo fiebat, ut Episcopus Urbem primo ingrederetur equo vectus, quem postmodum deputabat nobili illi Viro, cujus erat penes equi frænum ambulare: ejusdem moris hodierna quoque die nonnullum remanet vestigium in illo jure, quo solemni ingressu novi Episcopi recurrente, Patricia fruitur de Advocatis Familia.

(18) *Anno postea ab ortu Christi MCCCCXLV. Cal. Aug. Petrus cognomento Montus Venetus, vir quidem moribus, doctrina & religione praclarus, qui Repertorium in utroque Jure, perutile opus, ac multa castigatissima edidit consilia, Brixia Episcopus Urbem primo ingrediens a Civitate nostra plausu magno suscipitur*: verba sunt Capreoli XI. Hist. lib.

(19) Ea Martyrum Acta cum Bollandianis Tom. III. Julii pag. 193. tum nobis, ipso annuente Galeardo in cit. Oratorianis Schedis, videntur suspecta, rebusque falsis infarta, quod pleraque narrentur absurda & absona ab universali Historia.

(20) Ex Capreolo lib IV. Hist. & Fayni Martyrol. V. Idus Julii. Ea omnis solemnitas jamdiu abiit in desuetudinem.

(21) Teste Capreolo Lib. V., cui consonat sincronus Brix. Hist. Christophorus Soldus: *e così fu principiato*, inquit pag. 840 Tom. XXI. Rerum Italic., *il detto Ospitale, è messa giù la prima Pietra per Messer Pietro da Monte Vescovo di Brescia presenti Persone quattromila del Popolo, e con gran festa, la seconda pietra Messero il Podestà di Brescia, la terza miso Messero il Capitanio, la quarta l' Abbate di S. Faustino maggiore, che era di Venezia di Cà Marcello, la quinta miso un altro Cittadino, che era Massaro del detto luogo per quell' anno, la sesta misi io Cristoforo da Soldo autore di questa Cronica*, inde pag. 874. sequitur: *a di XIII. de Agosto pure del 1452. fu principiato ad alloggiare gl' Infermi nello Spedale grande del Conserzio, e in quel giorno furno levati tutti i poveri ammalati, che erano all' altro Ospedale della Misericordia, e furono portati tutti con una bella Processione*,

ove

xime adjuvit, accepta a Summo Pontif. Eugenio facultate utendi in illud opus nonnullis Humiliatorum bonis, Diplomate signato Romæ anno ab Incarnatione Domini N. J. C. MCCCCXLVI. tertio Nonas Novembr., primumque ipse posuit lapidem VII. Cal. Aprilis anni sequentis. Sed, paucis ante hebdomadibus, Ursinæ Placentinæ precibus, quam ejus Prædecessor Marerius crearat moderatricem novi Monasterii SS. Felicis & Fortunati, addixit eidem Monasterio S. Mariæ de Pace hortosque, aliosque census ad eam Ecclesiam spectantes, novam ut Ecclesiam, novumque Moniales illæ commodius sibi adstruerent Asceterium. Verum considerans humanissimus Pastor, hujusmodi fructus ad novi operis constructionem minime sufficere, novas tulit suppetias, atque facultate Romani Pont. Callixti III. redditus eidem addixit veteris cujusdam Nosocomii apud Isæum (22).

Ad abstergendum squalorem veteris Ecclesiæ SS. Nazarii & Celsi, in qua insignem excitasse *Collegiatam* Berardum Madium, in Comm. ad eumdem adnotare non prætermisimus pag. 284., animum adjecit: plurimisque ad Populum cohortationibus, collataque auri copia, cœptum est an. MCCCCIL., posito ab ipso primo lapide (23), novum Templum miræ structuræ, quod ipsis diebus, quibus hæc scribimus, destrui cœptum est, ut elegantius inædificetur. Quinque & quinquaginta mulieres alias virgines, alias viduas miris Fratris Alberti Sarcianensis concionibus ad pietatem excitatas, quæque Sanctæ Claræ vestigia sectari decreverant, collocavit in novo S. Christophori Asceterio, in quo hodierna quoque die

 sub

ove erano tutte le Discipline, e Regole de' Frati con Trombe, e Pifferi, e tutti erano portati in barra, cadauno per se, e furno accompagnati da una gran multitudine di Cittadini e Popolo e Donne, e tutti furno messi in quei letti netti e politi. Il qual Ospidale è quello, del quale fu fatta menzione più innanzi il dì, che fu principiato. Postero anno leges plenæ consilii ac pietatis latæ sunt, ad Ministros omnes Infirmosque spectantes, quæ deinceps explicatæ & adauctæ, tandem in fasciculum redactæ typis anno 1711. commissæ sunt. Viget adhuc nobile hoc pauperum Domicilium, confluentibus ad illud infirmis quolibet morbo correptis non solum Urbis, verum etiam totius Diœceseos, ac peregrinis.

(22) Unionis Diploma, suo cum sigillo cereo rubri coloris, custoditum in citato S. Mariæ de Pace Chartulario sig. A. P. 2. datum est anno 1447. Indict. X. die 2. mensis Januarii: augumentum vero, quod hic attexuimus, ut rei series simul constet, factum fuit anno 1456., ut patefacit Callisti Diploma eodem in Chartulario asservatum signatumque Romæ die Mercurii mensis Martii ejusdem anni. Porro Ecclesia Sanctorum Felicis & Fortunati relicta fuit nonnullis Confratribus, qui, assumpta denominatione *Confratrum Oratorii S. Mariæ de Passione* hodierno etiam die, in eamdem affatim exornatam se congregant diebus Festis ad sacras fundendas precationes.

(23) Ex Chartulario laudatæ Collegiatæ.

ſub FF. Minorum *de Obſervantia* probatiſſimo regimine mirâ pietate florent (24).

Reddita Brixiano populo pace, ſtatuerat ipſe ad Urbem Romam accedere viſendi, atque ſalutandi cauſſa novum, qui Eugenio defuncto anno MCCCCXLVII. ſucceſſerat, Pontificem Maximum, Nicolaum V., quocum & ob præclaram Theologicis in diſciplinis ſcientiam, & ob egregium Pontificis erga Venetos ſtudium, arctam habebat conſuetudinem (25); ſed amicorum literis certior factus, Romam hominum lue ita miſerum in modum devaſtari, ut Pontifex ipſe cum univerſa *Curia* Peruſiam ſe transferre decreviſſet, ſatius eſſe ac prudentius exiſtimavit acceſſum differre, quoad Pontificiam Familiam alicubi firmatam cognoviſſet (26). Suum hoc deſiderium an tunc expleverit, prorſus ignoramus. Illud certum a Nicolao paullo poſt adlectum fuiſſe Peruſinæ Provinciæ Adminiſtratorem: illudque munus anno MCCCCLIII. exercuiſſe, plane conſtat ex ſuis ad Franciſcum Barbarum Epiſtolis (27).

Sublato e vivis, labente Martio anni MCCCCLV. Nicolao V., Alphonſus Borgia ei fuit ſuffectus, aſſumpto nomine Callixti III., qui & ipſe Petri opera in multis R. E. negotiis expediendis uti voluit: quibus tamen diſtentum ſuæ Sponſæ oblivio non ceperat: unde crebras dabat Epiſtolas egregiis iis viris, quibus vicarias commiſerat vices, potiſſimum Paganino de S. Paulo (28) Epiſcopo Dulcinenſi, & *Commendatario* S. Ma-

(24) Albertum Sarcianenſem piiſſimum, eloquentiſſimumque Divini verbi præconem ex Ordine S. Franciſci, ut Brixiam accederet ad reconciliandos Brixianorum animos, invitaverat anno 1439. Franciſcus Barbarus tunc Urbis Prætor: verum nonniſi novem poſt annos huc ſe tranſtuliſſe, rite colligit ex Epiſtolis Barbari ad Albertum, & Alberti ad Barbarum, Eminentiſſ. Quirinus pag. CCCL. Diatribæ præliminaris ad Epiſtolas Barbari. Plane inter alios, quos ex Evangelicæ veritatis apud Brixianos enunciatione uberrimos tulit fructus, ille fuit magnis laudibus dignus, quod multæ nobiles Fœminæ, omnibus abdicatis Deo, caſte vivere ſub S. Claræ titulo & regula decreverant. Quocirca duos ex ſuis Fratribus tranſmittendos cenſuit ad Eugenium IV. ut Apoſtolicæ auctoritatis præſidio propoſitum confirmaretur; cujus rei notitiam poſteris conſervavit ejuſdem Alberti Epiſtola ad Blondum Flavium, qui tunc erat a Pontificiis Epiſtolis, eaque e tenebris eruta publici juris facta eſt Tom. III. ampliſſimæ Collect. Mart. & Durand. pag. 828.

(25) Ex Epiſtola CX. Franciſci Barbari pag. 147. citatæ Collect.

(26) Ex Epiſtola ipſius Petri ad eumdem Barbarum, data Brixiæ Idibus Martii anno 1449. pag. 152. cit. Collect.

(27) Id patet ex temporis nota duarum Epiſtolarum ejuſdem Petri ad Franciſcum Barbarum, quarum altera data eſt Peruſiæ VI. Idus Julii MCCCCLIII., altera eodem loco & anno VIII. Cal. Decemb. pag. 315. citat. Collect., ubi typothetæ inconſiderantia legitur MCCCCLII.; addi enim debet tertium I., ut nota Chronica hujus Epiſtolæ correſpondeat notis ſuperioribus.

(28) Is eſt, qui in Pontificalibus Generalis Vicarius dicitur adminiſtraſſe olim Eccle- ſiam

Mariæ de Calcharia. Sed in Urbe dum verſaretur, extremum clauſit diem anno MCCCCLVII. die XII. Januarii. Ejus funus ſplendidiſſima pompa curatum fuit a Cardinali Veneto Petro Barbo, quem moriens nominarat curatorem teſtamenti, teſte Michaele Caneſio (29). Sepultus eſt in Baſilica Liberiana prope Sacellum ad Præſepe Domini, ubi in pavimento, ejus vidimus ſepulcrum leviter inſculptum cum ejuſdem effigie, gentilitiis ſignis, atque hoc ſubjuncto Epitaphio:

Petrus de Monte Venetus, Brixianus Epiſcopus, artium Doctor ac J. V. ſui Seculi conſultiſſimus. Qui obiit An. D. M. CCCC. LVII. XII. *Januarii.*

Cum egregium ingenium acerrimo ſtudio excoluiſſet, multa ſcripſit ſive ad politiores litteras, ſive ad Theologicas Diſciplinas Eccleſiaſticumque jus & Civile ſpectantia, partim typis commiſſa, partim in Bibliothecarum forulis adhuc latitantia, quorum ſequentem exhibemus elenchum.

I. *Petri Epiſcopi Brixienſis Repertorium*: impreſſum eſt Norimbergæ anno MCCCCLXXVI. Deinde Patavii anno 1480. Hæc editio quamplurimis adnotationibus mſſ. ſatis vetuſtis aſperſa, in duo maximæ molis volumina diſpertita, ex rarioribus eſt hujus noſtræ Bibliothecæ cymeliis.

Exſtat in primi voluminis fronte ipſa Præfatio, quam præceptis inſtitutiſque Philoſophiæ ethicæ locupletiſſimam, monumentis ex reconditiori hiſtoria depromptis auctam, omnique genere politioris litteraturæ exornatam, dignam exiſtimavit Card. Quirinus, ut ex Codice Vaticano exſcriptam dono mitteret Cl. Joſepho de Januario, in Athenæo Neapolitano Juris Feudalis Profeſſori, Senatorique ac Conſiliario Regio (30):

II.

ſiam Aquilejenſem juſſu & auctoritate Lodovici Scarampii Aquilejenſis Patriarchæ, qui ſuam Metropolim adire non poterat impeditus Legationibus Apoſtolicis, teſte de Rubeis in Monumentis Aquilejenſibus Cap. CXI. pag. 1055. Porro Monumentum translationis Reliquiarum SS. Fauſtini & Jovitæ XVIII. die Decemb. anni 1455. peractæ oſtendit, eumdem Paganinum Vicarias egiſſe etiam eo anno Epiſcopi Montani vices. Illud Monumentum commemoratur a Fayno in Martyrol. VI. Decembr. ubi obiter animadvertendum, eam indulgentiam, quam Faynus dicit 40. annorum ab Epiſcopo conceſſam viſitantibus eadem die Martyrum Corpora, immanem eſſe calami lapſum; ſcribi nempe oportuit 40. dierum, cum poſt Concil. Lateran. IV. ſimplices Epiſcopi non ſint uſi majori facultate in concedendis indulgentiis, teſte Thomaſſino de Vet. & Nov. Diſcipl. Par. I. capit. XV. num. 3.

(29) Pag. 28. Vitæ Pauli II. editæ ab Eminentiſs. Cardin. Quirino.

(30) Scilicet inlatam in Quirini Epiſtolam ad illum Profeſſorem datam, & editam Brixiæ die VIII. Maji ann. MDCCLIV.

II. *Monarchia, in qua Generalium Conciliorum materia, de Potestate præstantia & excellentia Romani Pontificis, plenissime discutitur*, Romæ primum edita apud Antonium Bladum MDXXXVII., inlata deinde in Oceanum Juris (31), in Bibliothecam Pontificiam Roccaberti (32) & in Apparatum Conciliorum Collectionis Labbeanæ (33).

III. *Miraculum Eucharistiæ per Epiphanium* (34) *a Petro de Monte Episcopo Brixiensi latinis literis traditum Romæ MDXXIII.*

Opera nondum edita.

Ad patricium & eloquentissimum virum Andream Julianum Venetum, Petri de Monte adversus ridiculum quemdam Oratorem invectiva: hujus procemium in lucem protulit laudatus Quirinus, inseruitque Diatribæ in Epistolas Francisci Barbari P. I. pag. clxxxvi., nec non citatæ ad Cl. Josephum de Januario Epistolæ pag. xvii.

Oratio, ut liceat Scholaribus uti ludis jocisque consuetis: segmentum ex codice Vaticano dedit Quirinus pag. 28. citati ad Benedictum XIV. Opusculi, & pag. xx. citatæ nuper Epistolæ: *Contra impugnatores Sedis Apostolicæ auctoritatis*: librum nuncupaverat Petrus Nicolao V. Summo Pontifici, procemiumque editum est a Quirino pag. 23. citati Opusculi. Alia insuper reliquit acerrimi ingenii monumenta, quorum elenchum accuratissima diligentia contexuit loc. cit. de Augustinis. Petro autem nostro abjudicanda sunt, quæ fuerunt ipsi tributa: *Tractatus prolixus & barbarus adversus Orientale Schisma. De unius legis veritate, & sectarum falsitate. Libellus contra Concilium Pisanum.*

Perbrevem ejus vitam nondum editam conscripsit Vespasianus Strotius Florentinus (35). Qui ejus cum laude meminere, quamplurimi sunt: nos contenti sumus nominasse Papadopolum in Historia Gymnasii Patav. Tom. II. pag. 20., Marcum Fuscarenum Equitem, ædisque D. Marci Proc. Lib. inscripti: *Letteratura Veneziana* pagg. 53. & 54., Augustinum de Augustinis Cœnobii *della Vigna* Venetiarum Bibliothecarium loc. cit.

LXXXVIII.

(31) Tom. XIII. Par. I.

(32) Tom XVIII. pag. 100.

(33) In Apparatu altero pag. 717.

(34) Non celebrem illum Cyprium, sed alium XI. seculi Scriptorem, ut ostendit Theophilus Rauynaudus, qui eam translationem doctis adnotationibus aspersam intulit in VI. suorum Operum Tomum.

(35) Ex Marco Fuscareno pag. 295. nitidissimi eruditissimique Operis, cui titulus: *Della Letteratura Veneziana*.

LXXXVIII.
BARTHOLOMÆUS MARIPETRUS EPISCOPUS
ANNO MCCCCLVII.

MEnſe vix elapſo, a Petri Montani obitu, hujus Eccleſiæ cura per Summum Pontificem Callixtum III. committitur Bartholomæo Maripetro, Patritio Venetorum ſanguine orto, qui Calend. Maji anni MCCCCLVII. Urbem ingreſſus, magna ejuſdem exultatione ſolemnique pompa excipitur. Eximia fulgebat morum ſanctimonia, ſedulamque Eccleſiæ ſibi creditæ navavit operam, unde eximie *Sanctus* a Florentinio meruit appellari. Reipſa multa præclare fecit, inter quæ illud primum, quod cum Fratres Carmelitas, ope ſui Prædeceſſoris Lambertini in Urbem receptos, a primæva ſeverioris vitæ diſciplina haud parum deflexos inveniſſet, Pium II. Rom. Pont., junctis cum Civitate votis, exoravit, ut, iſtis remotis, illi, qui Carmelitæ *de obſervantia* dicebantur, in Urbem recipi poſſent, quod, annuente Pontifice, accidit anno ſequenti, eoſque Fratres collocavit eo in Cœnobio, quod modo nobilitatum tenent una cum pulcherrima Eccleſia vulgo *del Carmine* (1). Fratres mendicantes S. Hieronymi Congregationis Feſulanæ nuper Brixiam ingreſſos induxit in Eccleſiam S. Mariæ Gratiarum, quæ, ſublatis iis Fratribus, attributa fuit PP. Societatis Jeſu, qui hodierna quoque die verbi divini prædicatione frequentique Sacramentorum adminiſtratione ad ſanctioris vitæ inſtituta Brixianum populum promovent, juventutemque omni Diſciplinarum genere erudiunt.

Cum S. Calimerii martyris oſſa ab Joanne Flumicello in S. Floriani æde, ab anno MCLXXV. jam recondita, in ejuſdem Eccleſiæ Oratorio ſubterraneo parum decenter condita nuper inveniſſet, tranſtulit in Aram majorem ejuſdem Oratorii frequentiſſima populi multitudine & celebritate (2).

Quar-

(1) Exſtant in Chartulario Brixiano hujus Ordinis Litteræ Pontificis eam rem enarrantes.

(2) De hac inventione in ea Ubertini Paſculi *De Laudibus Brixiæ Oratione*, quam in Apol-

Quarto initi Episcopatus anno celebris Bartholomæo sese obtulit occasio ostendendi, quantum in disciplinis Theologicis versatus esset, quantaque in moderandis animis dexteritate valeret & efficacia. Jacobus Picenus dictus de Marchia, a Sede Apostolica contra hæreticam pravitatem Quæsitor universalis electus, Sancti nomine & cultu deinceps insignitus, solemni recurrente jejunio anni MCCCCLXII., concionabatur in nostra Urbe, atque die Resurrectionis, quæ eo anno incidit in diem XVIII. Aprilis, dixit: Christi sanguinem in passione fusum non esse cultu latriæ adorandum, utpote a divinitate sejunctum; die sequenti concionator ex Ordine Prædicatorum, cui nomen Baptista, e suggestu non solum docuit contrarium, sed etiam Minoritæ Jacobi falsam vocavit sententiam & erroneam. Acriter enim ea de re disputatum antea fuerat Barcinone, coram Summo Pontifice Clemente VI., Fratres inter Dominicanos & Minoritas (3). Hinc orti Brixiæ rumores, admirantibus plerisque, Jacobum, virum per totam, qua late patet, Italiam, ob egregiam rerum Theologicarum peritiam, morum sanctimoniam, & munera Apostolicæ Sedis jussu gesta celebrem, in errorem adeo crassum incidisse. Sedaturus murmur Jacobus Brixianus ex Ordine Prædicatorum, *pravitatis hæreticæ Inquisitor in Lombardia & Riparia Januensi* (4), Jacobum litteris humanitate plenis hortatus fuit, ut opinioni, ab

Apollonio, & in Joanne Flumicello pag. 222. laudavimus, ita est: *Cujus* (S. Calimerii) *ossa sanctissima nuper, ut scitis, inventa devotissime visitantur*. Postmodum ab Ecclesia S. Floriani, cum FF. S. Dominici ibi residentes anno 1521. bellorum caussa, ad S. Clementis in Urbem sese recepissent, huc etiam intulerunt ossa S. Calimerii recondita in ara marmorea ad Altare SS. Crucifixi, posita hac Inscriptione: *Hic jacet Corpus S. Calimerii Episcopi & Martyris, qui obiit anno Domini CXCII.*, ubi fortasse legendum CXCI., ut constet ejus Chronologia designata a Papebrochio in cit. Exeges. de Episc. Mediolan. Tom. VII. Maji pagg. LV. & LVIII.; quæ eo referre volumus, ut Mediolanenses de possessione Corporis hujus Sancti gloriantes accuratius sua Monumenta investigent, atque ad justæ Criticæ regulas perpendant. Insignem postremo adnotasse non pigebit antylogiam Fayni in notis ad Martyrol. pridie Cal. Augusti; ex altera enim parte adducit laminam plumbeam inventam in translatione ultima hisce verbis signatam: *Corpus S. Calimerii Episcopi & Martyris, quem sepelivit S. Apollonius Episcopus*, ex qua colligit, necatum fuisse vel sub Adriano, vel sub Antonino, sub quibus Impp. vixit S. Apollonius; ex altera vero, arcæ marmoreæ patenti in eadem Ecclesia affirmat, hanc esse insculptam inscriptionem: *Hic jacet Corpus S. Calimerii Episcopi & Martyris, qui obiit anno Domini CXCII.* At vulgata est sententia, eo anno imperitasse Commodum, minime vero Adrianum, aut Antoninum.

(3) Rem fuse inter alios narrat Cardinalis Lambertinus, hodie S. P. Benedictus XIV. in eruditissimo Opere de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione Lib. II. cap. xxx. n. 111.

(4) Verba sunt Vvaddingi in Annal. Minorum Tom. XIII. pag. 206. ad annum 1462.

ab ignaro populo , propter argumenti subtilitatem , perperam intellectæ, lumen afferre vellet ; neque enim is erat, ut crederet , id eum populos docuisse , quod aperte Clemens VI. condemnarat ; at Jacobus , cum ageretur de Fidei rebus , die sequenti , suæ propositionis rationem de rostris reddere voluit , productisque in medium D. Bonaventuræ Cardinalis , Richardi & Mayroni codicibus , recitavit ex iis quamplurima loca in suæ propositionis confirmationem , addens , sese vehementer commotum , quod in hæreseos crimen vocaretur , quia propositionem asseruerat , quam catholici docuerant Doctores , & contra quam nihil solidi , unde posset condemnari , objici posset .

Dominicanus Quæsitor hanc Jacobi apologiam ægre admodum ferens, peremtorio Decreto , atque *in virtute S. Obedientiæ , & sub excommunicationis pœna* Jacobo mandavit, ut aut dictam sententiam revocaret , ut *Erroneam* & *Hæreticam* , aut coram ipso de Fide responsurus compareret. Jam vero ingravescentibus in diem rumoribus , scissisque , ut fieri solet , duas in partes Brixianis animis , Episcopus noster graviora pertimescens incomoda sui muneris esse statuit , suam conciliandæ paci sedandisque animis operam & auctoritatem interponere . Itaque Quæsitore , Dominicano concionatore & Jacobo Minorita ad se vocatis, frequenti doctorum gravissimorumque virorum corona, utriusque partis rationes excepit & expendit ; cumque adversus Jacobi propositionem nihil certi adductum fuisset , nullumque exhiberi posset sive autographum sive exemplar Clementinæ Constitutionis, persuasit Quæsitori, ut Citatorias revocaret , eoque consentiente , ipse Episcopus easdem laceravit , dixitque : utramque sententiam impune , & catholice posse prædicari , donec Apostolica auctoritate definiretur , quid esset sentiendum . Ista omnia peracta sunt die XXI. citati Aprilis , & publico Monumento, jussu Episcopi confirmata . Discessurum hinc sequenti mense Jacobum munivit Episcopus noster literis commendatitiis , quibus universa hujus controversiæ series exponitur , a Benevenuto de Vanejo Patavino, Cathedralis nostræ Canonico atque Episcopi Vicario Generali, expeditis e Palatio Episcopali die XI. mensis Maji anni MCCCCLXII. Epistolarum hoc est initium : *Rationi & honestati consentaneum videtur , ac sæpenumero expedit , veritati testi-*

testimonium perhibere, ut omnis tollatur falsa submurmuratio, quæ forte pias aures tum perturbarit.

Hisce munitus locupletissimis testimoniis putabat Jacobus, satis consultum suo nomini, at Cremam ingressus invenit, eos Cives falsa opinione imbutos, se a Brixianis confusum recessisse; qua re cognita, Communitas & Consiliarii Brixiæ sui muneris judicarunt, testimonium perhibere veritati, datis literis die XVIII. ejusdem mensis *Potestati & Capitaneo ac spectabilibus Præsidentibus magnificæ Civitatis Cremæ*.

Neque Maripetrus Episcopus segnis fuit in vindicanda Jacobi sana doctrina bonaque fama. Profectus enim Jacobus in Patriam accepit, multa contra se spargi, maxime quod adversus Dominicanos Populum Brixianum commoverit: Ab Episcopo igitur Maripetro enixe per epistolas petiit, ut rescriberet, si quid tale contigisset, sin minus, calumniam suo abstergeret testimonio. Cui morem gerens Bartholomæus hoc ei dedit responsum (5).

„ Reverendo in Christo Patri, Domino fratri Jacobo
„ de Marchia, Ordinis Minorum, Patri optimo.

„ Reverende in Christo Pater, accepi litteras P. V. in qui-
„ bus mihi scribit. Inquisitorem undique eam diffamasse, eo
„ impensius quod commoveritis populum hunc meum Bri-
„ xiensem adversus Fratres & Ordinem suum pro materia
„ separationis Divinitatis a Sanguine, adeo quod nisi fuisset
„ adhibitum remedium, multi homines forent interempti:
„ Pro qua re P. V. rogat, utrum verum sit, nec ne, velim
„ eidem aliquid litterarum dare. Ego, mi Pater, nusquam
„ intellexi, nec aliquatenus persensi ea, quæ vobis inferun-
„ tur per Inquisitorem, & vehementer admiror, ipsum tam
„ aperte & imprudenter mentitum esse, quamquam id de tali
„ viro, dedito virtuti & Religioni, difficile sit mihi credere;
„ Paternitas enim vestra in ea materia pertractanda semper
„ modeste locuta est, nec ob hanc causam ortus est aliquis
„ rumor vel tumultus in populo isto adversus Ordinem san-
„ cti Dominici, quin imo & Ordinem & Inquisitorem hunc
„ sem-

(5) *Ex Originali* apud Vvadingum loc. cit. pag. 215.


„ ſemper laudavit. At, uteumque ſit, rogo P. V. non magni
„ faciat ea verba; nam, ut novit, bonis & probis viris num-
„ quam calumniæ & detractiones deſunt, & tamen veritas &
„ virtus inconcuſſa perſiſtunt. Me P. V. commendo, & ro-
„ go, oret Deum pro me, paratus &c. Ex Brixia die v. Augu-
„ ſti MCCCCLXII.

„ B. Maripetrus Epiſcopus Brixien.

Dum vero Maripetrus toto animi fervore inſudabat, ut Dei Sanctorumque cultum in hac Eccleſia promoveret, creditumque ſibi Gregem ad Legis Divinæ obſervantiam excitaret, interiit inopinato rabidæ canis morſu pridie Nonas Novembris anno MCCCCLXIV. poſt ſeptem annos regiminis. Sepulturam accepit in vetere Cathedrali S. Petri, hoc appoſito Epitaphio.

Conditorium Bartholomæi Maripetri Epiſcopi Brixien.

Vixi, & ſecurus mei poſſeſſor fui, quæ dederat mihi
Deus in curſu peregi, pietate Chriſti optimi
Meliores ſedes ſpero. Valete Brixienſes mei, Cœlum ſpectate,
Deo parete. Nam quam fragilis, & caduca ſit vita mortalium
Meo exemplo diſcite M.CCCC.LXIV. (6).



(6) Hanc inſcriptionem nobis ſervavit Ughellus, quandoquidem una cum S. Petri Eccleſia dirutum fuit Maripetri Epitaphium. Advertere hoc loci placet, fidendum haud eſſe Fayno in Append. Catal. Epiſcopor. num. xxxix. inſimulanti erroris Sixtum Senen., quaſi fecerit Brixiæ Epiſcopum Nicolaum de Cuſa Cardin.; nam Sixtus diſertis verbis Nicolaum vocat Epiſcopum Brixinenſem in prima editione Bibliothecæ Sanctæ, eo curante Venetiis facta anno 1566.

LXXXIX.
DOMINICUS DE DOMINICIS EPISCOPUS
ANNO MCCCCLXIV.

Marlpetro paullo post suffectus fuit a Paulo II. Pont. Dominicus de Dominicis Venetus (1). Hic in summis habendus est non solum ex Brixianis, sed etiam ex universa Ecclesia Episcopis, propterea quod res ita multas memoria dignas gessit, ut priscis Ecclesiæ Præsulibus jure ac merito comparari possit. Namque humanioribus literis Patavino in Lyceo imbutus, Clericali militiæ adscriptus summam adhuc adolescens præsetulit ingenii vim. Itaque Bononiam missus, ita celeriter Theologicas Disciplinas omnes ab optimis illis magistris hausit, ut quam brevissime Magistri *Laurea* fuerit condecoratus. Romam inde se contulit, ubi, vulgata ejus in rebus sacris peritia, peridoneus visus fuit, qui theologicas res explicandi munus, a Summo Pontifice ad D. Blasii recenter institutum, obiret (2). Ea in palæstra doctis omnibus, inprimisque Summo Pontifici ita se probavit, ut cito a Scholis amotus, Decanatus Forojuliensis Dignitate ornari meritus sit. Eo loci ut pervenit, sacras identidem habebat ad Populum conciones, sacrasque explicabat quæstiones. Paullo post, aucta doctrinæ atque integritatis fama, in Protonotariorum numerum cooptatus fuit, Infulisque Torcellanis in Venetis æstuariis *eo non petente* (3) a Nicolao V., qui Eugenio IV. suffectus erat, promotus. Callixtus inde III. Nicolai V. successor, Romam evocavit, atque Pontificii Referendarii munere decoravit, ad altioraque promovisset, si longius fuisset

ejus

(1) Mandosius in notulis ad Ughell. Tom. IV. pag. 558. scribit, & quidem vere, Cossandum in Bibliotheca Brixiensi Par. I. pag. 54. ortu Brixianum facere hunc Episcopum, sed ab Joanne Trithemio de Scriptoribus Ecclesiasticis, & a Florentinio in Catalogo vocatur Venetus, quemadmodum & ab Ughello, quorum auctoritatem Cossando præferendam esse putamus. Fortasse originem habuit Brixiæ, domicilium vero Venetiis, ubi Aloysius ejus frater natu minor a Secretis fuit Senatus, teste de Agostinis loc. cit. pag. 387.

(2) Vid. de Agostinis loc. cit. pag. 389.

(3) Ex Epistola Francisci Barbari pag. 25. Appendicis citatæ editionis Quirinianæ.

ejus Regnum. Aptissima Oratione exhortatus est Dominicus Purpuratos Patres, ut omnium aptissimum in Petri Cathedra collocarent. Reipsa omnium optimus selectus est Æneas Sylvius. Hic vocatus Pius II. Mantuam profectus, ut Episcoporum & Principum haberet Conventum, ad parandum adversus Turcas bellum, secum duxit Dominicum (4), qui tanto coram Cœtu Episcopalem sustinuit Dignitatem adversus Protonotarios, Episcopis anteire in Concilio contendentes (5). Soluto eo Conventu, electus fuit ad cognoscenda Acta contra Sigismundum Austriæ Ducem, qui in sordido incluserat carcere Nicolaum de Cusa, S. Petri *in vincula* Cardinalem, Brixinensem Episcopum (6). Inde salebrosiori perfunctus est legatione; optans enim Pius Pontifex Fridericum III. Imperatorem, & Matthiam Pannoniæ Regem, inter sese sævissimo bello digladiantes, componere, legavit ad eos Dominicum. Quam præclare se eo in munere gesserit, satis ostendunt & fœdus ictum eos inter Principes (7), & gratia Imperatoris, quam adeo sibi comparavit, ut præclaræ ipsi fuerint ab eodem impositæ provinciæ (8). Qua, ut mihi videtur, functus legatione, primas habuit partes in celeberrima illa, de qua in Maripetro egimus, de Sanguine Christi in passione fuso, quæstione (9). Summus deinde Pontifex Anconam proficiscens eumdem elegit comitem (10), ubi, extincto Pontifice, eloquentissimam habuit de ejusdem laudibus Orationem; at non minus carus Paulo II., qui Pio successit, Urbis Romæ Vicarius a novo Pontifice nominatur (11). Sed, anno nondum elapso, Brixiani Pontifica-

Z tus,

(4) Pag. 66. Rerum Italicar. Tom. XXIII. typothetæ errore est Tom. XIX. in Tom. V. Supplement. Concil. Mansi.

(5) Ex Elencho Operum ejus, quem mox dabimus ex Cardinalis Quirini citato Opusculo.

(6) De Agostinis loc. cit pag. 393.

(7) Id omne narratur in publicis fœderis pactis ante vigilium Festi Mariæ Magdalenæ anno 1463. signatis, atque editis per Joannem Sambucum in Appendice Rerum Ungaricarum Antonii Bonfinii pag. 864., quibus consonat Raynaldus in Annalib. Eccles. Tom. XIX. ad annum 1463., ex quibus emendandi Ughellus, & Cozzandus, qui hanc Dominici legationem collocant sub Paulo II., cui mente duntaxat Septe. anni insequentis 1464. Summi Pontificatus honos tributus fuit; quod maxime mirandum in Ughello, qui ejus rei notitiam legere poterat in ipsomet Dominici Epitaphio ab eodem relato.

(8) Id constat ex ejusdem Epitaphio, quod adhuc existens juxta Altare B. Virginis in principe Ecclesia, vulgo *Rotonda*, ipsi legimus; unde nescio quo nixi fundamento Ughellus & Cozzandus scripserint, eum fuisse Nuncium ad Senatum Venetum pro Sede Catholica.

(9) Multos, ea occasione, elucubravit Tractatus, quos in Indice ejus Operum citabimus.

(10) De Agostinis loc. cit.

(11) Ex ejus sepulcrali Epitaphio.

tus, ob Maripetri mortem, honos ei fuit a Pontifice delatus ann. MCCCCLXIV., quo simul tempore ad Patriarchalem Venetiarum Sedem tertium nominatus fuit (12). Romæ tamen duobus fere annis eum Pontifex retinere voluit. Demum Urbem hanc ingressus est anno MCCCCLXVI. x. Cal. Septembris, eximia Populi exultatione & pompa: suæ vero munificentiæ continuo specimen dedit; equum enim, quo Urbem ingressus est, licet magni pretii, Petro de Advocato Equiti aurato donavit (13). Exemplum inde eorum Antistitum, qui felicioribus temporibus floruerunt, imitatus, multis rebus nobiliter Episcopatum administravit, e quibus illæ sunt præcipue posteritati traditæ, quod nobiliori splendore Episcopium exornavit: FF. Jesuatos in Urbem recepit, eumque locum illis attribuit, qui modo appellatur *Corporis Christi*, quemque, abrogata Jesuatorum Congregatione, a medio superiori Seculo piissimi S. Francisci Minoritæ *Reformati* incolunt. Monachos quoque Cælestinos e S. Martini supra S. Petrum in Oliveto Ecclesia, jam ab anno MCCCIII. condita, in suburbanum transtulit S. Eustachii locum (14). Veneto Monasterio Monialium S. Crucis de Judaica univit Conventum S. Dominici de Tusculano Diœcesis Brixianæ ad occiduas Lacus Benaci oras. Eam fecit unionem jussu Callixti IV. Pont. Rom. (15). Templum, in quo Servi Beatæ Mariæ doloribus confixæ Deo inserviunt, sub S. Alexandri martyris protectione sacravit (16). Hoc temporis intervallo Romanam Urbem, Romanumque Pontificem iterum invisit; namque, agente Summo Pontifice Pio II. gratiarum actiones D. O. M. die Ascensionis anni MCCCCLXVIII. pro pace inter Italicos Principes composita, accomodatissimam habuit Dominicus

(12) Laudatus de Agostinis loc. cit.

(13) Id nobis innotuit ex pergameno Monumento jussu hujus Episcopi compacto die 6. Junii ann. 1476. asservato in Chartulario œconomico nobil. Comitum Martinengorum, vulgo *del Mercato del Lino*, cui consonat, præter Capreolum Lib. XII. Hist. ad ann. 1466., Bonus Planero de Quinzano auctor cujusdam mss. Historiolæ Brixianæ in hæc verba: *nota che alli 17. di Agosto Misser Domenico de Domenichi Reverendissimo Episcopo di Bressa fece la entrata della Porta di Santo Zoane, e lo Cavallo Bianco fo del Magnifico Messere Piero Avogadro nell' anno 1466.*: quæ verba nos lubentiori animo attulimus, cum opportunam exhibeant nobis occasionem iterum laudandi egregium Opus amplissimi Senatoris Veneti Flaminii Cornelii *de Ecclesiis Venetis*, ex cujus Tom. XIV. pag. 420. ea exscripsimus verba.

(14) Ex Annalib. mss. hujus Monasterii, de quo iterum incidet sermo in Paulo Zane.

(15) *Bullam* Summi Pontificis expeditam XVI. Cal. Martii 1471. edidit laudatus Cornelius Tom. I. pag. 81. cit. Operis.

(16) Ex inscriptione adhuc existente in externa Templi facie. Hoc de Templo vid. pagg. 70. & 334.

nicus Orationem. Rem posteris consignavit in Pauli II. Vita Michael Canesius hisce verbis (17): *Sed inter Missarum solemnia, ut mos est caeremonialis, Dominicus Brixiensis Ecclesiae Antistes, Theologus praeclarus ac facundissimus, jussu Pontificis ornatissimam habuit Orationem, tantoque spectaculo accomodatam*. Eam quoque laudis gloriam video Dominico tributam a Cardinali Jacobo Ammanato (18), qui tunc aberat ab Urbe Roma. Sixtus quoque IV., Pii II. Successor, in gravissimo, atque ad Fidem spectante negotio eo usus est, quippe exorta inter Lovanienses Theologos quaestione dogmatica ad eam definiendam nostrum tantum Episcopum, & paucos quosdam Theologos adhibebat Pontifex: *ad haec disceptanda Brixiensem tantum Episcopum, & paucos quosdam Theologos adhibuerat Pontifex. Quibus etiam auctoribus definire contentionem studebat*: verba sunt Scriptoris sincroni Jacobi Volaterrani (19). Laudati Imperatoris gratiam, quam multos ante annos Dominicus sibi compararat, diligentissime coluit, unde ab eodem & ejus Orator ad Sedem Romanam declaratus, & in Cardinalem anno MCCCCLXXIII. frequenti Consistorio per Imperii Oratorem petitus, quam tamen Dignitatem ob ejusdem Oratoris petitionem sacro Collegio minus gratam non obtinuit (20): obtinuit tamen ab Imperatore amplissimum in suae Ecclesiae utilitatem & honorem monumentum, quod Ughellus edidit (21). Ipse quoque Rom. Pont. gratificari aliquo modo volens eximiis ejus meritis ac virtutibus, Vicarii Urbis Romae munus, quod sub Pio II. gesserat, denuo ei contulit; suumque erga ipsum amorem testatum voluit literis datis die XVIII. Aprilis anni MCCCCLXXV. *Vicario Provinciae Romanae de observantia, & Guardiano ac Fratribus de observantia S. Mariae de Palazola*, quo valetudinis gratia Dominicus se receperat (22). Populi quoque Romani per id temporis expertus est benevolentiam, cum in Patriciorum numerum adlectus est, qua occasione elegantem habuit pro gratiarum actione sermonem, cujus fragmentum

(17) Pag. 82. editionis Cardin. Quirini.
(18) Pag. 166. Epistolar. Hic dicitur Cardinalis Papiensis, cujus sunt editae celebres Epistolae, neque satis obviae.
(19) In Diario Romano edito Tom. XXIII. Rerum Italic. pag. 93.
(20) Ex Raynaldo ad annum 1473. num. XXIII. At de Agostinis id accidisse opinatur propter peculiares opiniones Dominici, adversas Scholae Scotisticae, cujus Sixtus IV. ex Ordine Franciscanorum acerrimus erat propugnator.
(21) Loc. cit. pag. 558.
(22) Apud de Agostinis loc. cit. pag. 406.

ex Codice Vaticano laudatus dedit de Augustinis. Regimen suum clausit Dominicus, prænuntiata obitus hora, Cal. Martii an. MCCCCLXXVIII. (23): egregium relinquens argumentum amoris erga Cathedralem, divite supellectili testamento ipsi legata: sepultus est in Cathedrali Rotunda, in qua Joannes & Aloysius de Justis ejus nepotes peculiare sepulcrum ei ponendum curarunt cum hac Inscriptione.

Dominico de Dominicis omnium liberalium artium, & Sacræ Theologiæ monarchæ, Præsuli Brixien. viro ob singularem in omni genere literaturæ doctrinam, in rebus agendis sapientiam, Nicolao, Callisto, Pio, Paulo, Sixto Pontificibus charo, Joann. Justus Can. & Viced. Brixien. Prothon. & Aloysius fratres avunculo suo pientiss. bene meritoque. Is vero, Nicolao sedente, Eccl. Torcellæ, inde, regnante Paulo, Brixien. donatus plures in Astrologia, Philosophia, Theologia, Episcopali dignitate, Papæ potestate libros, orationes, sermones edidit. Referendarius assistens multorum Pontificum, Vicariusque Urbis Romæ a Pontifice Pio ad Imperium aliosque Germaniæ Principes, & populos missus pacis & concordiæ sequester, Matthiam Pannoniæ Regem, restituta corona, Ludovicum Bavariæ Ducem, & alios, Austriam, Viennenses, ad obedientiam redeuntes cum eodem Imp. Federico fœderavit atque pacavit. Ab eodem ad Sixtum IV. Senatum Venetum Legatus altero LX. ætatis suæ An. M.VII. die II. Brix., hora fati sui prædicta, religiosiss. in Episcopatu suo moritur

M.CCCC.LXXVIII. XIII. Kal. Mart.

Canonici Regulares S. Salvatoris Bononiæ insignem mss. copiam librorum sibi coemerunt, una cum quamplurimis ab ipso elucubratis, quorum alii in Vaticanam, alii in alias commigrarunt Bibliothecas. Horum catalogum productis thematibus exhibuerat Quirinus loc. cit., at longe locupletiorem nuperrime contexuit loc. cit. de Augustinis. Nos contenti erimus eos recensere, quos vidimus typis commissos.

Præfatio apposita Moralibus B. Gregorii Papæ impressis Romæ apud

(23) In Epitaphio ab Ughello edito in editione Romana legitur 1477.; at error sublatus est in editione Veneta; sed nescio quo pacto iterum illapsus in citatum Quirini Opusculum pag. 44.

apud S. Marcum anno a Nativitate Domini MCCCCLXXV. (24).

Tractatus de Reformatione Rom. Curiæ per advisamenta, sive considerationes cum allegationibus ad SS. D. Pium Papam II. compilatus per Rmum Patrem Dominum Dominicum de Dominicis Episcopum Brixiensem, tunc Torcellanum S. Theologiæ Magistrum, & ejusdem Papæ Referendarium. Dispertitus est in duas supra viginti considerationes: Prima pagina incipit: *Zelus Domus tuæ comedit me*: ultima ita concluditur: *Brixiæ quam accuratissime, emendatissimeque impressum per Venerabilem Dominum Presbiterum Baptistam Farfengum artis impressoriæ solertissimum. Impensa Francisci Laurini Civis Brixiæ. Anno a Natali Christiano M.CCCC.XCV. Die XIII. Martii* (25).

Tractatus de Sanguine Christi. Accessit Tractatus ejusdem de Filiatione Joannis Evangelistæ ad B. Virginem. Venetiis apud Petrum de Fine 1557.

Rudimenta ad sciendum & servandum necessaria Clericis & Presbiteris curam animarum habentibus &c. (26) apud Hæredes Vallerii & Aloysii Doricorum. Romæ 1561.

De Cardinalium legitima creatione Tractatus. Exstat sub finem T. I. de Republica Ecclesiastica Marci Antonii de Dominis.

De Dignitate Episcopali. Quamprimum in lucem apparebit ex pulcherrimo Codice Silvii Cardinalis Gonzagæ Valentis: vidimus enim ipsi Romæ Cl. Hieronymum Lombardum amicissimum nostrum, qui in eum finem, eum exscribebat.

Tandem advertere non prætermittimus, Dominici vitam, sed satis rudem, conscriptam fuisse ab eo, quem in Petro de Monte citavimus, Vespasiano Strotio (27).



(24) Recusa est in nonnullis aliis editionibus.

(25) Hunc Tractatum a nullo vidimus commemoratum. Eum nos invenimus Romæ in nostra Quirinali Bibliotheca.

(26) De hoc Tractatu redibit sermo in Francisco Cornelio.

(27) Ex laudato Fuscareni Opere pag. 296.

X C.
LAURENTIUS ZANE EPISCOPUS
ANNO MCCCCLXXVIII.

LAurentius inde Zane Nobilis Venetus (1), Ecclesiæ Antiochenæ Patriarcha, a Summo Pont. Sixto IV. Brixianam infulam, statim post Dominici mortem, obtinuit, sed brevi temporis intervallo gessit; nam ab eodem Pontifice, summo Legati *de Latere*, ut dicitur, imperio auctus, Flaminiæ præficitur: quo temporis intervallo, ne sacra Brixiana res aliquid detrimenti pateretur, Leoni Episcopo Sustiensi eam administrandam commisit, cui etiam facultatem tribuit evehendi Corpus S. Paterii Brixiani Episcopi e pago S. Euphemiæ ad Ecclesiam ejusdem nominis in Urbe, a Monachis Casinensibus sacro cultu excultam (2). Verum Laurentius, Flaminia, gravissimis dissidiis laborante, æquis legibus composita, sedem ipse Romæ fixit, abdicato Episcopatu, anno III. postquam illum susceperat.



(1) Deinceps Episcopi omnes fuere Veneti ex Patritio Ordine, unus si excipiatur, ex nobili Familia inter Brixianas, Durantes de Durantibus;

(2) Vide Commentarium ad S. Paterium pag. 90.

XCI.

PAULUS ZANE EPISCOPUS

ANNO MCCCCLXXXI.

EOdem anno, quo Laurentius hanc Infulam dimisit, collata fuit Paulo Zane, ætatis annum XXII. nondum fortasse ingresso: a Summo interim Pontifice, (qui hoc illi jus esse voluit, ut expleto dumtaxat anno XXVII. in Episcopum inauguraretur) præfecto administrandæ Ecclesiæ Marco Nigro Episcopo Auseriensi. Is, suscepta stato tempore administratione, ardenti, quo æstuabat, erga Virginem Deiparam, amore, pro virili contendit, ut in ejus honorem Ecclesia construeretur. Piis ejus votis obtemperans Brixianus populus, ad præclara quæque perpetuo pronus & expeditus, Ecclesiam erigere aggreditur B. Mariæ Gratiarum, cujus sese imaginem miraculis coruscantem, una cum Matthia Ugono Episcopo Famagustano, vidisse, testatus est Episcopus noster publicis monumentis (1); primum lapidem ipse posuit, atque exhortationibus pecuniaque nunquam destitit incœptum opus urgere. Anno 1497. acquisivit ad Episcoporum rusticationem amœnum S. Eustachii suburbanum rus, quod juris erat Monachorum Cælestinorum, quos ad S. Desiderii jam transtulerat, transacta re cum Servis B. Virg. Mariæ, S. Desiderii ædium (2) dominis. Anno deinde MCCCCXCVIII. lipsana S. Pauli, hujus nominis II., Episcopi nostri, ex S. Eusebii veteri Ecclesia extra muros in Templum S. Petri in Oliveto transtulit, edito Decreto, ut die IV. Martii ritu *duplici* celebraretur ejus festum, quod tamen ritu solum *semiduplici* hodie peragitur. Cum Ludovicus XII. Galliarum Rex, fuso ad Adduæ ripas Venetorum exercitu, anno MDVIII. Brixia per deditionem accepta, veritus esset, ne ad Venetos, qui copiis aliis conjunctis, ad bellum instaurandum se parabant,

 ite-

(1) Teste Cæsare Gussago Præside Generali in Libro, cui titulus: *Corona della Madonna delle Grazie di Brescia*.

(2) E chartis Archivii S. Desiderii comiter nobis a Reverendissimo Leovigildo Roberti communicatis.

iterum deflecteret, voluit, ut Episcopus Zane una cum aliquot aliis claris Brixianis, Mediolanum, ubi ipse moram trahebat, obses mitteretur. Urbi paullo post redditus, dum nihil eorum pertimesceret, quæ in excolenda Vinea optimum & solertissimum Agricolam decent, ecce anno MDXII. suismet oculis, ingenti prorsus dolore, eamdem pene evulsam dirutamque videre coactus est: propterea quod cum id accidisset, quod Ludovicus pertimuerat, defectio scilicet Brixianorum ad Venetos, Gastonus Foyssæus, supremus Dux Gallici exercitus, eadem vehementissime offensus, Urbem ex Arce Chinæa invasit, captamque reliquit militibus fœdissime diripiendam (3). Quo tempore civibus, qui inexplebili militum cupiditate in summam rerum omnium egestatem conjecti erant, suppetias splendide tulit. Massimilianus deinde Imperator, Romanorum Urbe potitus, contendit omni ope anno MDXVI. apud Pont. Rom. Leonem X., Paulus ut Obestainensis, qui erat ei a consiliis, & ab epistolis, socius & *Coadjutor* daretur Episcopo nostro, *ipso volente & nolente*. Causabatur inprimis Imperator ingravescentem Zani ætatem, re tamen vera Venetus Episcopi sanguis ei haud levem injecerat suspicionem; Pontifex Imperatori morem se gesturum promiserat, re tamen infecta, propter varias *Lombardici* belli vicissitudines, Obestainensis impeditus adire nunquam potuit optati tituli possessionem. Itaque Petrus Zane commissi sibi Gregis commodis invigilans Valetudinarium Incurabilium exorsus est, primo jacto lapide anno MDXXIII., ipso Principi Apostolorum die sacro: die vero XIII. Maji insequentis anni Ecclesiam SS. Martyrum Faustini & Jovitæ, ad sanguinem olim nuncupatam, nunc S. Aphræ, Canonicis attribuit Congregationis Lateranensis, permittente Clemente VII., qui anno proxime delapso Successor datus fuerat Adriano VI., senio tandem laboribusque confectus mense Martio anni MDXXXI. obiit, decimo ipso exacto lustro, postquam hujus Ecclesiæ regimen susceperat. Morti proximus Urbem hæredem instituit frustuli SS.^mæ Crucis, quod ipse a patruo, suo Decessore, acceperat ea conditione, ut novo in Altari in principe Ecclesia construen-

(3) Capreolus in Supplem. Histor. Brix., necnon Innocentius Casatus Abbas S. Joan. Evang. in Libello ms. *De exterminio Brixianæ Civitatis*.

ſtruendo, publicæ venerationi proponeretur, legata quoque pecunia omni, quæ ex Epiſcopalis Menſæ fructibus ei debebatur, ut cenſus inſtitueretur in *perpetuum* ſacrum ad aram SS.^{mæ} Crucis faciendum, cui muneri Sacerdos Fauſtinus Cotonius omnium primus nominatus fuit (4). Sepulturam accepit in Cathedrali magnificam, hac adjecta inſcriptione:

Hic Paulus Zanes tuus, inclyta Brixia, Præſul
Eſt ſitus e Veneta patritiaque domo.
Ille humilis, prudens, vitæ ſyncerus, egenis
Munificus, vera Religione fuit.
Domino B. M. Familiares grati PP.
Obiit anno M. D. XXXI. Menſe Mart.
Epiſcopat. Ann. L. Rexit.

XCII.
FRANCISCUS CORNELIUS EPISCOPUS
ANNO MDXXXII.

HUjus laus haud tenuis eſt, quod fuerit nepos Catharinæ Corneliæ Reginæ, fœminæ in Venetam Remp. ingentis meriti, ob Cyprici Regni dominium & jura Veneto Senatui tradita. Natus eſt Georgio Cornelio, & Elizabetha Maurocena nobiliſſimis parentibus: a matre piiſſima fœmina pie ſanctèque educatus, ut primum per ætatem licuit, longiſſimis peregrinationibus magnam juventutis partem conſumpſit rei militaris amans, Martis gloriæ percupidus. Georgium patrem, cui Adduenſis belli cura commiſſa erat, ſequutus, magnam ſui ſpem concita-

(4) Hanc narrationem hauſimus ex anonyma hujus Epiſcopi Vita mſ. apud nos exiſtente, in qua inſuper additur, eam donationem Civitatis nomine accepiſſe Thadæum Manerbam Juris Conſultum; rogatumque fuiſſe Monumentum per Antonium Cheſum Notarium Epiſcopalem in ipſa Epiſcopi Camera, eadem qua obiit die, Indict. IV. currente. Præterire tamen non poſſumus, in animo nobis fuiſſe, hanc Anonymi narrationem ſilentio obvolutam relinquere, propterea quod nullam, quacumque adhibita diligentia, datum ſit invenire notitiam neque ejus Reliquiæ, neque *Capellaniæ* inſtitutæ. Verum accuratiori aliorum diligentiæ aditum aperuiſſe ſatis nobis eſt.

citavit; itaque eligitur Senatus Consulto Præfectus maritimæ classis, qua tutæ redderentur oræ Ligusticæ ad præsidium Julii II. Rom. Pont., qui neglectis Cameracensis fœderis sociis, Venetæ se tandem Reipublicæ conjunxerat; qua in navigatione, sæva jactatus in freto Siculo tempestate, e Scyllæ & Charybdis faucibus divino sane consilio ereptus Romanum adiit ipsa in Urbe Pontificem, qui Juvenis moderatione captus & prudentia eximiis eum cohonestavit honoribus. In patriam reversus, copiarum Duce Andrea Gritto, liberavit Patavium inimicorum copiis obsessum. Hierosolymam deinde navigavit, ut sacra illa Redemptionis nostræ loca inviseret, ac præsens veneraretur, quibus locis mirum quantum incommodi, laboris, contumeliarum etiam & verberum a barbaris illis hominibus æquissimo tulerit animo. In patriam inde regressus clarioribus auctus est Magistratibus, & paullo post splendida ornatus ad Carolum Austriacum Imperatorem Hispaniæque Regem legatione, qua Hispania, Germania, Belgioque peragratis, interfuit Aquisgrani, cum primo Carolus Cæsar, de more Germanorum, Imperator est consalutatus, apud quem ita splendide quadriennio prudenterque suo functus est munere, simul ex sententia Senatus, simul ex Imperatoris voto, ut ab illo eximiam laudem consequutus sit, ab isto insignes honoris titulos, quibus aucta est Cornelia gens in omnem posteritatem. Deinde ætate provectum Clemens VII. Pont. Max. ad Roman. Purpuram adscivit absentem die xx. Decemb. MDXXVII., ita primus in Familiam suam Ecclesiasticæ purpuræ splendorem intulit, cujus insignia tradita ei sunt Venetiis a Pontificio apud Senatum Venetum Oratore. Novo hoc ornatus honore statim intellexit, omni studio sibi adnitendum esse, ut novam personam indueret, ad eaque sese accomodaret, quæ illius Ordinis Viros maxime decere arbitrabatur; & quamquam ætate esset provecta, neque a puero satis eruditus ad literas, tamen in ea re tantum studii diligentiæque adhibuit, ut brevi facultatem sibi & copiam latini sermonis una cum multarum rerum cognitione compararit; unde graves erant prudentesque ejus sacro in Senatu sententiæ, quo lectica ferebatur, propter artuum ægritudinem; cumque eodem incommodo detineretur lecto, Pontifex Maximus

ad

ad eum mittere solebat nuncios, qui sententiam ipsius exquirerent, renuntiatamque publice miris laudibus prosequebatur. Vix Roma perfrui cœperat tanti Viri prudentia, cum Veneti Senatus beneficio sacris Brixianis rebus ab eodem Pontifice præficitur; itaque, licet imbecilla valetudine, Brixiam veniens possessionem Episcopatus iniit maxima civium lætitia IX. Cal. Junias anni tricesimisecundi supra millesimum quingentesimum. Creditum sibi populum casto Religionis cultu ita diligenter continuit, ut hanc provinciam nulla perversarum opinionum labes inquinarit, quæ solicitudo inprimis commendanda, ob pravarum opinionum venenum, quod finitima Germaniæ Rhætiæque loca miserum in modum labefactare cœperat. Ob eum finem imprimi fecit Tractatum, quem supra citavimus, *Dominici de Dominicis* nostri Episcopi, cui titulus: *Rudimenta ad sciendum & servandum necessaria Clericis & Presbiteris curam animarum habentibus*; at apud suos Brixianos diutius commorari non permissus, quod a Pontifice, ejus opera in universæ christianæ Reipublicæ commoda usuro, accersitus iterum Romam: hanc absens provinciam moderatus est ministerio eorum virorum, quorum inprimis fidem, prudentiam, doctrinam maxime cognitam perspectamque haberet; sæpe repetens: *bonum Principem malis utentem ministris, malo bonis utente, pejorem esse*. Quapropter eorum, quos apud se habebat, & quorum opera utebatur, ingenium, mores, vitæ instituta diligentissime observare solebat. Eos inter, quibus Brixianam rem commendatam voluit, præcipuum obtinuit locum Andreas Cornelius ex fratre Nepos, quo de mox dicturi sumus; ipse vero obiit, non quidem Venetiis, uti est a nonnullis affirmatum (1), sed Viterbii sive die XXVI. Septemb., sive prima Octobris, anni MDXLIII. ætatis vero V. supra LX. Cineres ex Hetruria in patriam delati, curante Joanne ejusdem fratre, honorificentissimo funere conditi sunt apud S. Salvatorem, habita coram Senatu laudis Oratione ab Hieronymo Nigro, Veneto & Canonico Patavino (2).

XCIII.

(1) Apud Florentin. in Catalogo Episcoporum.

(2) Inscriptam Joanni Cornelio Francisci fratri Patavinis typis eodem anno publici juris fecit Niger, inlata deinde fuit in Tom. I. Orationum clarorum Virorum, cusum in Academia Veneta anno 1559.

XCIII.
ANDREAS CORNELIUS EPISCOPUS
ANNO MDXLIII.

ANtequam e vita Franciscus decederet, operam dedit, laudatus ut Andreas, cui administrandæ Ecclesiæ Brixianæ demandarat provinciam, Episcopus ejusdem Urbis initiaretur; itaque ex Cameræ Apostolicæ Clerico Antistes Brixianus die 3. Martii anno MDXXXII. a Summo Pontifice Clemente VII., ut erat eorum temporum consuetudo, renunciatur. Excellenti, quo florebat, ingenio, una cum eximiæ prudentiæ ac liberalitatis gloria egregium Episcopatum gerebat. Quamobrem Paulus III. in sacrum ascivit Collegium anno MDXLIV. titulo S. Theodori. Auctus aliis honorum titulis migravit e vita prid. Cal. Decembr. anno MDLI. Romæ (1) ætate adhuc integra. Corpus ad S. Augustini delatum, postea Venetias translatum in Majorum tumulo reconditum in Ecclesia S. Georgio sacra.

XCIV.
DURANTES DE DURANTIBUS EPISCOPUS
ANNO MDLI.

DUrantes inde de Durantibus Brixianus consequitur, illustri sanguine ortus. Hic a Majoribus acceptam gloriam multis auxit virtutibus; fuit enim disertus, sacrarum humaniorumque litterarum peritus, nec minus in negotiis expediendis solertissimus; unde Paulo III. Pont. inprimis carus, cujus cubiculi Præfectus erat, & a secretioribus Epistolis. Episcopus Algarensis nominatus II. Cal.

(1) Ex Ciacconio Tom. III. pag. 705.

Cal. Julias ann. MDXXXVIII.; auctus deinde fuit Episcopatu Cassanensi die XIX. Febr. anni MDXL. Quatuor post annos sacro adscriptus Collegio titulo Basilicæ XII. Apostolorum, mox Umbrica Legatione ornatus, Patrio tandem Episcopatu condecoratur a Julio III., ineunte Martio anni MDL., cujus possessionem iniit Non. Julii ejusdem anni, eximia civium lætitia & pompa. Insigne moderationis specimen præbuit erga Paulum Vergerium juniorem, qui jurgia licet plurima in Durantem vomuisset, & a Fide catholica paullo post defecisset, nullo tamen a Durante injurioso verbo unquam dicitur lacessitus: ea animi moderatione cæterisque virtutibus ornatus traditam sibi Ecclesiam administravit egregie octo annis, tandem senio laboribusque confectus decessit e vita, ingenti civium mœrore, ipso Nativitatis Domini pervigilio ann. MDLVIII. (1). In Cathedrali ante gradus Aræ principis humatus fuit, deinde inlatus anno MDCIV. in tumulum a Majoribus instructum in Sacello Corporis Christi veteris Cathedralis posita hac inscriptione:

Hic sunt ossa Illustriss. ac Reverendiss. D.D. Durantis de Durantibus S. R. E. Card. & Episcopi Brixiensis, qui obiit anno M.D.LVIII. die XXIV. Decembr. huc ex alio loco translata die XVIII. Februarii M.DC.IV.



(1) Universam hanc narrationem excerpsimus ex ms. Vita Durantis, quam ejus nepos texuit, & Cardin. Farnesio nuncupavit, asservaturque penes nobilissimum doctissimumque virum Comitem Durantem de Durantibus.

X C V.
DOMINICUS BOLLANUS EPISCOPUS
ANNO MDLIX.

DUrante vita functo, hujus Ecclesiæ regimini addictus jam erat Aloysius Priolus, Vir cum patritio sanguine & morum probitate, tum gloria literarum, & Poli Contarenique Cardinalium consuetudine præclarus; vix enim Durantem Brixianis infulis admoverat Julius III., cum Priolum ejus destinarat Successorem. At mortuo Julio, necnon Marcello hujus nominis II., Paulus IV. eorumdem in Pontificatu Successor, vir probatissimæ antiquitatis, Aloysii præelectionem noluit habere ratam (1): quæ Pontificis dissensio in caussa fuit, cur a Durantis exitu usque ad novi Præsulis electionem quatuor elaberentur menses. Die tandem XIV. Martii ab eodem Pont. Rom. Brixianus Pontifex renunciatur Dominicus Bollanus, quod plane mirum; laicus enim gerebat ipse eo tempore Brixianam Præturam; sed quam in civilibus rebus administrandis præfetu-

(1) In recentissima italica Vita Pauli IV. a Bartholomæo Carara edita Tom. II. Lib. X. pag. 412. in Bollani laudem, prætermissa Prioli mentione, ita est ex Gattaldo: *così il Vescovado di Brescia sperava di averlo il nipote del Cardinal Duranto, che vi avea accesso; ma Paolo IV. volle darlo a Domenico Bollani benemerito del S. Offizio, e persecutore delli Eretici*.... Illius tamen ævi monumenta de Durante omnino silent, & unam commemorant Prioli electionem. *Quo tempore Senatus Venetus permissu Julii III. Pont. Max. quatuor ex omni Civitatis nobilitate Patritios nominarat, atque in iis Priolum, quorum unum Pontifex Cardinali Duranti, qui adhuc vivebat in Episcopatu Brixiensi, post ejus mortem successorem futurum declararet, cum Pontifex ipsum Priolum delegisset*; verba sunt Andreæ Dudithii in Vita Card. Poli pag. 49. Tom. I. Epistolar. ejusdem Cardinalis editarum ab Eminentiss. Quirino, qui in Epistola IV. italice scripta Brixiæ die XIX. Junii anno 1753. amplissimo Senatori Andreæ Quirino eamdem rem confirmat pag. XIV. *ma molto prima della destinazione del Priuli al Vescovato di Verona, era seguita l'altra al Vescovato di Brescia, alla quale pure mancò l' effetto per non essere state ammesse da Paolo IV. le Bolle de Espettativa concesse al Priuli da Giulio III., come fanno fede le molte lettere esistenti in testo a penna nella Libreria Soranzo*. In adnotatione vero decima ad eamdem Epistolam addit idem Eminentissimus: *nella poc' anzi citata Raccolta delle Lettere di tredici Autori illustri una di esse si trova nel Libro XIII. indirizzata da Jacopo Sadoleto, Vescovo di Carpentras" a Monsig. Luigi Priuli Eletto di Brescia" e comincia" Dell' onorata Elezione fatta di V. S. Revdm̃a al Vescovato di Brescia, vorrei rallegrarmi seco, siccome io godo e trionfo tra me medesimo &c. "Si rallegra poscia del consenso prestato dal Priuli " alla molta e giustissima istanza di N. Signore, e del Sacro Collegio, e all' onorata proposta dell' Illustrissimo Senato". Scritta è la lettera di Carpentras XVI. Apr. MDLI.*

ſetulerat dexteritatem diligentiamque eximiam (2), eamdem in ſacris obeundis deſiderari a ſe non eſt paſſus. Itaque illud onus ſibi haud eſſe recuſandum ratus, in quo divina quædam apparebat vis & auctoritas, totum ſe hujus Eccleſiæ rationibus addixit. Extremis interfuit Concilii Tridentini Seſſionibus inter Pii IV. Patres, quibus inſigne ejus erga Rom. Eccleſiam ſtudium probatum eſt (3). Anno LXV. hujus Seculi, cum Carolus Borromæus Metropolita Mediolanenſis, dimiſſo ſuperiori anno Tridentino Conventu, Romana ex Urbe diſceſſurus, Epiſcopos ex ſubjectis ſuæ Metropoli Provinciis de prima Provinciali Synodo celebranda per Nicolaum Ormanettum ſcriptis epiſtolis commonuiſſet, Bollanus menſe Octobri Mediolanum contendit, ubi, a Carolo, Septembri menſe eam Urbem ingreſſo, ſummi amoris teſtimoniis, ipſoque inter alios Epiſcopos exceptus hoſpitio, interfuit Synodo; qua 3. Novemb. die exacta, in Sponſæ amplexus ſtatim convolans Diœceſi obſervandas proponere ſtatuit eas ſanctiones, quas & in Tridentino denunciatas, & in Mediolanenſi receptas Concilio, ſimul voluit Carolus, ſimul Patres ipſos hortatus eſt, ut ipſi inprimis ſervarent, & aliorum animis infigere conarentur. Animo itaque reputans cum Tridentini Concilii Patribus, populi mores ad Cleri exemplum componi, hujus autem inſtitutionem nunquam fore probatam, niſi a teneris annis adoleſcentuli ad pietatem & religionem informentur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, omnem in hoc opus curam intendit; brevique ſpatio ita omnia collegit, ut domus Seminarii, redditibus munitæ aureorum bis mille, juxta Mediolanenſis Concilii præſcriptum, peractis prius ſolemnibus pre-

(2) Quanta valuerit Bollanus, ætate adhuc viridi, prudentiæ laude, vel ex ipſis facile dignoſcitur muneribus, quibus in tanta florentiſſimorum juvenum copia a graviſſimo Senatu admotus fuit; unus enim delectus, qui ſummis in negotiis ad Henricum VII. Britanniæ Regem Orator mitteretur, cui, per duos annos ibi verſatus, ita ſe probavit, ut Eques auratus crearetur (quæ olim dignitas rara, magnoque in pretio habita) regiumque Anglicani Regni inſigne (quod Roſa eſt) in perpetuam familiæ gloriam inſignibus adderetur ſuis. Miſſus deinde in Carnorum Urbes, laborantibus illis annonæ penuria, cum Nobilium animis & armis cuncta forent ſuſpenſa populi tumultum ſpectantibus, talis ac tantus extitit, ut vilitate annonæ reddita, Urbibus ac populis pace reſarcita, diſſidentium animis ſedatis, pro ingentibus meritis apud illos, ejus gentis inſignia clariſſimo cum titulo & inſcriptione ipſi erigerentur; ex Baptiſtæ Bozzolæ nuncupatione Concilii Tridentini editi Brixiæ anno 1563.

(3) Ex Pallavicini Hiſtor. Conc. Trident. prope finem Cap. VIII. Lib. XVI., & ex cit. Bozzolæ nuncupatione.

precationibus & cæremoniis, III. Calend. Octobris anni MDLXVIII. primum lapidem sub D. Mariæ invocatione posuerit, signatum figuratumque sequenti Epigraphe, quam exhibemus ex Archivi Seminarii Chartis:

Laus	Deo
Semin.	Mariæ
Dom.co Boll.o Epõ	
MDLXVIII.	

Cathedralem Rotundam vetustate fatiscentem, restauravit proprio ære. Completo instaurationis opere, sacra lipsana D. Anathalonis ex Altari SS. Crucis in novam Aram S. Martino sacram intulit, brachio tamen priori loco relicto, posita inscriptione, quam in Anathalone pag. 6. retulimus. Acta res est anno MDLXXII. eximia pompa ingentique populorum frequentia.

Suam & ipse, ad Tridentinæ & Mediolanensis mentem, Diœcesanam Synodum celebravit anno MDLXXIV., in qua Constitutiones, seorsim superioribus annis pro re nata editas (4), nonnullasque de novo additas, una tandem omnes, ut ab omnibus servarentur, collegit atque servandas sanxit (5). Eas inter, illa est præ cæteris adnotatu digna,

(4) Antiquiores, quas videre potuimus, Constitutiones jussu Bollani editæ hunc præseferunt titulum: *Constitutiones Reverendissimi Domini Dominici Bollani Brixiæ Episcopi. Brixiæ ad instantiam Jo. Baptistæ Bozzolæ. M.D.LXIIII.* in calce vero legitur: *Brixiæ apud Ludovicum Sabiensem*; octo constant pagellis formæ in 4. In iis inter cætera hæc leguntur pag. 4. *Denuntient sæpe Curati populo suo, Dominicis aliisque salsem majoribus Festis ad parochiam quemque suam accedere teneri, ibique divinis interesse, & verbum Dei audire.*

(5) Earum frons ita se habet: *Constitutiones Reverdmi D. D. Dominici Bollani Brixiæ Episcopi in Diœcesana Synodo promulgatæ anno Domini M.D.LXXIIII. die IV. mensis Novembris; Adjectis ad extremum Edictis, quæ ex earumdem Constitutionum præscripto certis per annum temporibus sunt in Ecclesiis populo enuntianda.*

Brix. apud Vincentium Sabbium M.D.LXXV.

Præfationem Episcopi satis præclaram Lectorum oculis subjicere, perinde utile spero fore ac jucundum.

DOMINICUS BOLLANUS

Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Brixiæ &c. Universo Clero suo Brixiensi salutem in Domino.

Pro Episcopalis nostri officii munere, ubi primum e Sacro Tridentino Concilio ad pastoralem Ecclesiæ nostræ stationem rediimus, illud

gna , qua fupremum Pœnitentiæ miniftrum inftituit applicatione cenfuum cujufdam Canonicatus , quæ tamen duos tantum poft annos exequutioni demandata fuit ; tunc enim , facultate a Gregorio XIII. obtenta , fructus duorum Canonicatuum , qui proxime vacui forent , affignavit duobus Sacerdotibus Canonicis in perpetua tempora , quorum alter mox memoratum munus gereret , alter vero Theologicas haberet in Cathedrali prælectiones , quibus neceffaria ad falutem documenta feftis diebus traderentur . Exinde animum adjiciens cum ad emendandos Ecclefiafticorum mores (6) , tum ad ordinandos Ecclefiafticos ritus , curavit inter alia , nullus ut Canonicatu potiretur , qui facris Ordinibus initiatus non effet ; Librum *Ritualem* Sacramentorum , quo una eademque cæremoniarum regula divinus cultus fua in Diœcefi perageretur , omnium primus , exacto Tridentino Concilio , elucubravit typifque commifit ; qui poftea univerfis comprovincialibus Ecclefiis , nonnullis adjectis , propofitus fuit , ab iifque receptus (7) . Sed anno MDLXXVI. Mediolanenfe iter denuo confecit , ut præclariffima , quæ toto orbe jam vulgabantur , Pontificis Mediolanenfis gefta de vifu introfpiceret , Concilioque Provinciali , quod IV. fuit , intereffet . Anno autem infequenti Dominici animum , ceteroquin infractum , gravis perculit calamitas ; eo namque anno MDLXXVII. peftilentiæ morbus Urbem Liguriæ prin-

lud maxime fpectavimus , ut quacumque ineo graviter ac falutariter , Spiritu Sancto auctore , decreta effent , ea in hac noftra Ecclefia fervarentur quam diligentiffime , tum ad Dei cultum , tum ad Ecclefiafticæ difciplinæ augendæ confervandæque rationem. Quamobrem in Diœcefana proxima Synodo Conftitutiones aliquot vobis promulgavimus , in quibus amplectendis , communique omnium ftudio exequendis , Divina clementia defiderium noftrum ita profecuta eft , ut de veftro in via Domini profectu non exiguas Deo gratias habendas exiftimemus. A quo etiam uberiores de vobis in dies religionis ac pietatis fructus fperamus , fi , quæ deinde tam in tribus hujus Provinciæ Conciliis poftea habitis , quam ex peculiari perpetuaque gregis fidei noftræ commiffi fpeculatione , noftra huic Ecclefiæ utiliora & accomodatiora , docente experientia , ipfi vidimus , nova Decretorum acceffione ftatuamus. Quare librum hunc , priores illas & has pofteriores noftras conftitutiones continentem , in veftrum , ac totius noftri gregis commodum & utilitatem emittimus , Deum bonorum omnium auctorem affidue rogantes , ut cordibus veftris charitatis legem digito fuo infcribat , cujus vim intimo animi fenfu complexi , non folum vobis ipfi fitis lex & norma bene vivendi , fed aliis etiam , quibus prælucere debetis , pietatis & virtutum omnium exempla præbeatis ; ut & Dei fanctiffimum nomen , in cujus fortem vocati eftis , glorificetur , & populi vobis in curam traditi majorem in dies progreffionem faciant in via Domini. A quo fanctarum virtutum incrementa , falutemque fempiternam vobis fine intermiffione totis pietatis noftræ vifceribus precamur .

(6) Quo effet infelici loco facra Brixiana res patefaciunt literæ , a S. Carolo Borromæo occafione luftrationis hujus Diœcefeos confcriptæ , quarum fpecimina inferuit Clar. Oltrochius adnotationibus ad latinam Caroli Vitam pagg. 129. & 544.

(7) Ex Actis Ecclef. Mediol. Par. I. pag. 219.

cipem, aliasque finitimas cum devastasset, Brixiam demum invasit. Tribus prioribus mensibus, quibus ea lues grassabatur, nihil eorum omisit diligentissimus Pastor, quibus Gregis sibi crediti spirituali saluti, hujusmodi potissimum tempore a perditis hominibus in discrimen adductæ, provisum iret. Verum elapso eo trimestri, cum plerosque ex suis familiaribus, morbo Episcopium jam ingresso, sibi abreptos vidisset, ultimumque vitæ diem sibi imminere pertimesceret, frustraque Brixiæ adesse sibi videretur, cum ultro citroque commeare non posset, suæ saltem incolumitati, arrepta fuga, consulendum putavit. Quod Episcopi consilium ut intellexit S. Carolus, qua erat erga hanc Urbem (quam facile maximum suæ provinciæ ornamentum putabat) pietate, laborantis casum miseratus, protinus Brixiam venire destinarat, ut sacris nostratium rebus ipse præsens suppetias ferret; piam hanc voluntatem cum exequi minime potuisset, id saltem, datis enixis ad Bollanum epistolis, est assecutus, ut spreta carnis prudentia, excussoque mortis timore, ad Gregem suum Pastor rediret, Brixianusque Grex in tantis constitutus ærumnis suimet Pastoris & reditu recrearetur, & pastorali officio ad religionis studia inflammaretur (8). Jam vero desæviente lue, divinoque placato Numine, gratiarum actionis ergo, multas indixit supplicationes, divique Anathalonis aram præcipuo coluit obsequio, cujus inprimis patrocinio Urbis liberationem tribuebat. Iccirco ad augendum erga eumdem S. Anathalonem cultum, atque etiam in remedium animæ suæ, tantum pecuniæ ultima voluntate die VI. Novemb. anni 1578. reliquit, quantum opus foret ad sacrum in omne ævum singulis diebus eodem loci faciendum. In id etiam incubuit, ut officium Magistri (ut vocant) cæremoniarum institueretur; ea insuper laus ipsi tribuitur, quod Episcopales Ædes auxerit, nobilioresque reddiderit. Urbis nostræ & Cremonensis, ob flu-

(8) Hanc Bollani fugam coloribus nimium nigris expressam a Giussano Cap. XIII. Lib. V. Vitæ S. Caroli Borromæi, tanto ipsi vitio vertendam non esse, advertit laudatus Balthasar Oltrochius in notis ad eamdem S. Caroli Vitam pag. 348., iisdem nixus fere momentis, quæ nos in textum attulimus. Miseram nostræ Urbis peste correptæ conditionem flevit Lib. II. Carminum heroicorum pag. 87. M. Publius Fontana de Palosco, qui pagus est Brixianæ ditionis, & Bergomensi conterminus. Elegantis hujus Poetæ memoriam celebravit inter alios Cardin. Quirinus Epist. Romæ data ad V. C. Jo. Chrysostomum Trombellium S. Salvatoris Bononiæ Abbatem.

fluminis Olei possessionem, controversias, qua valebat dexteritate, composuit feliciter. Mediolanense tandem Concilium Provinciale Quintum, habitum ab eodem S. Carolo pridie Idus Martias anni MDLXXIX. suamet præsentia illustravit, suaque subscriptione firmavit. At vix ex eo redux gravi se tentari morbo sensit; quamobrem suus Metropolita laudatus Borromæus, cui semper fuit acceptissimus, certior eo de morbo ut redderetur, quamcitissime curavit, qui, accepto tristi ejus rei nuntio, Brixiam statim contendit, eumque omnibus Ecclesiæ sacris munivit, & tamquam bonus Pastor ab ejus latere non abscessit, quoad animam efflaret. Eodem die, pridie nimirum Idus Augusti, quo Dominicus defunctus est, Borromæus sacris operatus est, ut æternam defuncto requiem precaretur. Idibus Sextilis, tumulo antequam mandaretur defunctus Antistes, funebria sacra eidem persolvit, elegantique Oratione Dominici gesta commendavit, atque in sequentem diem solemnes aliæ indictæ cum essent pro eodem preces, eas etiam Archiepiscopus obivit. Cumque dies lætus illuxisset Assumptæ Virginis, cujus auspiciis & nomine gaudet Cathedralis nostra, rem sacram ea, quæ tantum deceret Metropolitam, solemnitate fecit, atque sex circiter mille fidelibus, qui ad Maximum Templum summa devotione confluxerant, Eucharistiæ Sacramentum administravit. Sepulturam Dominicus accepit in vestibulo Cathedralis, ejusque sepulcrum hisce verbis adhuc existentibus signatum:

Ossa
Dominici Bollani
Episcopi .
M.D.LXXIX.


Deinceps immenso ac nobili Mausoleo ibi extructo hæc Epigraphe insculpta fuit:

Dominico Bollano a Brixiana Prætura
Ad Episcopatum divinitus vocato Pastorali
Munere vigilantissime sanctissimeque perfuncto
Hoc in diem Domini dormitionis monumentum
Positum

Deceſſit anno Domini M.D.LXXIX. Prid. Id. Aug.
Annos natus LXV. Menſes VI. dies II.
Vixit in ſancta vigilia annos XX. Menſes III.
Dies XII.

Ejus deinde nepotes ſequens Epitaphium, in Eccleſia S. Georgii majoris Venetiis, Patrui memoriæ dedicarunt, quod damus ex Veneta Ughelli editione, in qua tamen loco *Idus Auguſti*, legendum *pridie Idus Auguſti*, ut eſt in Brixiano Monumento, cui Romana conſonat Ughelli editio.

Dominico Bolano Senatori graviſſimo Brixianam Præturam difficillimis temporibus gerenti, ab ea ad ejuſdem civitatis Epiſcopatum divinitus vocato, viginti & amplius annis in ejus adminiſtratione ſingulari vigilantia, & ſanctitate, conſumptis, illius oſſibus Brixiæ conditis, hoc in Patria monumentum, quod poſteri ſequantur, Antonius & Vincentius Jacobi fratris filii pie poſuerunt. Deceſſit an. Domini M.D.LXXIX. Id. Auguſt. Annos natus LXV. Menſes VI. dies II. (9).



XCVI.

(9) Ex Chronicis notis, quas iſtæ præſeferunt Inſcriptiones plane liquet, Bollanum in hac ſede Epiſcopali ab anno 1551. uſque ad annum 1577. perpetuo ſediſſe; quamobrem me prorſus fugit, quanam motus auctoritate Boerius Capuccinorum Hiſtoricus poſteris conſignare non timuerit (in Annal. ad ann. 1565. Tom. I. pag. 263.), Bernardum Mediol. nobili Vicecomitum ſanguine natum, Genitoris precibus huic Infulæ promotum, ita repugnaſſe, ut ad eum honorem declinandum, inter Capuccinorum, qui vulgo *Laici* dicuntur, numerum, ſibi confugiendum eſſe duxerit.

XCVI.
JOANNES DELPHINUS EPISCOPUS
ANNO MDLXXIX.

PAucis diebus, postquam Bollanus ereptus est e vivis, Successor ei datur a Rom. Pontifice Gregorio XIII. Joannes Delphinus. Hic Theologicis disciplinis in Patavino Lyceo apprime imbutus, uberemque Legum Ecclesiasticarum & Civilium notitiam assequutus, Romam ire jussus ita vixit, ut omnibus illius Aulæ Proceribus merito esset carissimus: sed inprimis Cardinali Triultio se probavit, qui Gallicam pro Sede Apostolica initurus legationem, Delphini humanitate captus & doctrina, eum secum habere voluit. Paullo post Torcellensem in Venetis æstuariis Ecclesiam a Pio IV. accepit, a quo præterea in jussis habuit, ut Tridentino, quod Pontifici cordi magnopere erat, Concilio interesset. Defuncto Pio IV. haud minus pergratus Pio V. ejus Successori, socius ab eo & adjutor conceditur Cardinali Commendono, Viro ea tempestate celeberrimo, atque ad Imperialem Aulam, pro difficillimis Reipublicæ Christianæ negotiis gerendis, proficiscenti. Ea occasione operam adeo egregiam ecclesiasticis rebus Joannes navavit, ut a Gregorio XIII., qui Pio V. successerat, ad eam Aulam Orator Pontificius eligi meruerit; quo munere septennio perfunctus, in Pannoniæ Bohemiæque Regna, ad procuranda Sedis Apostolicæ negotia, jussus transire, biennium insumpsit. In hisce aliisque hujusmodi muneribus præcipua laus ei tribuitur, quod quavis occasione perinde strenue ac prudenter Catholicæ Fidei puritatem, Romanæque Ecclesiæ auctoritatem propugnarit. Quamobrem ab eodem Pontifice Gregorio XIII. splendidiori hoc Pontificatu condecoratus, Urbem ingressus est die vicesimasecunda mensis Novembr. ejusdem anni MDLXXIX., summa exceptus Civium lætitia & pompa, habitaque laudis Oratione ab Joanne

ne Petro de Curte, Cathedralis Præposito & Canonico, Viro cum sanguinis splendore, tum eloquentiæ gloria præclaro. Anno insequenti VIII. Cal. Martii suscepit in Episcopium Carolum Borromæum honore tanto, quantus proficisci poterat ab egregio Præsule in insignem Cardinalem, in Visorem Apostolicum, in Sanctum Metropolitam (1). Quatuor

(1) Totius lustrationis ordinem & tempora hic brevi repræsentare placet, deprompta ex Visitationis Actis in Cancellaria Episcopali asservatis, & ex epistolis in laudatam S. Caroli Vitam inlatis. VIII. igitur Cal. Martias anni 1580. Brixiam pervenit, triumphalibus arcubus exstructis, regiaque plane pompa susceptus, acceptisque a Delphino Episcopo omnibus hospitalitatis tesseris, ad S. Dominici Fratres in hospitium divertere voluit; primos dies, qui ferme triginta fuere, impendit in collocanda veluti base lustrationis, in cujus initio, cum multa occurrissent in Cleri jure ac disciplina, & etiam in sacrarum Virginum Asceteriis necessario emendanda, timens, ne quid tumultus cieretur, singula dumtaxat adnotavit, de quibus Pontificem fecit certiorem, abstinens interim a Decretis omnibus. Iis velut in antecessum dispositis, ad diem XIV. Martii Mediolanum contendit, ut Sacerdotes inauguraret, sanctiorisque hebdomadæ mysteria suo cum Grege celebraturus. Paschate celebrato, Brixiam iterum petierat, cum ecce ipso adventus die accipit nuntium de læthali morbo Ayamontii Liguriæ Gubernatoris: itaque propero cursu illuc reversus, eo, quo erat viatorio habitu, ægrotantis lectulo tamdiu assedit, donec inter piæ ejus hortamenta expiravit. Justis persolutis, Brixiam versus iterum se in viam dare statuerat, Diœcesim ipse lustraturus; namque septem ex suis Visitatoribus per diversas Diœceseos partes præterita Quadragesima legaverat, quibus id jusserat, ut singula obirent excuterentque, sed res adhuc integras ad se unum rejicerent. Itaque Delphino Episcopo per literas significat, sibi esse statutum, ante Diœcesim hanc lustrare, quam iterum Brixiam se reciperet, totiusque lustrationis seriem ipsi exponit. Exorsus eam est ab Urceis novis, ubi sacram celebravit Synaxim, plebisque Clerum congregavit. Inde Cal. Julii profectus Quintianum quatriduum substitit: Virolas inde perrexit, posteroque die Minervium. Cum triduum ibi fuisset, Pontevico, Prat-Alboino, Canneto, Aquanigra quatriduo lustratis, Asula suscepit tenuitque Apostolicum Virum octiduo, ubi eum recrearunt & plura, depositis inimicitiis, sancita fœdera, & Cleri studium, qui, eo hortatore, recitandi in odeo Horas canonicas ritum amplexus est, nonnullaque alia ad ecclesiasticam disciplinam spectantia ab eodem Clero æquo animo recepta. Quibus expeditis, Castillionem Stiverorum contendit, ubi quinque dies transegit, illectus etiam angelicis moribus juvenis Aloysii Gonzagæ, quem docuit modum utiliter sumendi sacram Eucharistiam, quam suis ipse manibus primo eidem communicavit; illorum tamen Principum hospitio uti nolens, cum solemne illi esset Diœceses lustranti in Ecclesiasticorum ædibus versari. In adjacentes deinde Lacui Benaco oras deflectens, occurrentesque Ecclesias perlustrans, ingressus est die XIV. Julii Salodium, ibique ad VIII. Augusti moram traxit, ex cujus popularium, quos sibi obsequentissimos invenisse gloriabatur, religione, tantum voluptatis percepit, ut mortuo Delphino, officiis suis corroborare non dubitaverit petitionem eorum incolarum, postulantium, ut Episcopali Sede oppidum tam insigne a Summo Pontifice ornaretur. Redux per Vallem Sabinam, deflexit Gardonem Triumpilinorum, cujus incolæ insignes loci morumque asperitate, ut audierunt Carolum concionantem, perfusi lacrymis præteritorum criminum veniam efflagitarunt & æternæ salutis in posterum remedia. Festinato per Vallem Triumpilinorum itinere, Camonicam Vallem ingressus, ex qua revertens Luerum venit, divitem nobilemque locum ad ripam Sebini lacus, biduumque substitit. Post Non. Septembris, a Nostratibus digressus, in suæ sponsæ sinum convolat: ineunte vero Octobri secundam suscipit in Agrum nostrum expeditionem; lustrat Isæum, Colonias, Claras, Rovatumque, ubi tres hebdomadas insumpsit; inde Balneolum, Gaydum, Castenetulum, Gavardum, aliaque loca, Gardonumque iterum divertit, Brixiam postremo ingressus ad ultimam Octobris diem. Hic diu noctuque incubuit, sive in expediendis Diœceseos negotiis, sive in perficienda Urbis visita-

tuor deinde Canonicales Præbendæ proxime vacaturæ, ut Sacerdotales, reliquæ vero quatuor, ut Diaconales forent, accepta a Congregatione Concilii facultate, edixit Decreto edito die VII. Augusti anni MDLXXXI., elapsis vero undecim diebus, annuente Pontifice, supremum Pœnitentiarii munus, per suum Decessorem Bollanum institutum, primumque vacaturum Canonicatum contulit præclaro presbytero Lelio Zecchio, qui Octobris insequentis die XVII. utriusque muneris possessionem iniit. Paullo post (2) SS. Dominatoris, Pauli, Anastasii, & Dominici nostrorum Episcoporum ossa ex Arce, ubi major fama, quam cultus erat, transtulit in Basilicam maximam, suppositis una cum laudato Visore Apostolico Carolo Borromæo humeris, maxima celebritate die solemni commemorationis Cælitum omnium. Idem Decreto edito atque impresso die XII. Septembr. anni sequentis MDLXXXII. cavit, ut in posterum Calendarium nostrum exigeretur ad nuperrimam Gregorii XIII. correctionem. Per ea etiam tempora opem tulit Patribus Societatis Jesu, qui aliquot ante annos in Urbem *missionis* nomine venerant, stabilem ut Collegio consequerentur Sedem in S. Antonii Templo. Interfuit eodem anno Concilio Provinciali VI. per laudatum Metropolitam Mediolani celebrato sexto Idus Maji, ubi non solum sedit primus

 a parte

sitatione; ex qua regressus Mediolanum non est, nisi postridie Id. Decembris. Visitationis Acta hoc anno 1580. peracta, nonnisi anno insequenti 1581. completa fuere, & in ordinem digesta in oppido Gropelli, eodemque anno typis edita, & Brixiam transmissa, teste Oltrocchio loc. cit. Universa hac in Visitatione prope infinitos exantlavit labores læto semper hilarique animo, quippe serventia Religionis studia, quæ in ipsis Visitationis primordiis præsetulerant Brixiani, spem maximam ipsi injecerant uberiores, quam alibi, fructus colligendi, nec eum fefellit concepta spes: Maurocenus enim, Marinus Georgius, & Episcopus Angelus Maria Quirinus vere Eminentissimus fateri non dubitarunt, uberrimam ea hac Caroli lustratione Brixianam Ecclesiam hodierna quoque die utilitatem referre, ut est apud Oltrochium loc. cit. pag. 548. Jam vero generalia hujus Visitationis Decreta typis mandari curavit Carolus ann. 1581. Continet aureus iste libellus disciplinæ Ecclesiasticæ florem, & in Capita divisus, primum Episcopum docet de muneribus suis in Ecclesiæ administratione: agit deinde de ejus foro, Cancellariæ *taxas* indicit singulatim pro caussis, judiciis, aut scriptis quibuscumque: descendit insuper ad erudiendum & formandum Clerum cujuscumque ordinis: præscribit Templorum supellectilem, eorumque cultum: agit præterea de Populo, de Locis piis, de Regularibus, de Monialibus: ultimo alia edocet ad vitam communem, & reliquum regimen spectantia.

(2) Eam translationem uno anno antevertit Ginssanus quarto S. Caroli Vitæ Libro Capite quinto; sed omnino contra indubiam nostrarum tabularum fidem, atque contra ipsas D. Caroli Epistolas relatas ab Oltrochio pagg. 527. & 594., quibus patet, eam translationem peractam fuisse eo anno, quo Carolus in hac Urbe III. Non. Octobris convenit Mariam Augustam, Mediolanum contendentem.

a parte Metropolitæ læva, verum etiam unus fuit ex Judicibus selectis ad cognoscendas rationes absentiæ Episcoporum Suffraganeorum (3). Jurium suæ Ecclesiæ acerrimus vindex Populum Plani Vallis Camuniæ vectigalia ipsi, uti illius Regionis Duci, solvere perfracte negantem, sacris interdixit: quem deinde populum, laudati Visoris eum locum prætereuntis provida cura, submittentem se ad pedes, atque errati pœnitentem, ad veniam admisit. Verum majora iis molientem occupat gravissimus morbus mense Sextili anni MDLXXXIV. Archiepiscopus Mediolanensis sua in Urbe tunc degens triste illud ut intellexit, ipsam diem, quæ Dominica erat, licet in sacris celebrandis officiis insumpsisset, tamen, abrupta mora omni, iter eques carpit, spatioque unius noctis Brixiam advolat: Episcopi ægrotantis cubiculum ingreditur, aptis eum exhortationibus juvat, ultimis Ecclesiæ auxiliis suis ipse manibus corroborat, ultimosque excipit anhelitus. Postridie vero, more institutoque majorum, Defuncti cineribus justa facit, re divina ejus animæ opitulari, funebrique Oratione egregias animi dotes extollere satagit. Decessit itaque Delphinus Cal. Maji eo anno, quo & ipse, paucos post menses, decessit laudatus Archiepiscopus Mediolanensis, quocum ob morum similitudinem conjunctissime vixerat. Super ejus tumulo, in media platea Templi maximi, clara ejus memoria posteris tradita fuit hac inscriptione, in qua res ab eo gestæ fere omnes commemorantur (4):

D. O. M.
Joannes Delphinus Galliis,
Anglia, Germania pro Sede
Apostolica peragratis, &
Legationibus apud Maximilianum II.
& Rodulphum II. Imperatores
Pii V., & Gregorii XIII.
Pontificum Max. nomine,
Summa cum pietate ac prudentia

per-

(3) Ex Actis Ecclesiæ Mediolanensis Par. VIII. pag. 1221. Illud fuit ultimum Concilium Episcoporum per S. Carolum congregatum. De læva parte, qua sedere solent Brixiani Episcopi Synodali Concilio præsentes, vide tertium Dissertationis Proœmialis Caput, & Commentaria in Joannem Flumicellum, & in Federicum Madium pag. 293.

(4) Easdem complexus est laudatus Fontana elegantissimo heroico carmine *Delphinus* vocato, ipsique inscripto Joanni, pag. 5.

perfunctus, a Torcellano Episcopatu,
Cui XVI. annos sanctissime
præfuit, ad Brixiensem
Translatus, miro
Desiderio ubique relicto;
Hic jacet, seque piorum
precibus commendat.
Vixit ann. LVI. mens. I. diem I.
Sedit ann. IIII. mens. VIII.
Obiit Kal. Maji
M.D.LXXXIV.

XCVII.
JO: FRANCISCUS MAUROCENUS EPISCOPUS
ANNO MDLXXXV.

NAtus est Joannes Franciscus Maurocenus anno MDXXXVII. patre Petro Mauroceno, tum ad Turcarum Imperatorem pro Veneta Rep. Baillivo. Eorum, quæ optimum Christianum Equitem decent, nihil in Francisco desiderabatur. Multis fuit pro Patria legationibus functus, in Sabaudiam, Galliam, Hispaniam & Poloniam profectus. Deinde a Gregorio XIII. anno MDLXXXV. die v. Septembris primum designatus, postea a Sixto V. renunciatus populosissimæ hujus Diœceseos Episcopus. Anno MDXC. Brixiam ingrediens, Pontificio apparatu magnaque pompa a Brixianis perquam magnifice susceptus est.

Antequam tamen ad regimen hujus Ecclesiæ migraret, in Galliam ab eodem Pontifice Legatus missus fuit, utpote illius Regni peritissimus, & turbarum, quæ inibi erant, haud ignarus; illud enim in Regnum ante venerat Orator pro Veneta Republica: deinde pro Ecclesia, regnante Henrico III., cui valde acceptus fuerat (1). Ibidem de-

(1) Catharinus Davila Lib. IX. Historiæ.

degens sacro Cardinalium Collegio ab eodem Sixto V. adscriptus est, qui Gallicanorum, quæ tum agitabantur, negotiorum expers esse nolens, cupidusque adjuvandi fœderatas Catholicorum partes adversus Ugonottos, de Legato ad id opportune deligendo cogitavit. Virum scilicet quærebat, qui suo nomine sanctæ illi Statuum unioni interesset in iis, quæ ad Religionem spectarent, & ad Romana jura, nequid ea detrimenti caperent: quique per Cardinalem Borbonicum, perque Ghisæ Ducem, accelerare apud Regem, eorumdem Catholicorum Conventum, sententiamque Regiam eliceret adversus Regem Navarræ Henricum Borbonicum, adversusque Principem Condæum ejusdem sanguinis, prognatos Roberto Comite Claramontensi, secundogenito Ludovici IX. Favebant quippe Hæreticis, ab hisque inprimis stabant: eaque de caussa regnum ad ipsos pervenire nullo modo poterat, ubi Rex decederet, qui nullos habebat filios, in eoque stirps Valesiorum desinebat.

Nesciebat Pontifex, quemnam ad eam dignitatem proveheret, quo & Galliarum Regno, & Religioni, & Apostolicæ Sedi simul consuleretur. Nolebat ex una parte Regem a se alienare, ne is ab Hæreticis staret, ad quos propensus videbatur: ex alia Ghisæ Ducem refugiebat offendere, præcipuum Catholicorum Caput. Hac de re certior factus Rex per Legatum Pisanum, Venetæ Reip. nomine in Galliis residentem, virum mitti a Pontifice cupiebat, memorato Duci minime familiarem. Hinc apud Sanctam Sedem strenue agebat, ut Legatus crearetur Maurocenus Brixiæ Episcopus. Hujus virtutem prudentiamque summam Pontifex compertam habens, ex iis præsertim, quæ pro Venetis ante ille egerat; ipsiusque, ut Veneti Patricii, animum a Galliarum Regno non alienum fore confidens, neque partium, æquum ultra, studiosum (hoc enim Sua Sanctitas cupiebat, nisi sicubi negotia Religionis, & Romanæ Ecclesiæ aliter postularent) eumdem Legatum renunciavit, Regique ac Catholicorum Societati æque gratum fecit. Hujus Societatis Proceres cum de eo certiores per literas fecisset, & erga Legatum bene animare curasset, ii Pontificis literas prælo excusas ediderunt. Quod gravate Rex tulit; nolebat enim, ea de re ad Sociorum Capita sic scriptum esset. Nostrum

ſtrum Præſulem Pontifex inde Cardinalem creavit, quarto nempe anno Pontificatus ſui, die xv. Julii, tituloque Preſbyteri *S. Mariæ in Via* ornavit. Curavit idem Pontifex O. M. ut in Urbe Bleſenſi, ubi generale Galliarum Concilium habendum erat menſe Octobri anni MDLXXXVIII., in Edictum ad Catholicam Unionem juraretur, & Synodus Tridentina admitteretur. Juravit Rex, & ratas habuit Societatis conditiones: ſecus de Synodo Tridentina factum.

Perſiſtebat Cardinalis noſter apud Regem, cum Bernardinus de Mendozza Legatus Hiſpanus, ſecuta Ghiſiorum, Ducis nempe ac Cardinalium fratrum, cæde an. MDLXXXIX., audiens, Regem ab Hugonottis ſtare, Bleſenſi relicta, in Urbem ſeceſſit Pariſienſem. Hinc anceps Cardinalis quid conſilii caperet: Regem inde verebatur deſerere, ne tota ſpes corrueret eum redigendi ad Catholicorum partes: reprehendi aliunde metuebat, ſi minus, quam Legatus Hiſpanus, de Religione ſollicitus videretur. Nihilominus ſtatuit non abſcedere, priuſquam rerum exitum videret. Id fiebat eo conſilio, ut morbo invaleſcenti, quatenus liceret, occurrendi quamlibet occaſionem captaret; interim Romam literis certiorem facere, ac conſulere non deſiſtens. Non omnem tamen ſuſpicionem evadere potuit, ejuſque conſilia itidem ſuſpecta eo uſque habebantur, ut cum eo Pontifex, tamquam reo, non tamquam Legato, agere videretur. At tandem Sanctitas Sua, quod ipſe geſſerat, approbavit, ipſiuſque prudentiam valde commendans, magni conſilii virum eumdem appellavit, Cardinalis candorem, & ſummam in agendo dexteritatem admiratus. Maxime vero laudatum ſpectatumque fuit, quod illum, ſedatis iis turbis, feciſſe conſtabat. Ad ſacram enim rem Cardinalis noſter a Rege per eum, qui a ſecretis erat, vocatus, ſapienter illum increpaſſe dicitur, Cælique ipſi & Eccleſiæ minas intentaſſe, niſi Præſules, in carcerem ab eodem conjectos, liberaret. Tentaverat etiam ſæpe ac valide in ſuas partes trahere Cardinalem Vandomenſem, qui partes Regis ſequebatur, etſi avum ſuum, de ſeque benemeritum, in vinculis detentum videret.

Exierat Aula regia, Pariſioſque reliquerat noſter Maurocenus, ut Ducem Menæ conveniret, unum ex Catholicæ

So-

Societatis principibus, quocum de novis conditionibus ageret. Congressus nihil elicuit a Duce, sui propositi quam tenacissimo. Interim fuit Rex a Summo Pontifice anathemate perculsus, facultasque subditis data, ut ab illo, citra piaculum, descíscere possent. Noluerat enim Rex Præsules dimittere, in his Archiepiscopum Lugdunensem, quamvis ad id Pastor noster suo & Pontificio nomine humanissime hortatus esset. Quo tempore etiam Sabaudiæ Dux miserat in Provinciam Comitem Franciscum Martinengum sui exercitus principem Ductorem, & Dominum Amadæum suum fratrem contra Genevenses, qui defecerant. At cum omnia in pejus ruerent, interim vota Romæ ac Brixiæ, ob reditum nostri Mauroceni, ad Deum effundebantur.

Reversus Romam, exposita Romano Pontifici legatione sua, & ab illo approbata, inde Brixiam in suæ Sponsæ sinum convolavit, Gregemque maxima lætitia affecit. Ingressus est per portam, quam DD. Nazarii & Celsi appellant.

Ipsius adventus magna celebritate susceptus fuit. Orationum, Laudationum & Carminum in virtutes tanti Principis, summi ergo gaudii, quo exultabat Brixiana populosissima Urbs, tanta fuit copia, ut, si vellem singula referre, magni voluminis moles exurgeret.

Interfuit deinde duorum Pontificum creationi, Urbani VII. XVII. Cal. Octobris anno MDXC., & Innocentii IX. Nonis Decembris ejusdem anni. Egressus e Pontificiis Comitiis, impetrataque a novo Summo Hierarcha facultate remeandi ad carissimum, quo nihil ei erat antiquius, Gregem suum, Albertum Valerium celeberrimi illius Cardinalis Augustini ex fratre nepotem, electum Episcopum Famagustæ in regno Cyprico, *Coadjutorem* deinde patrui *cum spe futuræ successionis* ad Ecclesiam Veronensem, initiavit Episcopali charactere anno MDXCI. eximia pompa in nostro hoc Templo maximo, manibus adjutus, juxta sacrorum Canonum sanctiones, duorum Episcoporum, Cremensis nempe & Bergomensis. Hinc Diœcesi castioribus moribus imbuendæ se totum devovit, nullumque non movit lapidem, ut vitia cum publica, tum privata evellerentur, unde regimen ejus numerosissimi quamvis populi sine turbis fuit, nec adver-

versa passus est; in caussa erant, ut ajebat ipse, Statuta sanctionesque sacræ Caroli Cardinalis Borromæi, quæ sibi, ceu canonem ac normam suæ administrationis, proposuerat, tantique a Brixiano populo fiebant, ut iis non parere piaculum duceretur (2). Verum totus Ovilis curæ dum incumbit, iterum Romam a Summo Pontifice Clemente VIII. Innocentii IX. Successore accersitur, tantaque apud novum Pontificem statim valuit auctoritate & gratia, ad ejus ut arbitrium graviora quæque expedirentur negotia; suæ tamen Sponsæ haud oblitus omnem in eo posuit curam, ut quamquam corpore abesset, animi tamen præsentiam experiretur. Vicarios Generales Petrum Matthæum de Corvinis, atque eum, qui Petro successerat, Joannem Insulatum frequentissimis literis admonebat, ut in officium sibi creditum strenue incumberent, seque de singulis Ecclesiæ necessitatibus certiorem facerent. Ut novis Dominicæ vineæ Cultoribus Brixiana Ecclesia ditaretur, dedit operam, ut FF. S. Francisci de Paula locus attribueretur in Urbis suburbio ad Orientem, & FF. Min., vulgo *Capuccini* in Urbem reciperentur. Insuper ob oculos ipsos habens, quantum in expolienda populorum pietate, bonisque fovendis moribus, atque Ecclesiastica disciplina promovenda valerent Clerici Regulares, vulgo *Theatini* novum Ecclesiæ suæ adminiculum paraturus cum Patribus hujus Instituti, qui ob celebranda generalia comitia Romæ coierant, enixe egit, ut quod D. Carolo Borromæo Metropolitæ suo pro Ecclesia Mediolanensi paucos ante annos indulserant, id sibi, ejusdem Archiepiscopi *Suffraganeo*, minime denegarent pro sua. Postulabat, scilicet, ut aliquot ex suis viros mitterent, quorum vitæ probitate, assiduisque laboribus vinea hæc excoleretur, exhibita eisdem vacante D. Georgii Parœcia; at cum Patribus, explorata propius re, suscipiendæ Theatinorum disciplinæ, suisque muneribus exercendis ea sedes minus oportuna visa fuisset, ab incœpto destitit (3). Negotium hoc epistola Romæ scripta die xxix. Aprilis anni MDXCV. nobili, piissi-

moque

(2) Giussanus Lib. VI. cap. 7.

(3) Res narratur ab Josepho Silos Lib. II. Hist. Cler. Regular. pag. 61. ubi tamen fallitur omnino scribens, propositam fuisse Patribus Ecclesiam S. Bartholomæi, quæ Collegio Cleric. Regularium Somaschæ attributa fuit: epistola enim Cardinalis Mauroceni data Romæ celebri viro Alexandro Lucciago, cujus fragmentum mox edetur, de una loquitur S. Georgii Ecclesia.

moque Viro Alexandro Lucciago significavit, cujus ipse consiliis in hujus Ecclesiæ administratione prudenter utebatur; quanta enim pietas & prudentia esset in Lucciago ostendunt res ab eo gestæ, typisque Brixiæ editæ ab Octavio Hermanno familiari suo anno MDCVIII., necnon Acta Apotheoseos, quam hisce, quibus hæc scribimus, diebus, urgent omni conatu nobiles Lucciagorum familiæ; ejus epistolæ fragmentum afferendum existimamus ex Autographo nobis communicato a clarissimis Lucciagis, quos honoris gratique animi caussa nominatos volumus (4).

„ Ill.re Sig.re come Frèllo. Io speravo d'aver guadagnati „ i Padri Theatini, che se ne venissero a Brescia in S. „ Georgio, ma in effetto nel loro Capitolo l'anno ricusato, e se bene anc.a io vado sperando di fare, che la Santità del Pontefice (che s'è con molta prontèza contentato) li possi persuadere, nondim.o io temo anco il contrario, & in tal caso restarei con gran pensiero di quello „ che si potesse fare per provedere a quella cura di S. Georgio, che ess.o nella Città, & avendo li Carcerati sotto „ il suo governo, mi pare che meritarìa persona di qualità, e di bontà maggiore dell'ordinario. però prego V. „ S. a considerare bene sopra di ciò, e vedere qual Soggetto le pareria a proposito per quella Chiesa. Quando Monsignor Barbisone si risolse di lassarla non ci era altro che „ un solo che pretendesse venir al concorso, che è quello „ che serve di Fiscale in Vescovato, del quale sebene io „ non so male alcuno, e che altre volte nell' essamine circa le lettere egli sia stato giudicato idoneo, tuttavia mi „ pare troppo giovene, e poco spirituale. però vorrei di „ meglio, e non so se il Bissone fosse a proposito, o qualche altro, come quel Lana, che serve alle citelle. Mi „ è anco andato per mente il Morsone, perche sperarei d' „ ottenere da S. S.tà, che egli potesse tener la Mansionarìa, „ e la prepositura. Ma temo, che introdurrei cosa di mal' „ esempio, e che tiraria molte male consequentie. In effetto desidero da V. S. il consiglio, & aviso per proveder bene a quella Chiesa, quando non si possano conver-

„ ti-

(4) De hac nobili Familia vide in Mayfredo pag. 203.

„ tire questi Padri Theatini . e questo che le scrivo V. S.
„ lo tenirà secreto appresso di se , e mi avisarà quanto
„ prima il suo parere &c.

„ Faccio fine, e me le raccomando, pregandole dal Sig.^r
„ Iddio col Sig.^r suo Padre, & tutta la Casa ogni contento.
„ Di V. S.

„ a XXIX. d'Aprile MDXCV.

„ Amor.° Frello
„ Il Card. Morosini .

Jam vero cum intellexisset Cardinalis, oblatam Ecclesiam minus *Theatinis* arrisisse, re infecta, suæ Sponsæ desiderio permotus pervicit tandem, ut sibi ejusdem invisendæ a Romano Pontifice fieret potestas. Itaque anno quinto supra millesimum quingentesimum nonagesimum inter obsequia Virorum nobilium, & plausus universi populi Urbem nostram ingreditur, tantum eidem afferens lætitiæ, quantum discessu suo Romanæ Aulæ attulerat tristitiæ. Paullo post Urbis ingressum tria SS. corpora, Theophili nempe, Gaudentii, qui gloriosi Brixiæ Episcopi fuerant, & Sylviæ Virginis, solemni indicta supplicatione, per Urbem detulit, & in Sanctuario Ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ collocata publicæ venerationi exposuit. Anno proxime sequenti annos octo & quinquaginta natus diem obiit supremum die Januarii decimaquarta, hora noctis sexta anno MDXCVI. Morienti adfuit Joannes Baptista Milanus Patritius Venetus e Theatinorum familia ad Bergomates Infulas promotus, qui & justa persolvit, habita funebri Oratione a Marcello Tolosa Cl. Regulari, insigni Divini verbi præcone (5). Interfuerunt Prætores Urbis Joannes Baptista & Theodorus Balbi. Grex mœstissimus in obsequia & laudes se effudit tanti Pastoris desiderio. Fuerat amantissimus pauperum, ad eosque sublevandos quam promptus vivens, tam beneficus moriens; urbanos enim pauperes instituit ex asse hæredes. Religione ac vigilantia insignis, *Justus*, *Gravis*, *Prudens*, *Pius*, *Tempe-*

(5) Edita est eodem anno Brixianis typis Vincentii Sabbii.

peratus & Sanctus, ut Davidis Podavini verbis utamur. Monumentum Brixianis reliquit Numiſma cum Indulgentiis, munus Sixti IV. Pont. Max., quod aſſervatur in Stylobate Sanctæ Crucis, dictæ *D' Oro-fiamma*. Jacent ipſius oſſa in Templo principe exadverſum Aræ SS. Crucis ſplendidiſſime repoſita; elegantem inſcriptionem, quæ vitæ & rerum ab eo præclare geſtarum epilogus eſt, inſculpi juſſit Marinus Georgius ejus frater patruelis, qui eidem in Epiſcopatu ſucceſſit: qua, utpote ab Ughello edita, prætermiſſa, aliam ſubnectimus æque elegantem, quam Auguſtinus & Aloyſius Mauroceni, Franciſci fratres, marmori incidi fecerunt Venetiis in Sacello de jure gentis Maurocenæ, quod ad ſiniſtram exurgit aræ principis Eccleſiæ Monialium S. Crucis de Judaica:

D. O. M.

„ Jo: Franciſco Mauroceno S. R. E. Cardinali, Viro, qui
„ & generis nobilitate, & ſumma in rebus agendis pruden-
„ tia, & eximia in Deum pietate ita claruit, ut omnibus
„ Europæ Principibus gratus in primis, atque acceptus fu-
„ erit, eum vero Reipublicæ Venetæ Bizantii Legatum,
„ Sixtus V. Brixianæ Eccleſiæ præfecit, non multo poſt
„ autem Apoſtolicæ Sedis Nuncium in Galliam miſit, ibi-
„ que recrudeſcentibus illius Regni motibus, inſolita hono-
„ ris prærogativa Cardinalem, & Legatum creavit, quo in
„ munere ſumma fide, & integritate ſe geſſit; propter-
„ ea ſequentium ſummorum Pontificum, præſertimque
„ Clementis VIII. gratia floruit, qui tanti Viri obitum
„ humaniſſime deflevit. Mortuus eſt Brixiæ anno Domini
„ MDXCVI. Ætatis ſuæ LVIII.; ibique, eo ſic jubente, ſe-
„ pultus eſt. Verum Auguſtinus & Aloyſius Mauroceni,
„ ut aliquod ſui in fratris meritum grati animi teſtimo-
„ nium exſtaret, hic, ubi Gentilium ſuorum oſſa condita
„ ſunt, exiguum pro illius promeritis monumentum P. P.

Præclariſſimi hujus Epiſcopi meminit cum laude Jacobus Thuanus Hiſtoriarum ſui temporis Lib. 86. Italice vero vitam conſcripſit Stephanus Coſmus.

XCVIII.

XCVIII.

MARINUS GEORGIUS EPISCOPUS ANNO MDXCVI.

Marinus inde Georgius, defuncti Mauroceni frater patruelis, annos natus VII. & XXX. Successor delectus est a Clemente VIII. die Purificationi B. V. M. sacro illius anni, quo Maurocenus obiit. Hic a teneris annis prima Ecclesiasticæ militiæ tyrocinia posuit Patavii in Episcopio sui avunculi Federici Cornelii S. R. E. Cardinalis, illiusque Urbis Episcopi, qui castos Juvenis mores celeresque in literis profectus admiratus, in præclarum Patavinæ Cathedralis Canonicorum album adscivit. A Sixto deinde V. Abbatia Sanctæ Trinitatis, vulgo *Sancti Vigilii* Veronæ auctus, inter Prælatos utriusque, ut dicitur, *Signaturæ* adlegitur a Clemente VIII., cujus nomine Statariam Legationem apud Magnum Hetruriæ Ducem gerebat, quando Brixianis Infulis promotus fuit. Urbem ingressus possessionem Episcopatus iniit ejusdem anni MDXCVI. mense Decembri die xv. uti est in tabulis mss., quibus ego potius fidendum esse ajo, quam Ughello, qui Marini electionem transtulit in diem quartam Maji. Plurima ad Ecclesiæ sibi creditæ decus & ornamentum augendum, ad pietatis studium in dies promovendum excogitavit & præstitit. Inprimis animo reputans, Cathedralem Rotundam vetustate sua laborare, Civibus auctor fuit, ut nova longe pretiosior & amplior a fundamentis exstrueretur. Cui pientissimo Episcopi consilio Brixianus populus, ad præclara quæque semper paratissimus, habitis die 11. Aprilis anni MDXCIX. comitiis generalibus, obtemperare constituit. Interea, dum ad tanti operis initium necessaria & opportuna parantur, aliis Georgius pietatis operibus promovendis totus incubuit. Primum quippe lapidem posuit in ædificatione Ecclesiæ Sacrarum Virginum, sub strictiori Sanctæ Cla-

ræ viventium regula, unde Capuccinarum nomine appellari solent, summamque earumdem paupertatem propria juvit pecunia. Paullo post Sanctæ Juliæ corpus ex veteri, quæ solo æquanda erat, Ecclesia transtulit in Sacrarium, quo ex loco die XVII. Septembris anno MDC. una cum aliis sacris reliquiis reposuit in novo Templo, opibus Monialium Regii illius Asceterii elegantissime ornato. Jam vero insigni Brixianorum pietate cum vidisset ineunte anno MDCIV. in promptu omnia, quæ necessaria credebantur ad jacienda novæ Cathedralis initia, augustissimum opus IV. Idus Maji faustissime auspicatus est, amplissimo pompæ genere posito primo lapide, in quo duplex hæc insculpta fuit inscriptio: in altera nimirum lapidis facie

D. O. M.
Clemente VIII. Pont. Max.
Marino Grimano Veneto Principe,
Joanne Cornelio Prætore,
Et Hieronymo Capello Præfecto,
Marinus Georgius Episcopus Brix. Dux,
Marchio & Comes,
Vetere Templo Cathedralis
Diruto publico Civit. Decreto,
Novo
In Honorem Assumptæ in Cœlum Virginis,
& Principis Apostolorum
Exædificando
Primum hunc Lapidem solemni ritu consecratum
Posuit
IIII. Idus Maji Anno Domini M.DC.IV.

In altera vero

O me felicem lapidem, cui contigit uni
Fundamenta sacræ prima dedisse Domus!
Immensa positus Templi sub pondere Mole
Dum premor, hoc Ditis pondere tecta premo.
Ut pia Brixiadum longum monumenta per ævum
Exstent, obscurum me latuisse juvat.

Quod

Quod si Templa vorent annorum tempora, nostra
Testabuntur adhuc Templa fuisse nota.

Ut vero ad incœptum opus ferventius prosequendum animos Brixianis adderet, magnam ipse contulit auri vim, qua Sacellum ab Aquilone Orientem versus ædificatum fuit, elegantibus picturis exornatum & signis marmoreis: perpetuo insuper censu in quotidianum sacrum locupletavit.

Etsi in Urbe majestatem Divini cultus, suæque dignitatis ornamenta diligentissime promoveret, nihil tamen in se desiderari passus est in excolendis Diœceseos moribus, atque in tuenda ecclesiastica disciplina. Quam ob rem Cardinalem Federicum Borromæum Sancti Caroli consobrinum exoravit, ut septimam cogeret Provincialem Synodum, qua, ne in deterius laberentur mores, præteritarum Constitutionum observantia urgeretur, & præcipue Oratores universæ Provinciæ nomine ad Summum Pontificem Paulum V. mitterentur solicitatum Caroli Cardinalis sacram Apotheosim. Hæc enim ita scripsit laudato Federico Calendis Octobris anni MDCVIII. (1). *Ecclesia Brixiensis fuit sanctissimi illius viri laboribus ad meliorem disciplinæ statum redacta, ac optimis legibus & decretis communita, quæ ego, cum mihi creditam regionem perlustrarem, quasi sydera perlucentia adhibui, & quasi loco columnæ ignis, quæ Israelitico populo noctu anteibat, comites habui*. Quorum compos votorum quatuor duntaxat post annos factus fuit: anno enim XII. seculi præteriti celebrata fuit optata Synodus, in qua & rei sacræ consultum fuit, & exoraturi Rom. Pontificem pro sacra Apotheosi Caroli Borromæi, Romam missi sunt duo ex Patribus Synodalibus, Carolus nimirum Novariensis Ecclesiæ, & Tullius Casalensis Episcopi: Georgius vero noster præsens omnium maxime eam rem urgere non destitit, suaque subscriptione Statuta omnia munivit. Licet autem principem non obtinuerit eo in Conventu locum; sederat enim, inspecto cujuscumque Episcopi ordinationis tempore, quantum tamen præ ceteris effulserit, testatum voluit Archiepiscopus Metropolita, hisce eum verbis quadam occasione alloquens: *Salve Præsul Illme, cui equidem plurima debeo, & cujus consilium ac prudentiam in*

 rebus

(1) Giussanus Lib. VI. cap. 7.

rebus definiendis, *facile omnium sententiæ ac placitis antepono* (2). Reipsa Marini prudentia singularis ardensque pro Domo Dei zelus Cardinali Federico cum alias innotuerat, tum vero maxime an. MDCIX., quo Translationem Reliquiarum Sancti Calimerii martyr. Mediolani præsens celebriorem reddiderat. Eadem usus est prudentia sedandis anno MDCXXII. Brixiani Cleri tumultibus, unde hoc commendari meruit Pontificis Urbani VIII. oraculo: *Vere sedandis* (3) *turbulentis horum temporum motibus una Marini Georgii virtus*, *ac prudentia sufficiebat*, quod ipse Pontifex epistola Georgio data confirmat his verbis: *agnovimus in Fraternitate tua laudes dignas*, *quæ felicitate florent*, & infra: ..... *Nunc autem gaudemus te in ista statione excubare*, *ut Episcopalem Magistratum haberi velis patrocinium innocentiæ & patrimonium paupertatis*, *coronatus non minus virtutibus*, *quam Infulis*: *quare Georgiæ gentis nominibus faventes voluimus exstare optatum Pontificiæ beneficentiæ documentum*. *Te autem honorifico Apostolicarum literarum testimonio decoramus*, *ut fama tui & patriæ plausu perfruatur virtus Fraternitatis tuæ*. Alia insuper in suæ Diœceseos utilitatem præstitit ipse, sive cum Collegium Virginum Ursulinarum Virolæ Alghisii condidit, æquissimisque regulis munivit (4): sive cum celebrium Urbis Tutelarium sacra Lipsana ex veteri loco in novum præclarissimum mausoleum ad princeps altare Ecclesiæ, eorum nominibus nuncupatæ, VII. Idus Februarii anni MDCXXII. celebravit elevationem: sive cum suorum Antecessorum imagines in Aula majori Episcopii, ut dictum est initio Præfationis, pingi, & insigniora eorumdem gesta undique conquisita Brixianis typis vulgari curavit, sive denique quum coacta Diœcesana Synodo leges tulit omni laude dignas. Senio tandem laboribusque confectus vita functus est an. MDCXXXI. die XXVIII. Aug., ut docet inscriptio. Antonius Bragadenus Cremensis tunc Præsul, deinde S. R. E. Cardinalis funerum solemnia persolvit; laudes funebres celebravit Petrus Basignana S. Georgii Præpositus. Sepultus in Sacello supra commemorato, ejus pecunia constructo, ubi hoc habetur elogium:

Ma-

(2) Ex Oratione funebri ms., quam in Georgii obitu Petrus habuit Basignanus S. Georgii Præpositus.

(3) Ex citata funebri Oratione.

(4) Editæ deinceps fuere Brixiæ anno 1653.

Marino Georgio Brixiæ Episcopo
Viro
Pari nobilitate, ac in Deum pietate
Præstantissimo
Qui Templis magnificentiam
Clero ecclesiasticam Disciplinam
Priscum Diœcesi splendorem
Restituit
Acerrimus Religionis vindex
Pater Pauperum
In conciliandis ad pacem animis industrius
Mente vigil, animo constans
Ingenio præclarus
Heros maximus
Omnibus æque gratiosus ac verecundus,
Patriæ, Principibus, Optimatibus, Clero,
Populo gratissimus
vixit
Virtuti Gloriæ Æternitati
Aetatis annos LXXIII. Episcop. XXXVI.
Obiit anno MDCXXXI. die XXVIII. *Augusti*.
Marinus Georgius
Patruo Dilectissimo
Sui Benemerentissimo
P. (5)



(5) Laudatus Poeta Bergomas Publius Fontana pulchre eum laudavit sub finem Hymni in Poesim ipsi inscriptam pag. 144.

XCIX.
VINCENTIUS JUSTINIANUS EPISCOPUS
ANNO MDCXXXIII.

Digreſſo ad æternam requiem Marino Georgio, duos circiter annos Paſtore viduata jacens, Brixiana Eccleſia gaudio afficitur anno MDCXXXIII. ineunte; quippe Vincentium Juſtinianum ex Senatoria dignitate jam ad Infulas Tarviſinas promotum, Brixianæ Eccleſiæ Urbanus VIII. præficit. Hic Urbem ingreſſus Cal. Februarii ſuſceptus eſt ab omnibus Ordinibus omni officiorum genere, maxime vero ab univerſo Clero, cujus nomine ſalutatus fuit (1) quam officioſiſſime a Georgio Serina Cathedralis Canonico. Inſigni religione erga Deum & Sanctos florenti, contigit ipſi feliciſſima ſors recipiendi ſub ipſum regiminis initium, pretioſiſſimas S. Caroli, recenter in Beatorum album relati, exuvias, partem nimirum haud exiguam præcordiorum, quæ Mediolano huc aſportarunt (2) Brixiani, reponenda in recentiſſima Eccleſia, ſub ejuſdem Sancti invocatione extructa. Hic Synodum ſatis celebrem habuit. S. Laurentii Juſtiniani, cujus erat gentilis, memoriam coluit inſigniter, exemplaque virtutum imitari enixe ſtuduit. Erga Virginem Deiparam ferventiſſimo ardebat amore. Provincia ſibi tradita, a qua nunquam ſe divelli paſſus eſt, diligentiſſime duodecim annis adminiſtrata, deceſſit Idibus Febr. anno MDCXLV. in Patria, quo infirmæ valetudinis cauſſa conceſſerat: tumulatuſque Majorum ſepulcro.

C.

(1) Oratio ea occaſione italico ſermone habita perbrevis quidem, ſed ſucci plena typis ſtatim vulgata fuit, aſſervaturque inter noſtræ hujus Bibliothecæ *Miſcellanea*.

(2) Brixianæ legationis ad Cardinalem Federicum Borromæum, Archipræſulem Mediolanen., atque ſolemnis, ea occaſione, celebratæ ab Epiſcopo Juſtiniano univerſoque Brixiano populo, ſupplicationis hiſtoriam typis Brixianis edidit eodem anno 1633. Octavius Hermannus S. Laurentii Præpoſitus Italico ſermone.

C.

MARCUS MAUROCENUS EPISCOPUS
ANNO MDCXLV.

JUstiniano sufficitur ultimo Julii die prædicti anni Marcus Maurocenus, Episcopus & ipse Tarvisinus, a Pont. Max. Innocentio X. Hic præclariora suorum Prædecessorum exempla novem, quibus huic Ecclesiæ præfuit, annis vestigia sequi feliciter conatus est. Obiit an. MDCLIV. die IV. Octobris, sepultus in Cathedrali ad Sacellum S. Martini hac apposita inscriptione:

Ossa
Marci Mauroceni
Brixiæ Episcopi
Vixit in Episcopatu
annos novem
Mensem unum, dies XIX.
Obiit
IV. Non. Octobr.
M.DC.LIV.



C I.

PETRUS OTTOBONUS EPISCOPUS

ANNO MDCLIV.

PEtrus inde Ottobonus consequutus est. Hic a teneris annis Patavino in Lyceo Musas omnes percoluit: gravioribus inde imbutus disciplinis Romam venit; ubi Joanne Baptista Coccino Veneto usus præceptore animum applicuit ad Jurisprudentiam, in qua ita profecit, ut ab Urbano VIII. relatus inter utriusque *Signaturæ Referendarios*, plurium Ditionis Ecclesiasticæ Urbium creatus Gubernator, eas provincias integritatis & sapientiæ laude gesserit. Inde Torcellana Insula auctus fuit ab eodem Pontifice: anno postea MDCXLII. adlectus inter XII. Viros, qui Romæ juri dicundo præsident, vocanturque *Rotæ Auditores*: quod munus X. circiter annos gessit perinde integerrime ac docte, ut ejus Decisiones typis vulgatæ ostendunt. Ob hæc merita amplissimo Cardinalium Senatui adscriptus fuit die XIX. Februarii an. MDCLII. ab Innocentio X. Post duos annos, VII. nimirum Decembris die anni MDCLIV., renuntiatur Brixianæ Ecclesiæ Pastor, quam X. annis egregie administratam concessit (permittente Summo Hierarcha Alex. VII., a quo & Vangadiciensis factus fuit Abbas) Marino Joanni Georgio. Itaque celebratis Sacramentis Paschalibus, iter ingreditur anno MDCLIV. Romam versus, ubi Summus Pontifex renuntiatur anno MDCLXXXIX. dictus Alexander VIII., nemini ea ætate, ingenii præstantia florenti, creditus fecundus (1). Gratus in veterem Sponsam Apostolicis eam literis, ac magnificis muneribus exornavit. Capitulum Cathedralis ob accepta beneficia hanc ei posuit inscriptionem in veteri Odeo sub B. Virginis Mariæ effigie:

Ale-

(1) *Alexandre VIII. qui étoit un des meilleurs esprits de son siécle &c.* Histoire de l' Academie Royale des Sciences Année MDCCXLI. dans l' Eloge de Mr. le Cardinal de Polignac.

Alexandro VIII.
P. O. M.
Ex Brixiensi
Ad
Romanam Cathedram
Unice Assumpto
Argumentum Obsequii
Monumentum Gloriæ
Canonici P.
M D C X C.

Alterum insuper augustius in cavædio, Seminarii ædes illustrante, marmorea quam ornatissima imposita statua, erigendum curavit Clerus, cujus hic exemplum damus:

Alexandro VIII.
Pontifici vere Maximo:
Patritio Veneto. Familia Otthobono:
Episcopo antea suo.
Clerus Brixianus.
P. C.
Bartholomæo Gradonico
Sedente.



CII.

C I I.

MARINUS JOANNES GEORGIUS EPISCOPUS

ANNO MDCLXIV.

MArino Joanni Georgio, nepoti Georgii supra laudati, eo anno, quo fuit ab Ottobono dimissa, committitur Brixiana Ecclesia, obtenta prius ab Alexandro VII. Pontifice ætatis gratia. Sextum enim duntaxat agebat mensem anni vicesiminoni. Ex Bononiensi, qua tunc fungebatur Vice-legatione, Urbem nostram ingreditur eodem anno magna populi lætitia. Statim enim ipse patrui Prædecessoris vestigia premens pauperum puellarum Cœnobium instituit. Deinde opportunas S. Caroli Instructiones propositas voluit conscientiarum moderatoribus, divinique verbi explanatoribus, quibus Brixiæ editis anno MDCLXXVI. hunc fecit titulum: *Instructiones prædicationis verbi Dei & Confessariorum*. Vulgavit insuper Decreta aliquot, quibus Ecclesiasticæ Disciplinæ consultum iret. Animadversione etiam dignum est Opusculum italicum ipso jubente editum, inscriptum: *Tavole perpetue per sapere in ciascun mese dell' anno l' hore Italiane del dire la Messa, offitio divino, e per l' osservanza del digiuno, & altri precetti ecclesiastici &c.* Ex hisce tabulis desumptam arbitramur, eam tabellam, quæ in nostris apparet Calendariis; easque huic Diœcesi proponere non omisit Emus Episcopus Joannes Baduarius sub finem sacræ Ephemeridis tertio Pontificatus sui anno editæ, idest anno MDCCIX., unde placet describere monitum istud illis præfixum: *Beneficiatorum atque Clericorum omnium, qui ad recitationem divini Officii tenentur, commoditati & pietati consulentes, ut oneri suo bene valeant satisfacere, siquando privata recitatione matutinum, ut moris est, pro sequenti die velint recitare, ne plusquam decet, tempus recitationis pervertere non sine noxa contingat, Tabellam infra subjectam operæ pretium duximus annectere &c.* Obiit die XXIV. Octobris anni

anni MDCLXXVIII. poſt annum Pontificatus XIV. mira pietate ac prudentia adminiſtrati . Sepulturam accepit in nova Cathedrali ante Altare SS. Apollonii & Philaſtrii , quorum corpora eo loci quadriennio ante obitum tranſtulerat . Hæc ad ejus ſepulcrum legitur inſcriptio :

Oſſa
Marini Joannis Georgii Epiſcopi Brixiæ
Vixit annis XXXXV.
In Pontificatu XIV.
Menſibus IIII. Diebus IIII.
Obiit anno M.DC.LXXVIII.
Die XXIV. *Octobris*.

CIII.
BARTHOLOMÆUS GRADONICUS EPISCOPUS
ANNO MDCLXXXII.

DEfuncto Marino Joanne Georgio , Brixianus Grex Paſtore viduatus jacuit annis quatuor , propter ſimultates quaſdam inter Pontificios & Venetos . Cum Bartholomæus Gradonicus e Tarviſina ad hanc translatus Eccleſiam , ingreſſus eſt Urbem die XII. Auguſti anni MDCLXXXII. Etiamnum celebratur a Civibus ejus charitas vere Apoſtolica , & profunda rerum humanarum divinarumque cognitio , quemadmodum & ſingularis erga Clericorum Seminarium , anno MDLXIII. ab Epiſcopo Bollano a fundamentis excitatum , ſolicitudo , cujus exſtant præclara monumenta cum in loci amplificatione ornatuque , tum maxime in erectione Bibliothecæ , quam multis , iiſque ſelectis , libris editis , ſtatuis , picturis inſignibus , necnon codicibus aliquot mſſ. donavit , qui ad ultima duo ſecula pertinent , inter quos eminet Alcoranum Arabice exaratum , decem & octo complectens volumina majoris , ut vocant ,

formæ

formæ ex elegantiſſima pergamena, auro minioque diſtincta. Univerſam Diœceſim ſecundo Præſulatus anno inviſere aggreſſus eſt ſacra perluſtratione, qua completa, celebrem Synodum habuit Diœceſanam diebus IX. X. XI. menſis Maji anno MDCLXXXV., *ut per Decreta & leges, Eccleſiaſticæ diſciplinæ puritas, ſublatis minus obſervantium pravitatibus, ſervaretur*, ejus ſunt verba in encyclica univerſo Clero Brixiano, præmiſſa libro Brixiæ eodem anno edito, qui inſcribitur: *Conſtitutiones ad uſum Cleri Brixiani veteres ſimul & novæ, quas Ill. & Rmus DD. Marinus Georgius Brixiæ Epiſcopus in Synodis a ſe habitis renovavit & condidit.... tum demum ab Illuſt.mo & R.mo D.D. Bartholomæo Gradonico Brixiæ Epiſcopo &c.* Contigit ei propitia ſors ditandi ſuam Eccleſiam novis Evangelici agri Colonis, Clericis nimirum Regularibus, vulgo *Theatinis*. Eorum ingreſſus pluries a Brixianis conquiſitus accidit tandem prima die Decembris anni primi ſupra milleſimum ſexcenteſimum nonageſimum, obtentis ſedibus & Eccleſia, prope Seminarium. Eos ſingulari ope, omnibuſque favoribus proſecutus eſt hic Epiſcopus quoad vixit: moriens novum eorumdem domicilium multa inſtruxit ſupellectili, Eccleſiam vero egregia SS. Redemptoris pictura, & rara mirabilique epiſtola ab ipſomet S. Cajetano conſcripta, argento circumdata, celebriorem reddidit & illuſtriorem. Conſumptus eſt Venetiis IV. Calendas Auguſti anni MDCXCVIII., ejus deinceps Cadaver Brixiam deductum publicæ expoſitum pietati in principe Eccleſia tumulatum fuit in Sacello S. Antonii, inſculpto hoc Epitaphio:

Sepulchrum
Bartholomæi Gradonici Epiſcopi
E Tarviſina
Ad Brixianam Inſulam electi
Cui hoc Sacellum
Magnum ſui refert incrementum
Vixit ann. LXIII.
In Epiſcopatu XVI.
Devixit
Quarto Kal. Auguſti M.DC.IIC.

CIV.

C I V.

MARCUS DELPHINUS EPISCOPUS

ANNO MDCIIC.

EOdem anno ad hujus Ecclesiæ regimen Marcus Delphinus, Avenionensis olim Legatus, deinde apud Christianissimum Galliæ Regem Ludovicum XIV. S. R. E. Orator (1). Anno insequenti sacra purpura ab Innocentio XII. ornatur. Ecclesiæ nostræ inita gubernatione, Diœcesim sacra lustratione invisit, ea completa, cum Synodum Diœcesanam indixisset, gravi morbo correptus obiit VI. Episcopatus anno; tumulatus in veteri Cathedrali ad Altare Corporis Christi hoc elogio condecoratur:

D. O. M.
Hic jacent Ossa
Marci Delphini S. R. E. Cardinalis
Brixiæ Episcopi
Donec ex hoc tumultuario
In digniorem tumulum
transferantur
Obiit V. Augusti Anno MDCCIV.
Annum ipse agens XXXXX.
Ingenti animo & virtutibus Vir
Immortalitate dignissimus.

C V.

(1) Dum in Galliis versaretur, literarum cultor eximius maximam librorum copiam sibi comparavit, quam ultimis tabulis Dionysio fratri Patriarchæ Aquilejensi relictam intulit hic in Bibliothecam propriis sumptibus Utini publico commodo excitatam. Cohibere hoc loco nosmet non possumus, quin Brixianis mulieribus pandamus insigne decus, quod huic Urbi perinde ac Venetiis peperere hoc anno 1699. Elizabeth & Francisca, Sorores ex nobilissima Brixiana familia Covi. Etenim initia dederunt pio Virginum Collegio, quæ sub Seraphicæ Regulæ Disciplina Domino in vitæ austeritate sancte deservientes, Eremitæ Capuccinæ nuncupantur S. Mariæ Gratiarum de Majurbio. Cujus rei notitiam hausimus ex laudato Opere Flaminii Cornelii de Ecclesiis Venetis Par. I. pag. 394. de Ecclesia Torcellana.

C V.

JOANNES BADUARIUS EPISCOPUS
ANNO MDCCVI.

JOannes inde Baduarius anno MDCCVI., dum Veneto fungeretur Patriarchatu, creatur Cardinalis, Brixianæque Ecclesiæ præficitur a Clemente XI. anno MDCCVI. die XVII. Maji. Petita prius Roma, Summoque Hierarchæ habitis coram gratiarum actionibus, novæ Sponsæ luctum sua præsentia suisque virtutibus detersit. Quam enim sive Romæ in privatis publicisque controversiis cognoscendis peritiam, judicandisque integritatem præsetulerat, sive in regendo Veneto Clero solicitudinem patefecerat, majori etiam vi & constantia eam in se desiderari non est passus. Frequens ipse de suggestu, veterum Episcoporum more, sacras habebat conciones tanta spiritualis eloquentiæ dulcedine, ut sæpe Populo lacrymas eliceret. Universam sacra visitatione lustravit Urbem & Diœcesim, ductis una secum administris, Evangelicæ doctrinæ eximiis promulgatoribus & imitatoribus. Pueros, plebejos, pauperes non solum in Ecclesiis, verum etiam in compitis plateisque edocebat Christianæ Fidei rudimenta. Tertio initi Episcopatus anno Bergomum contendit Aloysio Ruzzino Bergomati Pastori extrema pietatis officia morienti præstiturus, eique in osculo Domini mortuo justa persolvit die XVIII. Martii anni MDCCVIII.

Ad fovendam cumulandamque erga Sanctissimum Christi Corpus pietatem, auctor fuit Cl. Regularibus, ut in hac S. Cajetani Ecclesia eam, quæ late diffusa est, excitarent Sodalitatem, *Adorationis perpetuæ* nuncupatam *Sanctissimi Sacramenti*. Igitur opem inprimis ferente Cajetano Maria Magenio Cl. Regulari, quem ultimos cognorat excipientem Ruzzini anhelitus, sibique asciverat Theologum, Divinique verbi præconem, Sodalitatem Baduarius fundavit ea lege

ge

ge devinctam, ut sejunctis attributisque perpetuis horis, nulla hora interdiu noctuque præteriret, quin aliquis e Sodalibus Eucharisticum illud mysterium quotannis adoraret in aliqua Ecclesia, si commode fieri posset, si minus, e propria domo. Prima celebritas acta est in hac Clericorum Regularium Ecclesia die xv. Septembris anni MDCCIX. præsentibus ipsomet Cardinali, universaque Civitate. Diœcesim inde Episcopus lustrare pergens, Magenio, quem laborum socium habere voluit, illud inprimis oneris dedit, ut in unaquaque Parœcia eam Sodalitatem erigi curaret.

Ad tuendam Catholicæ fidei morumque puritatem, a vaferrimis hominibus cuniculis oppugnatam, labores exantlavit prope innumeros incredibili animi ardore prudentiaque singulari; editis in eum finem binis Constitutionibus, altera quidem medio Novembri anni MDCCVII., altera vero die VI. Augusti anni MDCCX. Ut accepit, e conterminis Rhætiarum locis nonnullos libellos, a Jacobo Picinino Calvinianæ Sectæ Ecclesiaste italice conscriptos, clam in vicinas Triumpilinorum Camuniæque Valles injectos esse, omnia quotquot potuit, qua pretio, qua precibus exemplaria collegit, flammisque tradidit: venenumque in iisdem latitans cum publicis concionibus, tum privatis colloquiis aperire minus doctis, omnes vero, ut ab eodem sibi caverent, admonere non prætermisit. Quas ob res non defuere, qui vigilantissimi Pastoris famam sermonibus & epistolis carpere conarentur; adeo verum est, facilius homines vitiis, quam obtrectatoribus carere; quas tamen calumnias testimonio fretus bonæ conscientiæ non solum invicto animo tulit, verum etiam assiduis ad Deum O. M. precibus, crebris jejuniis, cilicio, aliisque macerationibus non sine sanguinis effusione, etsi corpore admodum exili, obtrectatorum animos in se redire coegit. At indefesso labore agrum Dominicum, exemplisque omnium virtutum dum coleret, rediens e Diœcesis visitatione die VII. Maji anni MDCCXIV. incidit in febrim, & novem post dies, regiminis Brixianæ Ecclesiæ anno VIII. oppetiit mortem sanctissimam Congregationibus adscriptus Episcoporum & Regularium, Concilii Tridentini, Ecclesiasticæ immunitatis, & Propagandæ Fidei. Corpus conditum fuit in Sacello S. Antonii novæ Cathedralis, per-

peractis justis exequialibus, rem sacram faciente Petro Priulio Cardinali & Bergomate Episcopo. Tumulum decoravit omnium Ordinum corona, populusque pene innumerus, undique resonantibus pauperum fletibus, in quos prope divina fuerat ejus misericordia, ut palam fecit Camillus Madius Cathedralis Canonicus Theologus in ea, quam, peracta re sacra, habuit de Baduario, laudis Oratione. Nonnulla tunc narrata sunt virtute divina ad ejus intercessionem patrata prodigia. Sequens Epitaphium, quod vivens ipse sibi consecerat, ultimaque voluntate monumento suo apponendum mandaverat, ejus sepulcro inscriptum est:

„ *Ossa*
„ *Joannis Cardinalis Baduarii*
„ *Episcopi*
„ *Expectantia Resurrectionem Mortuorum*.
„ *Orate*
„ *Ut commissorum & omissorum suorum*
„ *Deus misereatur*.
Obiit die XVII. *Mensis Maji*
Anno salutis MDCCXIIII.
Ætatis autem suæ LXVI.

Deinde quatuor post menses, Decreto Septemvirum Civitatis, novæ celebratæ sunt funebres pompæ in Cathedrali Rotunda, magnificentia ac solemnitate tanta, quanta regio quasi Viro poterat convenire: Eas descriptas typis mandavit Franciscus Herculanus post funebre, quod ea occasione ipse dixit, elogium. Marius etiam Guarnacius doctissimus Præsul Curiæ Romanæ perbrevem texuit Baduarii memoriam sua in historia, quam instar Ciaconiani Operis, de Pontificibus & Cardinalibus Romanis nuper vulgavit (1).

C V I.

(1) Tom. II. pag. 54.

C V I.
JO: FRANCISCUS BARBADICUS EPISCOPUS
ANNO MDCCXIV.

JOannes Franciſcus Barbadicus, Venerabilis Gregorii Cardinalis Patavinique Epiſcopi ex fratre nepos, Cardinalis vero Marci Antonii ejuſdem agnominis Epiſcopi Montisfaliſci affinis & agnatus, Reipublicæ muneribus primum addictus in Sapientum Collegium cooptatus, ad Ludovicum poſtea XIV. Galliarum Regem deſignatur Orator. At ipſe caſtioris vitæ deſiderio accenſus, abjectis mundi illecebris clericalem militiam arripuit. Brevi Primicerius renunciatur Eccleſiæ D. Marci, quod munus ita geſſit egregie, ut Innocentius XII. P.R. Eccleſiæ Veronenſi, ob mortem Petri Leonis vacanti, Paſtorem dederit. Eum Epiſcopatum, patruo Gregorio maxime ſibi ad imitandum propoſito, adminiſtravit quindecim, & quod amplius excurrit, annis uſque ad Baduarii Brixiani Epiſcopi obitum: ob quem S. P. Clemens XI. per Cardinalem Auguſtinum Fabronum Brixianas Inſulas ei obtulit, quas tamen ipſe renuit, ægre ferens a ſuo divelli Veronenſi Grege. Summus autem Hierarcha imperio religionis eum deterruit, Brixianumque nominavit Pontificem quinta & viceſima die Auguſti anni ejuſdem, quo Baduarius e vivis exceſſerat. Urbem paullo poſt ingreſſus, quam ſui expectationem in Brixiano Populo excitarat, explevit luculenter: omnium quippe Ordinum ſpiritualem ſalutem ejus cura ac diligentia complexa eſt ſtudio ſummo. Chriſtianæ Catecheſi adeo ſe dedidit, nullum ut prope ſit in Urbe Templum, quod eum Catechiſten non audierit: inopum inſuper muliercularum atque hominum catechiſticam ſcholam inſtituit, in qua miſera illa turba ſtipe etiam allecta, ſalutis æternæ inſtrueretur rudimentis. Maximam Diœceſeos partem diligentiſſime inviſit. Vacationibus autumnalibus ruſticabatur ipſe, & venabatur

non aves, ſed animas, vicos peragrans, coactoque in Templis populo, quæ pertinent ad æternam hominum ſalutem proponebat, exquirebat, explanabat. Suburbanum ad Epiſcopi ruſticationem deſtinatum Palatium quadam cellularum diviſione ampliavit, uſui ut eſſet aptiſſimo illi renovandis hominibus ſacrorum exercitiorum inſtituto, ubi modo ipſe cum Cleri proceribus, modo viri nobiles iis potiſſimum diebus, quibus effrenis tota Urbe furor bacchari ſolet, ſecedere ſolebant ad Numen Divinum orandum exorandumque, qui piiſſimus uſus in aliis etiam Urbis Agrique locis toto ferme anni tempore inſigni animarum fructu viget adhuc augeturque.

Rerum Seminarienſium cura eum maxime tenuit ſolicitum, ibique ſtudiis latinæ eloquentiæ Scholam græcam adjunxit, dato præceptore Panajota illo græco, cujus nomen inter Eruditos haud eſt obſcurum: & quos Clericos in ſpem excellentis literaturæ adoleſcere cognoſcebat, collatis etiam aliquando muneribus, aliquando etiam eccleſiaſticis titulis ad altiorem excitabat virtutem. Optimo Epiſcopatu præclarum inter Cardinales retulit Clemens XI. die XXIX. Novembris anni MDCCXIX., quem non vulgavit niſi die XXX. Septembris anni MDCCXX. (1), qua jam exornatus Dignitate translatus fuit ab Innocentio XIII. anno MDCCXXIII. die XX. Januarii ad Patavinam Eccleſiam.



CVII.

(1) Ea occaſione pulchram habuit Orationem XI. Cal. Julii anni 1721. Franciſcus Svaninus olim Rethoricæ præceptor & Cellaticæ Archipresbyter, qua Seminarii nomine tantam dignitatem noſtro Præſuli latine gratulatus eſt,

CVII.

FORTUNATUS MAUROCENUS EPISCOPUS

ANNO MDCCXXIII.

FOrtunato Mauroceno Monacho Benedictino e Congregatione S. Justinæ, Tarvisinoque tredecim jam ab annis Præsuli, hæc deinde Ecclesia ab Innocentio XIII. regenda committitur. Sed quatuor duntaxat annis Sedem hanc pietate ac sapientia singulari illustravit. Obiit enim VII. Cal. Julii an. MDCCXXVII. Patavii in S. Justinæ Cœnobio, quo recuperandæ valetudinis gratia se receperat. Patres mœstissimi tanti Socii memoriam posteris tradidere hoc Elogio, in Capitulo (ut ajunt) posito.

Fortunato Mauroceno, Francisci
Peloponnesiaci Fratris Filio, qui cum
Relicta Senatoria Dignitate, Monasticam
Vitam plures annos professus esset,
Et Ecclesiam Tarvisinam primum,
Deinde Brixiensem sanctissime
Rexisset, in hoc sibi optatissimo
Cœnobio An. Ætat. LXI. in Domino,
Quem semper unum coluerat, beatissime
Obdormivit,
Peregrinus Abbas, & reliqui
Hujus Familiæ Monachi, ut
Tantam ab illo sibi partam gloriam
Perennarent H. M. P. An. Sal.
MDCCXXVII.

CVIII.

ANGELUS MARIA QUIRINUS EPISCOPUS

ANNO MDCCXXVII.

VEntum eſt ad Epiſcopum Angelum Mariam Quirinum. Huic adhuc viventi perbreve texueramus elogium: vixque priora, ineunte hoc an. MDCCLV., e typis emerſerant noſtri Operis folia, cum ecce ſacro Epiphaniæ die eumdem apoplexi raptum lugere lacrymis inenarrabilibus coacti fuimus. Ubi paullulum deferbuit juſtus dolor noſter, intelleximus, non ſolum inſtituti hactenus ſervati, verum etiam grati animi rationem, locupletiorem a nobis efflagitare de tanto Principe mentionem. Sed cum præclariſſimæ res ejus ita in omnium animis ſermoneque percrebuerint, ut jam immortalitati commendatæ videantur, leviter a nobis eaſdem delibandas eſſe arbitrati ſumus. Itaque nobiliſſimis Patriciis parentibus Paulo Quirino Cæciliaque Juſtiniana Venetiis die xxx. Martii anni MDCLXXX. ortus, rudimenta ſeptennis humaniorum literarum poſuit in Collegio Nobilium S. J. Brixiæ; annos ſeptemdecim natus, illecebris mundi ſpretis, victis poſt acerrimum certamen parentibus, Benedictinæ Familiæ adſcribi voluit, votaque ſolemnia in Florentino Cœnobio emiſit, aſſumpto nomine Angeli Mariæ, cum ſacra initiali unda tinctus illud Hieronymi accepiſſet. Studium impendit addiſcendæ linguæ grecæ & hebraicæ, gravioribuſque diſciplinis; earum ex edito loco docendarum munus ibidem gerens Orationem edidit *De Moſaicæ Hiſtoriæ præſtantia*: mathematicis non neglectis, quaſdam excogitavit, doctiſque Viris propoſuit, in Euclidem animadverſiones.

Augendæ eruditionis cauſſa, longinquas Septembri menſe anno MDCCX. iniit peregrinationes ad diviſos uſque toto orbe Britannos, ſimul doctus celebratus a doctiſſimis, ſimul doctior evadens ex eorum conſuetudine, quam coluit, donec

nec vixit, literarum commercio. Quadriennii spatio in illis insumpto, celebriora Benedictinorum in Italia adiit Tabularia, ut collecta inde veterum monumentorum supellectili, Opus aggrederetur a comitiis generalibus Congregationis Casinensis sibi impositum, monasticam conscribendi Italiæ historiam. Eam per Cœnobia dispertitam, instar Monastici Anglicani Joannis Marshami sibi fore contexendam in Dissertatione ostendit *De Monastica Italiæ Historia conscribenda*, quam Clementi XI. nuncupatam, totius Operis veluti vestibulum vulgavit; paullo post manum admovit *Farfensium Rerum* Commentario, quem tamen temporis acerbitas, vix uno aut altero folio typis consignato, remorata est (1). In id Operis dum Romæ incumberet, Congregationibus addictus fuit Indicis, Sacrorum Rituum, inque numerum delectus paucorum, eorumque doctissimorum Virorum, quibus sacros corrigendi Græcorum libros cura fuit commissa. Congregationum muneribus satisfacere studens, tulit censuram in Hurrei gallicam interpretationem novi Testamenti, omnium calculis laudatam, Ecclesiæque Græcæ Officiorum cum mss. collatorum editionem, instar Ven. Cardinalis Thomasii, suscepit: Innocentio XIII., qui anno MDCCXXI. successerat Clementi XI., Quadragesimale obtulit Officium Diatribis illustratum, Romanisque typis editum: quod Opus Antonio de Simeonibus Congregationis *Secretario* cum minus probaretur, tantum contendit, ut Congregatio ipsa, ne susceptum prosequi Opus Quirino liceret, suam interposuerit auctoritatem. Coactus manum e tabula hac removere, in Patriam anno MDCCXXII. se contulit, ubi otii impatiens Vitam jam vulgatam S. Benedicti græco-latinam, aliquot auctam monumentis, publici juris fecit anno sequenti. Eodem ob summam græcanicarum rerum peritiam ab eodem Pontifice donatur Corcyrensi Insula, quam singulari gerens virtute, conciliatoque sibi in magnum Romanæ Ecclesiæ decus, græcæ gentis amore, librum *De primordiis Corcyræ* conscripsit, typis cusum Lyciensibus, quo se receperat ob declinandos æstivos calores, eumque nuncupavit Summo Pontifici Benedicto XIII., quem Innocentii Successorem anno MDCCXXIV. crearant Cardinales. Romam ex insula

(1) Chronica Rerum Farfensium edita deinceps fuere T. II. P. II. Rerum Ital. p. 285.

Corcyra, ad visitanda Sacra Limina profectus Junio mense anni MDCCXXVI., novi Pontificis, ne de facie quidem sibi cogniti, pene incredibilem expertus est benevolentiam; probus enim & antiqui moris Pontifex in Quirino suspexit perinde splendorem sanguinis, honorumque secularium contemptum, ac ingenii vim, promptaque ad quamcumque rem propositam responsa. Crevit in Pontifice amor, cum ex lectione Enchiridii Græcorum, quod Beneventanis typis vulgatum, ceu novum Pastoralis specimen solicitudinis, Beneventanam Sponsam anno MDCCXXVII. invisenti, Pontifici obtulit eumdem secutus Quirinus: tum ex tabellæ dono, æneis formis cusæ, Pontificis effigiem, libros ab eodem conscriptos, sacras cæremonias peractas, Viros tandem ejusdem agnatos exhibentis, totque res hoc disticho continentis:

Ursini effigiem, libros, & gesta, genusque
En collecta simul parva tabella tenet. (2)

Pontificis ad Urbem properantis assecla Quirinus, e Corcyræa ad Brixianam Ecclesiam ob Mauroceni mortem, transfertur altera Julii die, paucisque interjectis diebus, munere Consultoris S. Officii exornatur, Rubro tandem Pileo a Pontifice condecoratur VI. Cal. Decembris. Brixiam, Sacramenta Paschalia suis cum ovibus peracturus, ingressus est medio Martio anni MDCCXXVIII. Novæ statim Cathedralis, centum jam, & quod amplius excurrit, ab annis, conatu plane regio incœptæ, urgendæ absolutioni animum intendens, tantam auri vim contulit, tantoque studio promovit, ut præter omnium spem, divino cultui splendide aptam reddiderit.

Mortuo Benedicto XIII. Romam remeavit, ut Pontificiis interesset comitiis. A novo Pontifice Clemente XII. Bibliothe-

(2) Cardinalitia auctus dignitate eam auxit tabellam ichnographia Templi Casinensis a Benedicto consecrati, addito hoc disticho:

Quam Pater Anicius quondam fundavit, eadem
Debuit Hic genitus stirpe sacrare Pater.

Hoc loco animadvertimus, falsis omnino rumoribus Franciscum de Brui anonymum auctorem gallico sermone Vitarum Romanorum Pontificum fuisse deceptum, cum T. V. pag. 557. scripsit, vulgatam a Quirino fuisse consecrationis narrationem Ecclesiæ S. Philippi Nerii, aliarumque Pontificis actionum.

thecæ Vaticanæ accepit præfecturam in eam conditionem, ut Romæ perpetuo hærere non cogeretur, sed simul Brixiani Antistitis cura defungi posset. Expectationem Summi Pontificis de collata in se præfectura non solum cumulate implevit, verum etiam superavit donatione selectissimæ librorum suorum supellectilis, in Vaticanam Bibliothecam inferendorum, quos postea, solutis mille Romanis scutis, postliminio revocavit, ut publica Quiriniana ditaretur Bibliotheca. Novam simul aggressus est e mss. Vaticanis codicibus græcis & syriacis S. Ephrem Syri Operum editionem, diligentia usus & eruditione Josephi Simeonii Assemanii, Vaticanæ Bibliothecæ secundi Custodis, & Petri Benedicti Maronitæ S. J.

Quibus feliciter gestis, in suæ Sponsæ amplexus iterum convolavit, cumque pro certo haberet, quemadmodum sine pietate doctrinam non solum esse inutilem, verum etiam, ut plurimum, obesse: ita pietatem sine doctrina non esse magnopere utilem, novis suam Ecclesiam Colonis augere voluit; Presbyteros, qui *Missionis* vocantur, e Cremona adscitos, una cum aliis, qui Brixiæ degebant, sacræ vineæ cultoribus, adhibuit, ut uberiores in dies ex ea fructus perciperet, sacraque utilius lustratione Diœcesim obiret. Illud autem præ ceteris laudandum est illius lustrationis opus, quo piissimum Salesianarum Virginum Asceterium, in oppido Darfensi ante paucos annos, singulari Vallis Camuniæ bono condi cœptum, firmavit, collato annuo proventu centum circiter nummum aureorum, quos Brixiano Episcopo ea pendet regio; quam animi liberalitatem expertæ quoque sunt posterioribus annis *Visitationis* Moniales Salodii, quibus illud concessit Vectigal, quod Brixianis Episcopis ea debet *Riperia*. Ad studia vero literarum fovenda non solum e Florentia & Patavio duos ex Ordine Clericorum Regularium accersivit Viros, quibus Seminariensem tradidit severioribus disciplinis instruendam juventutem, verum etiam manum ipse admovit ad proponenda Brixianis domestica exempla, quibus cum sacra tum profana quovis ævo floruit Brixianorum literatura. Quamobrem, quatuor venerandæ antiquitatis hujus Ecclesiæ Episcoporum, SS. nimirum Gaudentii & Philastrii, B. Ramperti, & Venerabi-

lis Adelmanni aurea ſcripta in unum collecta fuiſſe, eo cultu Pauli Galeardi laboribus ornata, ut parem nulla alia jactare poſſit Italica Eccleſia editionem, Quirini laudibus tribuendum eſt, qui & opportunos ex Gallia Germaniaque codices mſſ. deſcribi curavit, & pecuniam omnem ſuppeditavit, & luculentiſſima epiſtola Clementi XII. volumen nuncupavit. Ut vero ad politiores literas vehementius excolendas Brixianorum animi excitarentur, Opus in lucem emiſit *De Brixiana Literatura renaſcentium literarum ætate*, quo ante eorum oculos proponit præclaros Majorum ſuorum labores, quibus typographica arte vix inventa, in omni ferme politiorum floruerunt ſtudiorum genere. Eodem tempore retractatum & auctum ſecundis curis edidit: *De primordiis Corcyræ* librum.

At curæ iſtæ literariæ quantumvis ita eum oblectarent, ut non ſolum literæ ſecum pernoctare, ruſticari, ſed etiam novo verbo *epiſcopari* dicerentur, ſacræ tamen multo acrius urgebant: cui rei certiſſimo ſunt argumento & Paſtorales Epiſtolæ, & Conciones de loco edito habitæ, & ſolicitæ per Diœceſim ad Paſtoralia munera obeunda curſationes.

Almam quoque Urbem frequens adibat, modo Patriæ negotia perfecturus, modo Vaticanæ Bibliothecæ incrementis conſulturus, modo quatuor Romanarum Baſilicarum, S. nimirum Alexii, S. Marci, S. Gregorii, & S. Praxedis ſplendorem novis ſubſidiis aucturus, quas aggreſſus erat vel exædificandas, vel inſtaurandas, vel ornandas. Quibus tamen itineribus literæ ipſæ ſecum peregrinabantur: aliquot enim habemus politiora Opuſcula, quæ rheda vectus moliebatur, hoſpitia vero ingreſſus conſcribere ſatagebat. Hujuſmodi hoſpitiis, quæ ut plurimum Cœnobitica erant, latis ut exciperetur ulnis, ſuæ fecere liberalitatis fructus, cujus memoriam poſteritati tradunt inſcriptiones, templorum faciebus inſculptæ.

Studiis hiſce modo Brixiæ modo Romæ diſtentus conſilium cepit e tenebris eruendi Franciſci Barbari epiſtolas. Eruditorum vota, Brixiani codices, Brixiana Barbari præfectura, qua ann. MCCCCXXXVIII. Urbem liberaverat dira obſidione Nicolai Picenini, in cauſſa fuere, quamobrem eas Barbari epiſtolas edendas ſuſciperet, quem conſtat lauda-

datum ceu sui seculi Eruditorum facile principem, quem purpurati Apostolicæ Sedis Proceres, quem Summi Pontifices decus ingens existimarunt, columenque Christianæ Reipublicæ. Eam spartam, quam feliciter, conquisitis undique codicibus, adornarit, bina ostendunt volumina, annis 1741., 1743. in lucem prodire jussa. Quibus sub prælo sudantibus novam excogitavit rationem per totum, quam late patet, orbem, ingenii sui fructus disseminandi: Epistolas nempe typis impressas mittere cœpit clarissimis totius Europæ Viris, urbanis salibus aspersas, eruditione refertas, inlatis etiam, qua soluto, qua numeris adstricto sermone, sive suis, sive aliorum Opusculis.

De abdicanda interim Vaticanæ Bibliothecæ præfectura cogitans, Romam versus mense Octobri an. MDCCXXXIX. itineri se dederat; at Pontificem Maximum lecto decumbentem cum invenisset, ea de re omnino siluit, Brixiamque repetiit, ubi nuncium paullo post accepit, Pontificem die VI. Februarii diem supremum obiisse. Romano tamen itinere per bimensem comperendinato, Brixia, festis Paschalibus peractis, discessit Romam versus, quo lento equorum gradu Madio pervenit ineunte, ibique octiduo in S. Marci Palatio substitit; ingressus tandem est *Conclave*, stipatus magna librorum & codicum mss. copia, queis posset iis horis, quas Comitialis actio reliquas ipsi faciebat, in assueto pulvere versari, integrumque composuit, typisque commisit de Pauli II. gestis & vindiciis librum. Præterea dissertationem de priscis hymnorum græcis Auctoribus secundis curis auctam edere meditabatur, si longius protracta fuisset novi Pontificis electio.

Prosper Cardinalis Lambertinus, omnibus virtutibus excultissimus in Petri Cathedram, Benedicti XIV. assumpto nomine, subrogatus, ipso assumptionis momento honorificentissimis verbis Quirinum cohortatus est, ut relictis Brixianis infulis, ob majora S. Sedis commoda Romæ subsistere vellet, posteroque die in suæ existimationis pignus, sacri Cardinalium cœtus, librorum examini delecti, Præfectum renuntiavit. Verum neque Albanensis Ecclesiæ decore, cujus assequendæ facultas tunc ipsi obtigerat, neque ulla alia ratione passus est se abduci a dilectissimo Sponsæ sinu. Quocir-

circa duos post menses, petita a Pontifice venia, in ejusdem amplexus convolavit. Confestim de nova methodo, in examine ac proscriptione librorum, a sacra Indicis Congregatione servanda, consilium per literas Summo Pontifici exposuit, quod maximo sibi usui fuisse, novas pro eadem Congregatione statuenti regulas, asserere Pontifex non dubitavit (3).

Illud insuper Cardinalis Valerii effatum alta mente cum haberet repositum: *Cardinales amplissimo, quem obtinent, loco splendorem addere non mediocrem, si libros scribant populo Dei utiles, quibus hæreses confutentur, nec alia verius ratione probare se posse Romanæ Ecclesiæ filios, & Summi Pontificis fratres*, illud etiam studiorum genus in se desiderari non est passus. Secum itaque ipse reputans, ex rerum divinarum ignorantia pravisque Cleri moribus, ceu ex gemino fonte, Protestantes argumentum elicere, quod Achilleum vocant, unde veterem suorum a Romana Ecclesia secessionem tueantur, illud cepit consilii, ut nonnullorum Romanæ Ecclesiæ Procerum, ea ætate florentium, & mores castissimos & profundam in rebus sacris peritiam in quodam quasi theatro collocaret: eisque exadversum Lutheri eique adhærentium corruptos mores tenuemque Theologicarum quæstionum cognitionem opponeret, istaque comparatione elumbe illud argumentum & nemine impellente concideret, & furtivis nudatum viribus perpetuo jaceret. Divino plane consilio factum est, ut Vaticanos versanti codices nondum editæ Cardinalis Reginaldi Poli, aliorumque ea tempestate in Ecclesia Romana magni nominis Virorum Epistolæ occurrerint, quibus ad utramque eam rem nihil accommodatius eidem obvenire poterat. Primum Tomum in lucem emisit anno MDCCXLIV., spatio deinde decem annorum integram perfecit earum Epistolarum Collectionem in quinque Tomos distributam, quorum postremo ultimam manum jamjam admoventem inopinata prævenit mors. Universum Opus aliis in eam rem facientibus auxit monumentis, munivitque Diatribis, quibus Protestantium responsa, quæ identidem adversus idem Opus edebantur, refellere non omisit tanta argumentorum vi eruditionisque copia, ut non solum a Nostratibus, verum etiam ab ipsis Heterodoxis eximiis laudibus extollatur.

Hac

(3) In Bulla data Romæ apud S. Mariam Majorem anno MDCCLIII. VII. Id. Julii.

Hac percitus *aviditate Ecclesiam Evangelicam convertendi, in specula quasi consistens unum oculum in Italiam, alterum autem in Germaniam, adjacentesque conjiciebat terras, in rebus Protestantium judicandis usus oculis lynceis* (4). Ob eum finem peroptabat quacunque in plaga verissimæ Religioni succurrere, neque aversabatur in ipsum Germaniæ sinum penetrare, neglectis quibuscunque devexæ ætatis viarumque incommodis. Reipsa multas extremis hisce annis peragrarat inferioris Germaniæ Urbes, ubique locorum spargens liberalitatis, doctrinæ, pietatisque monumenta sempiterna. Eo etiam spectabat frequens illud literarum commercium, quod omni charitatis genere cum doctioribus coluit ex Protestantibus. Eo illa regio effusa more pecuniæ copia, quam in ornatum solvit templi; quod Catholici Berolini exstruxere, annuente celeberrimo illo Borussiorum Rege, quocum inierat Quirinus literariam consuetudinem ea spe ductus, ut illum alliceret ad firmandam cumulandamque facinorum suorum gloriam verissimæ Religionis amplexu; quæ pientissima Quirini vota dum suis ornare Rex ille laudibus non omisit, haud sibi fuisse ingrata, satis ostenderat. Eo tandem spectabant opes, quas mirifice impendit sustentandis sacris Missionibus in ditione Rhætica, Hannoverana, Pomerana, Salisburgensi; quarum ipse curarum hunc inter alios tulit fructum, ut & melius audiat apud Protestantes Catholico-Romana Religio, & in Ecclesiæ Cœnobiique sinum unus redierit ex illis, Jordanus nomine, quos errantes ut ad sanctissimæ matris gremium reduceret, non consilio pepercerat, non labori, non sumptibus, non auctoritati.

Externa interim privata & publica dum curaret Religionis negotia, suæ tamen Sponsæ nulla eum ceperat oblivio. Ut rugæ omnis Clericalis Ordo expers foret, peramplam nobilemque domum juxta rusticationis Episcopale palatium ædificandam curavit, ut ibi Ecclesiasticæ disciplinæ rudimentis imbuerentur ad Sacerdotale fastigium assumendi, eorumque anteactam vitam simul agendamque exploraret. Bibliothecam vero in Episcopalis Viridarii fundo eleganter constructam, selectissimis libris refertam, dote locupletatam, ad eruditionis ac pietatis præsidium a fundamentis excitavit, publicæque donavit utilitati.

A ger-

(4) Verba sunt cujusdam in Lipsiensi Universitate Professoris in Epist. edita, citataque in nuncupatione Tom. IV. Epistol. Cardinalis Poli.

A germano fratre Francisco Quirino, Ædium D. Marci Procuratore, hæres fiduciarius eodem tempore institutus, & auctus annuo censu bis mille & amplius aureorum, hunc unum, victu cultuque sibi parcissimus, tulit ex tanta hæreditate fructum, ut & pauperibus largius opitularetur, & sacrorum Ædificiorum constructiones & ornamenta, quæ splendide aggressus erat, splendidius prosequeretur, & in religioso S. Caroli sepulcro, quod magnifice exornandum curabat Puteobonellus Cardinalis Archiepiscopus Mediolanensis optimus, octo cælata signa, quatuor circiter mille argenti unciis constantia, collocari juberet.

At majora in dies molientem, viribus adhuc florentem, sexto Idus Januarias, posteaquam solemni Sacro adfuisset, Vespertinisque interesse horis cogitaret, dum paullulum cubitum ivisset, apoplexiæ ictus invasit. Tristissimo accepto nuncio Episcopium raptim adimus, penetratoque ægroti cubiculo, animadvertentes, exigua in spe eum trahere animam, subsidia omnia, quæ Religio, quæ amor, quæ alia multa in re tam gravi & ancipiti a nobis postulare visa sunt, morienti adhibere non prætermisimus, lacrymis vix cohibitis præ miseratione, quam præter nervorum totius corporis stuporem, augebant externi sensus omnes, totis sentiendi viribus carentes & vacantes, eoque deliquio nec leviter excusso, inter Petri Stephanæ e Servis Mariæ, qui sacras ejus confessiones excipere solebat, nostrosque amplexus, sacro jam delibutus chrismate, ad secundam noctis horam vita functus est magnus Quirinus, annum agens ætatis LXXIV., superque menses IX. diesque XVII., Pontificatus vero Brixiani annum vicesimumoctavum, superque menses sex. Abrupta protinus publica auctoritate spectacula, posteroque mane ubi e publicis turribus de Cardinalis obitu signum intonuit, ubique horror fuit, ubique hominum consternatio. Facta deinde in Aula majori Episcopii facultate visendi cadaveris, Pontificalibus indumentis vestiti, tantus ad eam factus est concursus, ut neque arceri multitudo, neque recipi posset. Quarto ab obitu die inferiæ de more peractæ sunt in veteri Cathedrali, sacrum faciente Bergomensi Episcopo Antonio Redetto; laudis Orationem sane luculentissimam habuit Julius Pontecaralis, Canonicus

Theo-

Theologus Cathedralis. Peractis inferiis, ad explendam ingruentis populi pietatem, inhumatum cadaver relictum fuit, cereis facibus circumdatum. Frequentiores quidem per Urbis vias post Horas præcedentis diei Vespertinas, elatum fuerat, mœstissimum funus ducentibus, quotquot in Urbe sunt, & nonnullis etiam ex Agro, sacris sodalitiis, universo Clero, splendide atratis cereosque gestantibus cunctis Civibus, supremo Civitatis Magistratu, Urbisque Præside Antonio Donato. At populo desiderio Quirini flagranti semel iterumque vidisse parum erat. Sedato itaque populi studio, labente quinto * ab obitu die, compositum fuit cadaver temporario tumulo in ipsius Rotundæ *Subterraneo*, donec novus instrueretur ante principem novæ Cathedralis Aram, curantibus, quos ipse ultimis tabulis deprecatus fuerat, ejusdem Ecclesiæ Canonicis, ubi jam situs est; quam ipse fecit, & incidendam suo sepulcro reliquit, en inscriptio:

„ Hic
„ Requiescunt Ossa
„ Angeli M. Quirini
„ S. R. E. Card. Bibliot.
„ Archiep. Episc. Brix.
Obiit VIII. *Id. Jan. MDCCLV.*
„ Orate pro eo
Congregatio Apostolica
Hæres
P.
Ex Testamento.

Inferiarum splendorem auxerunt deinde quotquot ferme in Urbe sunt, inque tota Diœcesi, templa & sodalitates. Franciscus Rota præclarissimus Casinensis Abbas, SS. Faustini & Jovitæ Monasterii Præses, sui erga Quirinum grati animi monumentum omnium primus testatum fecit parentalibus pompis, quas altera ab obitu die celebrari curavit, habita a Federico Sanvitalio satis apta, omniumque laudibus accepta, funebri Oratione. Nec segnior fuit Angelus Maria Piccoli alterius Benedictini Cœnobii Cl. Abbas; die namque primo Februarii splendide parentavit, lugubremque au-

* Lin. 36. proximæ paginæ 412. non Quarto legendum, sed Quinto.

auxere pompam quatuor ex insigni Lateranensium Canonicorum S. Aphræ Monasterio Abbates, quorum singuli Pontificalibus induti, ad quatuor tumuli angulos dispositi exequialia peregerunt, quæ funebri completa sunt erudita plane Oratione Gaudentii e Brixia (5). Sed Septemviri, qui primarium constituunt Civitatis Magistratum, splendidissima totius nomine Civitatis tanto Benefactori exhibuere die XXIV. Januarii in nova Cathedrali justa funebria, quæ splendidiora reddita sunt eloquentissimi Comitis de Durantibus, qui unus erat ex Septemviris, laudis Oratione.

Verum hujusmodi luctus & miserationis argumenta Brixianæ Diœceseos limites non continuerunt, sed dissitæ etiam provinciæ, remotæque regiones in tristitiæ societatem venere; tanti quippe Cardinalis jactura ad omnes spectare visa est, neque unis Brixianis ereptum Quirinum putatum, quem omnibus semper vixisse, exteri omnes cognovere. Non ab una Mediolanensi provincia, non ab una S. Hieremiæ Venetiarum Ecclesia, non ab uno Benedictinorum Ravennatensi Cœnobio splendida sunt ei celebrata funera; sed nullum ferme in universa Italia templum fuit (imo in exteris etiam nationibus, maxime vero in ipsa Berolinensi Catholicorum Ecclesia) in quo ad æternam Quirini nominis commendationem, publicum desideratum sit insigne monumentum.

Apertis testamentariis tabulis, quas ipse an. MDCCXLIX. mense Julio obsignaverat, scriptis Testamenti Curatoribus pietate præclaris Viris, Comitibus Sebastiano de Madiis & Philippino de Æmiliis, Cathedralis Canonicis Seminariique Præsidibus, quo ejus vota semper spectassent, omnibus innotuit; hæredem enim instituit Congregationem Apostolicam Brixianam: legavit (inter alia) supellectilem argenteam omnem *Fabricæ* novæ Cathedralis, reliquam rem domesticam Palatii Brixiæ pauperibus Parœciæ Cathedralis: Palatii D. Marci Romæ pauperibus illius Parœciæ, quemadmodum illam Domus Vangaditiæ pauperibus incolis; Familiaribus aureos circiter bis mille; libros chartasque omnes publicæ Brixianæ Bibliothecæ, selecto ob raram hominis fidem, Aloysio de Advocatis Abbate Canonicorum Lateranensium, ut char-

(5) Typis editas habemus secundam & tertiam ex iis Orationibus, quatque habuere Gaidi Joannes Baptista Zilinus nomine Fraternitatis Assisianæ, Venetiis in S. Hieremiæ Joseph Mazarius, & Ravennæ in Benedictinorum Ecclesia Bartholomæus Carrara.

chartas omnes recenſeret, quaſque minus utiles poſteritati judicaret, flammis abſumeret.

NUMISMATA.

Omnino (6) novem ad perennandam Quirini gloriam cuſa.

I. In parte *adverſa* exhibet Quirini imaginem hermam, *mitella* conte&tam, & ſiniſtrorſum converſam, circumſcripto titulo: ANG. M. S. R. E. BIBL. CARD. QUIRINUS EP. BRIX.

In *averſa* conſpiciuntur tres feminæ ſtantes ac ſtolatæ, virtutes præcipuas Quirini repræſentantes. Media inter has *Religio* dextera tenet exemplar Templi, ſiniſtra crucem eminentem. A dextera apparet *Beneficentia* cornu copiæ effundens, & a ſiniſtra *Scientia*, quæ læva manu librum clauſum geſtat, & ſiniſtro pede firmiter inſiſtit lapidi quadrato. Addita eſt inſcriptio:

PRIMUM QUÆVIS SIBI
POSCIT HONOREM.
Subſcriptus eſt annus MDCCXLVI.

II. In *anteriori* parte eamdem ac I. exprimit formam, eumdemque titulum.

In parte *poſtica* indigitatur poſſeſſio Bibliothecæ tradita primario Urbis Magiſtratui hac Epigraphe:

Bibliotheca
A ſe erecta
Dotataque
Commodo Urb. Brix.
Primario hujus
Magiſtratui
Poſſeſſionem
Contradidit
Anno Jubilæi
M.DCC.L.

III.

(6) Tria præterea, typis edita circumeruntur numiſmata, & a nonnullis commemorantur, quorum unum præla Brixiana, alterum Brixianam Cathedralem, tertium vero Euſtachianum Collegium repræſentat, quæ tamen ſcimus, cuſa non fuiſſe,

III. In *antica* parte eamdem refert ſpeciem, eumdemque titulum.

In *poſtica* vero tanto Principi grata Civitas inſigne Bibliothecæ munus, ingentemque auri vim in Cathedralis conſtructionem collatam, teſtata volens, numum hunc auro, argento, & ære cuſum eidem dicavit hac inſcriptione:

Effigiem
Antiſtitis ſui
Munificentiſſimi
Marmore prius ſculptam
Tam in fronte
Novæ Ædis Cathedr.
Quam in Veſtibulo
Publicæ Bibliothecæ
Locari
Deinde numo iſto
Cælari
Brixiana Civitas
Grata decrevit
Anno Jubil.
MDCCL.

IV. Imitatur faciem Eminentiſſimi Principis eadem, ac reliqui numi, poſitione, literis hiſce circumductis: ANG. M. S. R. E. BIBL. CARD. QUIRINUS EP. BRIXIÆ. In parte altera divinam prope tanti Præſulis in pauperes munificentiam poſteritati tradere voluit Congregatio Apoſtolica hac inſcriptione:

Patris inopum
Ultra exempla
Prædeceſſorum ſuorum
Munificentiſſimi
Effigiem
Quam Marmore ſculptam
In ſacræ Ædis ſuæ atrio
Congregatio Apoſtolica
Brixiana
Poni jam curaverat

Hoc

Hoc etiam numiſmate
Exprimi decrevit
Anno Jubil.
MDCCL.

V. Splendidam Præſulis liberalitatem, Ducatus ſui annonis Saleſianis Darſenſis oppidi Monialibus cedentis, & Novarienſis Cœnobii inſtitutionem perennat.

In eo agnoſcitur ipſa, quæ in reliquis, effigies, iiſdem circumdata literis. *Averſa* pars iſtam continet epigraphen:

Saleſianæ
Moniales
In Valle Camuna
Ex ceſſis ſibi
Ejus Ducatus annonis
Ab Antiſtite ſuo
Anno MDCCXXIX. inſtitutæ
Ad paris regulæ
Cœnobium
In tractu Novarienſi
Inſtituendum
Advocantur
Anno Jubilæi
MDCCL.

VI. Præfert eamdem omnino figuram, ipſumque titulum. Cum ſtatuam Benedicti XIII. in Templi Alexiani atrio loco ſuæ poni juſſiſſet Quirinus, grati animi ſui erga tantum Pontificem cauſſa, hujus modeſtiæ teſtimonium edere voluere Hieronymiani numiſmate hac inſcriptione ſignato:

Statuæ honorem
Sibi Romæ decretum
Grati animi cauſa
A Monachis Hieronymianis
Sub porticu templi S. AlexI locandæ
Ang. Mar. Card. Quirinus
Suæ erga Sanctiſſimum

BENEDICTUM XIII.
Pietatis trophæum
Esse voluit
Anno Dom. MDCCLII.

VII. Oculis ſubjicit caput, & ſumma pectoris ejuſdem Quirini, qui octo argenteis ſignis, S. Caroli præcipuas virtutes referentibus, ejuſdem Sacellum ornare voluit; in hujus parte *averſa* hæc legitur inſcriptio :

Virtutum.
Quarum. Odore.
Brixianam. Diœceſim.
S. Carolus. Borromeus.
Dum. Viſitatoris. Apoſtolici.
Munus. Obiret. Replevit.
Maximus. Admirator.
Veneratorque.
A. M. Card. Quirinus. Brix. Ep.
Octo. Argentea. ſigna.
Earundem. ſymbola.
Ad. Divi. Illius.
Sacellum. ornandum.
Ære. ſuo. conflari.
Curavit.
Anno. D. MDCCLIII.

VIII. Numiſmate Romæ cuſo Emus & Rmus Card. Orſini, Benedicti XIII. ex fratre nepos inſignem Quirini modeſtiam commendat, decretam ſibi ſtatuam recuſantis, illamque Benedicti XIII. poni curantis. Excuſus eſt ſpirans & verus vultus Card. Quirini, circumſcripto titulo: ANG. M. S. R. E. BIBL. CARD. QUIRINUS EP. BRIXIÆ. In parte *poſtica* erecta ſtat Benedicti XIII. ſtatua cum inſcriptione ad pedes: BENEDICTUS XIII. circa oram Numiſmatis: *Statuam. Sibi. Dec. Pont. Bene. De. Se. Merito. P. C.*

IX. Repræſentat in *adverſa* parte externam templi Berolinenſis faciem, quod (præter collatam multam auri copiam) pulcherrimis marmoreis ſtatuis Quirinus ornavit, quarum altera

tera B. Mariam Magdalenam exhibet: altera vero D. N. J. C. post resurrectionem suam olitoris in speciem eidem apparentem, his circumductis verbis: *Eccles. Catholicor. Berolin.* Qui vero ipsi Templo, æneis auratisque constans literis, præfixus est titulus, *aversæ* numi parti inditus hic est:

Friderici
Regis
Clementia
Monumentum
S. Hedvvigi
Sacrum
Ang. Mar. Cardin.
Suo ære
Perfecit

CATALOGUS OPERUM. (7)

De Mosaicæ Historiæ præstantia Oratio, habita Florentiæ in Abbatia Monachorum Casinensium, pro auspicandis ibidem ad Hebraicæ veritatis fontes Sacrarum Literarum studiis. *Cæsenæ* MDCCV. 4.

De Monastica Italiæ Historia conscribenda, Oratio cum Notis. *Romæ per Antonium de Rubeis* MDCCXVII. 8.

Chronicon Farfense, cui paullo post Orationem de Monastica Italiæ Historia conscribenda, manum admovit. *Ex Lib. I. Part. II. Commentar.*

Vetus Officium Quadragesimale Græciæ Orthodoxæ recognitum & castigatum ad fidem præstantissimi Codicis Barberini in Latinum sermonem conversum. *Romæ per Galeatium Chracas* MDCCXXI. 4.

Diatribæ ad priorem partem Veteris Officii Quadragesimalis Græciæ Orthodoxæ:

I. De Ecclesiasticorum Officiorum apud Græcos antiquitate.

II. De Hymnis Quadragesimalibus Græcorum, eorumque Auctoribus.

(7) Hunc damus Catalogum eodem ordine iisdemque verbis, quibus vivente adhuc Eminentissimo Auctore, a Brixiano typographo Joanne Maria Rizzardi editus est; additis tamen iis Operibus, quæ in eodem desiderantur.

III. De aliis Canticis Quadragesimalibus Græcorum, eorumque Auctoribus.

IV. De Dominica Publicani & Pharisæi.

V. De Dominica Filii Prodigi.

Romæ per Galeatium Chracas MDCCXXI. 4.

Vita Latino-Græca S. P. Benedicti ex Textu Latino Gregorii M. cum duobus Codicibus mss. Sublacensibus nunc primum comparato, exhibitis etiam variantibus veterum Editionum lectionibus; & Versione Græca Zachariæ Papæ cum Cod. ms. Abbatiæ Florentiæ collata.

Accedunt Veterum Carmina, Sermones, & Homiliæ de S. Benedicto, & Variorum Notæ in eamdem Vitam contractæ, & ad examen revocatæ. *Venetiis per Anton. Bortoli* 1723. 4.

Enchiridion Græcorum, quod de illorum Dogmatibus & Ritibus Romanorum Pontificum Decreta post Schismatis Epocham edita nunc primum in unum collecta complectitur. *Beneventi* MDCCXXVII. *ex Typographia Archiepiscopali* 8.

Primordia Corcyræ post Editionem Lyciensem an. 1725., recognita, & multis partibus adaucta. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* MDCCXXXVIII. 4.

Appendix, Sacra quædam Corcyræ Primordia repræsentans, scilicet, recens initam rationem ab Auctore dum ejus Insulæ Episcopatum gereret pro innocue retinenda, quæ ibi viget, inter Latinos & Græcos in Sacris consuetudine.

Dicta Illustrium Auctorum expensa & emendata in libro, cui titulus: *Primordia Corcyræ*.

Auctores, quorum Dicta expenduntur & emendantur, hi sunt: Harduinus. Exech. Spanhemius. Plauti Interpretes. Marmora. Jo: Alb. Fabricius. Interpres Notit. Græcor. Episcopatuum. Editores prædictæ Notit. Barnesius. Jacobus Gronovius. Cluverius. Berchelius. Cellarius. Lazius. Jos. Scaliger. Petavius. Anna Daceria. Meursius. Dalecampius. Perizonius. Erasmus. Ald. Manutius. Isaacus Nevvtonus. Auctor Indicis Bibliothecæ Coislin. Haym. Emmius. Isaacus Casaubonus. Catrou & Rouille. Montfauconius. Sponius. Bandurius. Galland.

Epigrammata varia in libro, cui titulus: *Corona di Componimenti Poetici di varj Autori Bresciani. Brescia per Gian-Maria Rizzardi* MDCCXXXVIII. 4.

Ani-

Animadversiones in Prop. 21. lib. VII. Elementorum Euclidis, cum nova ejusdem Propositionis Demonstratione. Accedit Demonstrationum Algebricarum Specimen ex Euclidis Exemplari, ad id operis artificiose compacto, depromtum. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* MDCCXXXVIII. 4.

Specimen Brixianæ Literaturæ, quæ in Urbe Brixia, ejusque ditione paullo post Typographiæ incunabula florebat; unde præter Brixiani ingenii gloriam, tam Annalium Typographicorum series, quam Historia literaria temporis illius, illustrantur.

Pars I. Poetas Latinos aureæ & argenteæ ætatis, quos Brixiani Scriptores illustrarunt, complectitur.

Pars II. complectitur Grammatica, Oratoria, Poetica & Philosophica. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* 1739. 4.

Pauli II. Veneti Pont. Max. Vita ex Codice Angelicæ Bibliothecæ, præmissis ipsius Sanctiss. Pontificis Vindiciis adversus Platinam, aliosque obtrectatores.

Accedit Appendix, qua comprobatur, Pauli II. Pontificatus felicitati deberi optimorum Scriptorum Editiones, quæ Romæ primum prodierunt post divinum Typographiæ inventum a Germanis opificibus in eam Urbem advectum, plerisque omnibus earum Editionum seu Præfationibus, seu Epistolis in medium allatis, cum Observationibus ad easdem, rei Typographicæ illustrandæ valde opportunis. *Romæ per Antonium de Rubeis an.* MDCCXLI. 4.

Diatriba Præliminaris ad Franc. Barbari, & aliorum ad ipsum Epistolas, in duas Partes divisa.

I. De Francisci Barbari in Latinis Græcisque literis præstantia, a doctis Viris ejus ætatis magno in pretio habita.

II. De Pacis & Belli artibus, quibus idem Rempublicam domi, forisque administravit. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* MDCCXLI. 4.

Decas I. Epistolarum, quas sub prælo sudante Francisci Barbari Epistolarum Collectione, harum Editor & Illustrator in lucem emisit. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* MDCCXLII. 4.

Epistolæ, quæ in hoc Volumine continentur.

I. Ad Sanctiss. D. N. BENEDICTUM XIV. *Brixiæ die* 19. *Januar.* 1741.

II. Ad eumdem. *Brixiæ die* 23. *Februar.* 1741.

III. Ad Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalem Andream Herculem de Fleury . *Brixiæ die* 23. *Maji* 1741.

IV. Ad Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalem Nereum Corſinum . *Brixiæ die* 24. *Julii* 1741. *Ad cujus calcem* Sylloge Epiſtolarum Apoſtolicarum Clementis PP. XII. de Vaticanæ Bibliothecæ incremento , de nova S. Ephræm Syri Editione, ex ejus Codicibus adornata , atque una ſimul de Paſtoralis ſollicitudinis laudibus . *Item* Ichnographia Aulæ ab eodem Summo Pontifice Vaticanæ Bibliothecæ adjunctæ .

V. Ad Eumdem : *Brixiæ die* 27. *Auguſti* 1741. *Ad cujus calcem* Sermo Italicus habitus in nova Cathedrali Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia die Aſſumptionis B. M. V.

VI. Ad Eumdem . *Brixiæ die* 28. *Septemb.* 1741. *Ad cujus calcem* Oratio de Moſaicæ Hiſtoriæ præſtantia , habita Florentiæ an. 1705. iterum excuſa Veronæ an. 1741.

VII. Ad Illuſtriſs. & Excellentiſs. Dom. Marcum Fuſcarenum Equitem & Procuratorem Divi Marci . *Brixiæ die* 19. *Martii an.* 1742.

VIII. Ad Illuſtriſs. & Excellentiſs. Dom. Joannem Emo Procuratorem D. Marci . *Brixiæ die* 2. *Maji* 1742.

IX. Ad Reverendiſs. Patrem D. Cyprianum Benaglia , Præſidem Generalem Congregationis Caſinenſis , alias S. Juſtinæ de Padua . *Brixiæ die* 14. *Junii* 1742. *Ad cujus calcem* Epiſtola Paſtoralis Italico ſermone ad Clerum , Populumque Brixianum , qua ad gratiarum actiones ſingulari cultu tribuendas Sanctis Brixiæ Patronis Fauſtino & Jovitæ , ob eorum ſingulare tutamen binis documentis recens detectis certo comprobatum , excitantur .

X. Ad Sanctiſs. D. N. BENEDICTUM XIV. *Brixiæ die* 6. *Auguſti* 1742. *Inſeritur in ea Opuſculum , cui titulus :* Monumenta literaturæ Epiſcoporum Venetæ ditionis , qui Franciſci Barbari ætate floruerunt . Quo in Opuſculo Præſules hoc ordine recenſentur .

Petrus Æmilianus Præſul Vicentinus .
Hermolaus Barbarus Præſul Veronenſis .
Petrus Monte Præſul Brixianus .
Polydorus Foſcarus Præſul Bergomenſis .
Fantinus Dandulus Præſul Patavinus .
Dominicus de Dominicis Præſul Torcellanus .

Bapti-

Baptista de Lignamine Præsul Concordiensis.
Jacobus Zeno Præsul Feltrensis & Bellunensis.
Antonius Corrarius Præsul Cenetensis.
Theodorus Lælius Præsul Tarvisinus.
Bartholomæus Rovarella Præsul Adriensis.
S. Laurentius Justinianus Præsul Castellanus.
postea Proto-Patriarcha Venetiarum.
Gregorius Corrarius Patriarcha Venetiarum.
Ludovicus Scarampus Patriarcha Aquilejensis.
Petrus Donatus)
Fantinus Valaresus) Cretenses Archiepiscopi.
Fantinus Dandulus)
Philippus Paruta)
Bartholomæus Zabarella) Spalatini Archiepiscopi.
Laurentius Zane)
Maphæus Valaresus Jaderensis Archiepiscopus.
Fantinus Dandulus) Corcyrenses Archiepiscopi.
Andreas Grittus)
Marcus Condulmerius) Gradenses Patriarchæ.
Dominicus Michael)
Moyses Buffarellus Præsul Polensis.

Hi omnes ab anno 1430. *usque ad an.* 1455. *Episcopales Infulas in Veneta Ditione gesserunt, binis tantum exceptis, nimirum* Gregorio Corrario, *&* Theodoro Lælio, *qui tamen intra illud ipsum intervallum Ecclesiastici gradus honore jam præfulgebant, ex quo hic Tarvisinam, ille Vicentinam primum, deinde Venetam Cathedram conscendit.*

Francisci Barbari, & aliorum ad ipsum Epistolæ ab an. MCCCCXXV. ad an. MCCCCLIII. Nunc primum editæ ex duplici mſ. Codice Brixiano & Vaticano uno.

Accedit ampla earumdem Mantissa ex Forojuliensis Bibliothecæ Guarnerianæ mſſ. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi an.* MDCCXLIII. 4.

Decas II. Epistolarum, desumptis plerumque earum argumentis ex Vaticanæ Bibliothecæ mſſ.

Præmittitur Epistola Jo: Paulo Abbati Bignonio Regii Consilii Decano, ac Regiæ Parisiensis Bibliothecæ jamdiu Summo Præfecto inscripta. *Romæ per Nicolaum & Marcum Palearini an.* MDCCXLIII. 4.

Epistolæ, quæ in hoc Volumine continentur.

I. Ad Doctiſs. & Clariſs. Virum Bernardum Montfauconium, Monachum San-Germanenſis Cœnobii Lutetiæ. *Romæ* IX. *Cal. Januar.* 1741.

II. Ad Reverendiſs. Patrem Præſidem Generalem Congregationis Benedictinæ S. Mauri. *Romæ* VII. *Cal. Febr.* 1742.

III. Ad Doctiſs. & Clariſs. Virum Alexium Symmachum Mazochium, Canonicum Neapolitanum, & Regium Sac. Scripturæ Interpretem. *Romæ* V. *Cal. Octobr.* 1742.

IV. Ad Doctiſs. & Clariſs. Virum Claudium de Boze, perpetuum Secretarium Gallicæ Regiæ Academiæ Inſcriptionum & Bonarum Literarum. *Romæ* VI. *Cal. Novemb.* 1742.

V. Ad Doctiſs. & Clariſs. Virum Alexium Symmachum Mazochium, Canonicum Neapolitanum, & Regium Sacræ Scripturæ Interpretem. *Romæ* XVI. *Cal. Decemb.* 1742.

VI. Ad Reverendiſs. Patrem D. Cyprianum Benaglia, Abbatem & Præſidem Generalem Congr. Benedictino-Caſinenſis. *Romæ Cal. Decemb.* 1742.

VII. Ad Clariſs. & Doctiſs. Virum Apoſtolum Zeno, jampridem Poetam & Hiſtoricum Cæſareum. *Romæ Idibus Decemb.* 1742.

VIII. Ad Doctiſs. & Clariſs. Virum Antonium Franciſcum Gorium, Hiſtoriæ in Athenæo Florentino Profeſſorem. *Romæ die* IX. *Januar.* 1742.

IX. Ad Doctiſs. & Clariſs. Virum Alexium Symmachum Mazochium, Canonicum Neapolitanum, & Regium Sacræ Scripturæ Interpretem. *Romæ Cal. Februar.* 1742.

X. Ad Reverendiſs. Patrem D. Joannem Chryſoſtomum Trombelli, Canonicum Regular. Congregationis Rhenanæ, & SS. Salvatoris Bononiæ Abbatem. *Romæ* VI. *Cal. Mart.* 1742.

Decas III. Epiſtolarum, quas ſub prælo ſudantibus Reginaldi Card. Poli Epiſtolis, harum Editor & Illuſtrator in lucem emiſit. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* MDCCXLIV. 4.

Præmittitur Epiſtola Doctiſs. & Clariſs. Viro Alexio Symmacho Mazochio, Canonico Neapolitano, & Regio Sacræ Scripturæ Interpreti inſcripta. *Brixiæ die* 27. *Aug.* 1744.

Epiſtolæ, quæ in hoc Volumine continentur.

I. Ad Sanctiſs. D. N. BENEDICTUM XIV. *Brixiæ* VII. *Cal. Maji* 1743.

II.

II. Ad Viros Clarissimos, in Regiam Parisiensem Academiam Inscriptionum & Politiorum Literarum adscitos. *Cal. Junii in Villa S. Eustachii* 1743.

III. Ad Reverendiss. Patrem D. Renatum l'Aneau, Superiorem Generalem Congregationis S. Mauri. *Brixiæ Cal. Augusti* 1743. Continetur in hac Epistola ea, quam an. 1721. edidit, Diatriba de Hymnis Quadragesimalibus Græcorum & eorum Auctoribus.

IV. Ad Doctiss. & Clariss. Virum Nicolaum Freretum, perpetuum Secretarium Gallicæ Regiæ Academiæ Inscriptionum & Bonarum Literarum. *Brixiæ* x. *Cal. Septembr.* 1743.

V. Ad Doctiss. & Clariss. Virum Claudium de Boze, Regiæ Parisiensis Academiæ Bonarum Literarum antea Secretarium, nunc Directorem. *Brixiæ* x. *Cal. Januar.* 1743.

VI. Ad Reverendiss. Patrem D. Renatum l'Aneau, Superiorem Generalem Congregationis S. Mauri. *Brixiæ* v. *Cal. Aprilis* 1744.

VII. Ad Reverendiss. Patrem D. Cyprianum Benaglia, Abbatem & Præsidem Generalem Congr. Benedictino-Casinensis. *Brixiæ die* 23. *Jun.* 1744.

VIII. Ad Clariss. & Eruditum Virum Comitem & Balivum Petrum Paulum Marcolinum. *Brixiæ die* 27. *Jun.* 1744.

IX. Ad Reverendiss. Patrem D. Cyprianum Benaglia, Abbatem & Præsidem Generalem Congr. Benedictino-Casinensis. *Brixiæ die* 22. *Jul.* 1744.

X. Ad Clariss. & Eruditum Virum Comitem & Balivum Petrum Paulum Marcolinum. *Brixiæ die* 26. *Aug.* 1744.

Collectio Epistolarum Reginaldi Poli S. R. E. Cardinalis, & aliorum ad ipsum.

Vol. I. Scriptas complectitur ab an. MDXX. ad annum MDXXXVI. Scilicet a primo Regin. Poli Patavium adventu usque ad delatum ei a Paulo III. Cardinalatum. Quibus præmittuntur Animadversiones in Epist. Jo: Georgii Schelhornii, Vita Cardin. Poli, & quædam hujus Scripta atque Diatriba ad easdem Epistolas. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* MDCCXLIV. 4.

Vol. II. Scriptas complectitur an. MDXXXVII. MDXXXVIII. MDXXXIX. Scilicet ab inita Legatione Belgica usque ad desitam Legationem Hispanicam. Quibus præmittuntur Animad-

adversiones in Epist. alteram. Jo: Georg. Schelhornii, Diatriba ac Monumenta quædam præliminaria ad easdem Epistolas. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* MDCCXLV.

Vol. III. Scriptas complectitur annis MDXL. MDXLI. MDXLII. Scilicet ab exitu Legationis Hispanicæ usque ad mortem Card. Contareni. Quibus præmittuntur Apologetica Præfatio bifariam divisa, Diatriba & plura Monumenta ad easdem Epistolas. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* 1748.

Vol. IV. *sub prælo jam sudat*.

Imago optimi sapientissimique Pontificis expressa in Gestis Pauli III. Farnesii ad primos quinque annos ejus Pontificatus spectantibus; quos nimirum exhibent Monumenta in primo & altero Card. Regin. Poli Epistolarum Collectionis Volumine comprehensa. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi an.* MDCCXLV. 4.

Vita del Cardinale Gasparo Contarini scritta da Monsign. Lodovico Beccatello, con alcune aggiunte spettanti alla medesima, indirizzata con Prefazione all' Illmo e Rmo Monsig. Giuseppe di Thun, Vescovo di Gurck &c. *Brescia per Giammaria Rizzardi* MDCCXLVI. 4.

Deca I. di Lettere Italiane già prima separatamente uscite alla luce dal mese di Ottobre dell' anno MDCCXLIV. al mese di Luglio dell' anno MDCCXLVI. *Brescia per Gio: Maria Rizzardi* in 4.

Indirizzata con Prefazione all' Illmo Sig. Canonico Salvino Salvini, Arciconsolo dell' Accademia della Crusca.

Le Lettere, che si contengono in questo Volume sono:

I. Lettera Apologetica scritta al suo Clero e Popolo della Città e Diocesi di Brescia. *Da Roma primo Ottobre* 1744.

II. Sopra lo stesso argomento. *Da Brescia* 25. *Novembre* 1744.

III. Sopra lo stesso argomento. *Da Brescia* 30. *Dicembre* 1744.

IV. Sopra lo stesso argomento. *Da Brescia* 10. *Febbrajo* 1745.

V. Altra. *Da Brescia* 8. *Giugno* 1745.

VI. Al suo Clero e Popolo della Città e Diocesi di Brescia sopra la fondazione della Biblioteca a pubblico benefizio da Sua Eminenza eretta. *Da Brescia* 23. *Dicembre* 1745.

VII.

VII. All' Illmo ed Eccmo Signor Andrea Querini suo Nipote. *Da Brescia* 9. *Marzo* 1746.

VIII. All' Illmo ed Eccmo Signor Almorò Barbaro Provveditor Generale di Palma nuova. *Da Brescia* 4. *Aprile* 1746.

IX. Al Medesimo. *Da Brescia* 4. *Giugno* 1746.

X. All' Illmo ed Eccmo Signor Marco Foscarini Cavaliere e Procuratore di S. Marco. *Da Brescia* 6. *Luglio* 1746.

Lettera all' Illustriss. e Reverendiss. Monsignor Borgia, Arcivescovo di Fermo. *Brescia* 15. *Dicemb.* 1746.

Al Medesimo. *Brescia* 19. *Gennajo* 1747.

Ristretto delle medesime. *Brescia* 2. *Marzo* 1747.

Decas IV. Epistolarum Latinarum a mense Julio MDCCXLV. ad mensem Martium MDCCXLVII. exaratarum. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi*. 4.

Præmittitur Epistola inscripta admodum Reverend. Doctissimisque Benedictinæ Familiæ Patribus in Salisburgensi Universitate Professoribus. *Brixiæ* 17. *Augusti* 1747.

Epistolæ quæ in hoc volumine continentur.

Prima Epistola seu Dissertatio, qua instituitur comparatio inter Brixianam, & Mediolanensem Literaturam renascentium Literarum ætate, ad Virum Clariss. Josephum Antonium Saxium, Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectum. *Brixiæ* IV. *Kal. Aug.* 1745.

II. Ad Viros Clarissimos in Regiam Parisiensem Academiam Inscriptionum, & Politiorum Literarum adscitos. *Brixiæ Kal. Septemb.* 1745.

III. Ad Viros Clarissimos Cortonensis Academiæ Sodales. *Romæ* 18. *Octob.* 1745.

IV. Ad Doctiss. & Clariss. Virum Alexium Symmachum Mazochium, Canonicum Neapolitanum, & Regium Sac. Scripturæ Interpretem. *Romæ* 27. *Octob.* 1745.

V. Ad Reverendos admodum & Doctissimos Patres Soc. Jesu Ephemeridum Trevoltianarum Scriptores. *Brixiæ* 25. *Novemb.* 1745.

VI. Ad Virum Clarissimum Hermannum Samuelem Reimarum in Hamburgensi Lyceo Publ. Profess. *Brixiæ* 23. *Aug.* 1746.

VII. Ad Eundem. *Brixiæ* 14. *Decemb.* 1746.

VIII. Ad Sanctiss. D. N. Benedictum PP. XIV. *Brixiæ* 9. *Febr.* 1747.

IX.

IX. Ad Clarifs. & Eruditum Virum Comitem, & Balivum Petrum Paulum Marcolinum. *E Pago Sajani extremis Bacchanaliorum diebus* 1747.

. X. Ad Eminentifs. & Reverendifs. D. Jofephum Cardinal. Puteobonellum, Archiep. Mediolanen. *Brixiæ* 11. *Martii* 1747.

Decas V. Epiftolarum Latinarum a menfe Aprili 1747. ad menfem Aprilem MDCCXLVIII. exaratarum. *Brixiæ per Joan. Mariam Rizzardi* MDCCXLVIII. 4.

Præmittitur Epiftola Viris Clariffimis, in Regiam Berolinenfem Academiam Scientiarum, & Politiorum Literarum adfcitis infcripta. *Brixiæ* 20. *Aprilis* 1748.

Epiftolæ quæ in hoc volumine continentur.

I. Ad Virum Clariffimum Jo: Rudolphum Kieslingium, in Lyceo Lipfienfi Publ. Profefs. *Brixiæ die* 4. *Apr.* 1747.

II. Ad Illuftrifs. & Reverendifs. Dom. Bernardum de Franchenbergh, Abbatem Monafterii Defertinenfis, & S. R. I. Principem. *Brixiæ die* 26. *Maii* 1747.

III. Ad Catholicum æquumque Lectorem Animadverfiones in Epiftolam Joannis Rudolphi Kieslingii in Lyceo Lipfienfi Publici Profefforis. *Brixiæ die* 22. *Julii* 1747.

IV. Ad Catholicum æquumquæ Lectorem Animadverfiones in Epiftolam Jo: Georgii Schelhornii Memmingenfis Bibliothecarii. *Brixiæ die* 9. *Decemb.* 1747.

V. Ad Virum Clarifs. Jo: Jacobum Breitingerum, Linguæ Græcæ apud Turicenfes Profefforem. *Brixiæ die* 25. *Januar.* 1748.

VI. Ad Virum Clarifs. Jacobum Willelmum Feverlinum, Publicum Goettingenfem Profefforem. *Brixiæ die* xx. *Februar.* MDCCXLVI. Accedunt Pontificiæ Pauli III. Literæ *De modo concionandi*. 1542.

VII. Ad Eminentifs. & Reverendifs. D. Philippum Thomam Card. de Alfatia, Archiepifcopum Mecklinienfem, Belgiique Primatem. *Brixiæ die* VII. *Febr.* MDCCXLVIII. Accedunt quæcunque de Diebus Feftis non imminuendis Italico Idiomate in publicam lucem eduxerat Eminentif. Auctor anno proxime elapfo, nunc in Latinum converfa; fcilicet Epiftola prima, & altera ad D. Borgiam Archiep. Firmianum, Compendium utriufque Epiftolæ; & Excerpta ex Epiftola ad Card. Puteobonellum, Archiep. Mediolanenfem, ex Epiftola ad D. Franchenbergh, Abbatem Difertinenfem, & ex Epiftola altera ad eundem.

VIII.

VIII. Ad Eumdem Epiſtola, ſeu Commentarius in Epiſtolam SS. D. N. Benedicti XIV. De Clericis ad clauſtra Regularium tranſeuntibus non petita Diœceſani Epiſcopi licentia, & benedictione. *Ex Oppido Clararum in Cœnobio S. Bernardini poſtremo Bacchanalium die* 1748.

IX. Ad Virum Clariſſimum Jo: Mathiam Geſnerum, Publicum Goettingenſem Profeſſorem. *Brixiæ die 16. Martii* 1748.

X. Ad Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Engelbertum de Ain Sirgenſtein, Abbatem Monaſterii Campidonenſis, & S. R. I. Principem. *Brixiæ die 9. Aprilis* 1748.

In Libro cui titulus: *Triplex Triumphus Campidonenſis* in auſpicatiſſimo Adventu Emi & Rmi S. R. E. Principis & Card. D. D. Angeli Mariæ Quirini &c. in Abbatiali Benedictione Celſiſſimi ac Reverendiſſimi S. R. I. Principis ac D. D. Engelberti Ducalis Eccleſiæ Campidonenſis Abbatis &c. nec non in Conſecratione ejuſdem Eccleſiæ Apoſtolico privilegio peracta menſe Majo 1748. *ex Ducali Campidonenſi Typographia per Andream Stadler*. 4., exſtat Oratio Eminentiſſimi Cardinalis.

Triumphus Catholicæ veritatis ex Præliminaribus quibuſdam ab Eminentiſs. & Reverendiſs. Principe D. D. Card. Quirino &c. in ſuo ad Campidonam acceſſu ad ſubſcribendum propoſitis docto & celebri Bibliothechario Memmingenſi, & ex hujus ad eam propoſitionem Reſponſo. *Campidoni per Andream Stadler*. 1748. 4.

Decas VI. Epiſtolarum Latinarum a menſe Junio 1748. ad menſem Januar. MDCCXLIX. exaratarum. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi*.

Præmittitur Epiſtola inſcripta Incognitorum Literariorum Auſtriacæ Societati. *Brixiæ die 26. Mar.* 1749.

I. Ad Sereniſſimum Principem Haſſiæ Lantgravium, Auguſtanæ Urbis Epiſcopum. *Brixiæ 12. Jun.* 1748.

Ex eadem Epiſtola: Concors Sententia Romanorum Pontificum Urbani VIII. Succeſſorum de non imminuendo Feſtorum dierum numero, quam idem Urbanus VIII. præhabitis ſuffragiis Cardinalium & Theologorum perpetuo valitura Conſtitutione præſcripſit.

II. Ad Eumdem, Specimen Humanitatis, qua Eruditi quidam Germaniæ Heterodoxi proſequuti ſunt Suevicum iter a D. Cardin. Quirino peractum an. 1748.

III.

III. Ad Viros Clarissimos, quotquot florent in Lyceis Lipsiensi, Goettingensi, Hamburgensi, & Memmingensi, Animadversiones in Judicium, quod de binis jam vulgatis Tomis Collect. Epistolar. Cardin. Regin. Poli proferunt Acta Lipsiensia.

IV. Ad Eminentiss. & Reverendiss. D. Philippum Thomam Card. de Alsatia, Archiepiscopum Mecklinienſem, Belgiique Primatem. *Ex Monasterio S. Quirini Tegernseensi die* 25. *Septemb.* 1748.

V. Ad Eumdem. *Ex Monast. S. Emmerami Ratisbonæ* 5. *Octob.* 1748.

VI. Ad Pios, Doctosque Germanos, Conspectus Synopticus. *Tridenti die* 29. *Octob.* 1748.

VII. Ad Sanctiss. D. N. Benedictum PP. XIV. *Brixiæ die* 28. *Novemb.* 1748.

VIII. Ad Clarissimum Virum Jacobum Willelmum Feverlinum, Publ. Goettingensem Professorem. *Brixiæ die* 11. *Decemb.* 1748.

IX. Ad Clarissimum Virum Samuelem Formejum, Regiæ Scientiarum, ac Literarum Academiæ Borussicæ Secretarium perpetuum. *Brixiæ die* 30. *Decembr.* 1748.

X. Ad Sanctissimum D. N. Benedictum PP. XIV. *Brixiæ die* 7. *Januar.* 1749.

La Moltiplicità de' Giorni Festivi, che oggidì si osservano di precetto autorizzata da tutti i Sommi Pontefici di ducento e venticinque anni in quà, cioè da Clemente VII. a Benedetto XIV. o con Decreti da loro pubblicati, o con la Pratica da' medesimi mantenuta, o finalmente con gl' Indulti concessi in questi ultimi tempi. Lettera agli Illmi e Rmi Vescovi d' Italia. *Brescia* 14. *Agosto* 1748. in 4.

Commentarius Historicus de rebus pertinentibus ad Ang. Mar. Quirinum S. R. E. Cardinalem.

Pars I. in duos Libros divisa. *Brixiæ per Joannem-Mariam Rizzardi* MDCCXLIX. in 8.

Partis II. Lib. I. *Brixiæ per eumdem* 1749. in 8.

Partis II. Lib. II. *Brixiæ per eumdem* 1749. in 8.

Appendix ad Lib. I. Part. II. Commentariorum de rebus Card. A. M. Quirini, qua recitantur Responsa seu Consilia præstantium Medicinæ Doctorum de Morbo, qui eumdem Cardinalem per quinque & amplius menses lectulo affixum detinuit:

detinuit. *Brixiæ per Jo: Mar. Rizzardi* 1749. in 8.

De vinculo, quo adſtringuntur Epiſcopi ad defendenda Eccleſiarum ſuarum jura. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* MDCCL. in 4.

Injuſtæ Seceſſionis ab Eccleſiæ Romanæ ſinu jam damnati in Epiſtolis dogmaticis A. M. Card. Quirini S. R. Sedis Bibliothecarii, Indiciſque Librorum Vetitorum Præfecti, horum temporum Sectarii Lutherani, præſertim nunc ejuſdem Cardinalis cura edito earum Epiſtolarum delectu ad Ovile Chriſti revocantur excurrente Anno Jubilæi per SS. D. N. Benedictum XIV. celebrati. Præmittitur Confutatio ſceleſtiſſimi Libelli adverſus ejuſdem Jubilæi ſanctitatem Germanica lingua nuperrime evulgati. *Romæ per Antonium de Rubeis* MDCCL. in 4.

Deca Seconda di Lettere Italiane, già prima ſeparatamente uſcite alla luce dal meſe di Settembre MDCCXLVI. al meſe di Gennajo MDCCLI. *In Breſcia per Gian Maria Rizzardi* in 4.

Le Lettere, che formano queſto volume ſono:

I. Al Reverendiſs. P. D. Gian-Griſoſtomo Trombelli, Canonico Regolare, e Abate di S. Salvatore in Bologna. *Breſcia* 17. *Settemb.* 1746.

II. All' Illm̃o e Rm̃o Monſig. Bernardo di Franchenbergh, Abate del Monaſtero di Diſentis, e Principe del S. R. I. *Breſcia* 12. *Luglio* 1747.

III. Al Chiariſs. Sig. Canonico Aleſſio Symmaco Mazochi, Profeſſore di Sagre Lettere nell' Univerſità di Napoli. *Breſcia* 22. *Agoſto* 1747.

IV. Al Nobiliſſimo Sig. Marcheſe Carlo Rinuccini, Conſigliere di Stato &c. alla Corte di Toſcana. *Breſcia* 24. *Agoſto* 1747.

V. All' Illuſtriſs. e Reverendiſs. Monſig. Bernardo di Franchenbergh, Abate del Monaſtero de Diſentis, e Principe del S. R. I. *Breſcia* 21. *Ottobre* 1747.

VI. All' Eminentiſſimo e Reverendiſs. Sig. Filippo Tommaſo Cardinale d' Alſazia, Arciveſcovo di Malines, e Primate del Belgio. *Dal Monaſtero di Marienbergh* 29. *Aprile* 1748.

VII. All' Illuſtriſſimo Sig. Conte, e Balì Pietro Paolo Marcolini. *Roma* 10. *Settembre* 1750.

VIII. Al Reverendiſſimo Padre D. Girolamo Feijo, Religioſo Benedettino nel Monaſtero di Oviedo in Spagna. *Roma* 30. *Settembre* 1750.

IX. All' Illm̃o e Rm̃o Monſig. Gio: Batiſta Abate del Monaſtero

ftero di S. Emeramo di Ratisbona, e Principe del S. R. I. *Roma* 19. *Dicembre* 1750.

X. Altra al Medefimo. *Roma* 23. *Gennajo* 1751.

Decas VII. Epiftolarum Latinarum a Menfe Februario MDCCXLIX. ad Menfem Junium MDCCLI. *Brixiæ per Joannem-Mariam Rizzardi* in 4.

Epiftolæ, quæ in hoc Volumine continentur.

I. Ad Eminentifs. & Reverendifs. D. S. R. E. Cardinalem Sigifmundum de Kollonitz, Archiepifcopum Viennenfem. *Brixiæ die* 23. *Februarii* 1749. Accedit Opufculum Card. Auguftini Valerii ad Nicolaum Tomifcum Polonum, *Quatenus cum iis, qui a Sanctæ Matris Ecclefiæ finu recefferunt, fit verfandum*, nunc primum ex MS. Veronen. editum.

II. Ad Illuftrifs. & Reverendifs. Præfulem Jofephum Andream Comitem Zalufchium, fupremum Regni Poloniæ Referendarium. *Brixiæ die* 6. *Martii* 1749.

III. Ad Sanctiffimum D. N. Benedictum PP. XIV. *Brixiæ die* 23. *Aprilis* 1749. Accedit Opufculum Card. Auguftini Valerii ad Federicum Card. Borromæum Archiepifcopum Mediolanenfem, *De paterna Caritate Clementis VIII. Summi Pontificis erga Ampliffimum Regnum Galliæ*, nunc primum editum e MS. Biblioth. Ambrofianæ.

IV. Ad Clariffimum Virum P. Hieronymum Lagomarfinum Societ. Jefu. *Brixiæ die* 30. *Augufti* 1749.

V. Ad Virum Clariffimum Samuelem Formejum, Regiæ Scientiarum, ac Literarum Academiæ Boruffica Secretarium perpetuum. *Brixiæ die* 18. *Septembris* 1749.

VI. Ad Virum Clariffimum Fridericum Ott. Menckenium, Confiliarium Aulicum Regis Poloniæ, & illuftrem Senatorem. *Brixiæ die* 3. *Decembris* 1749.

VII. Ad Virum Clariffimum Janum Rudolphum Ifellium, Jurifconfultum Bafileenfem. *Romæ die* 25. *Junii* 1750.

VIII. Ad Virum Clariffimum Fridericum Ott. Menckenium, Confiliarium Aulicum Regis Poloniæ, & Illuftrem Senatorem. *Romæ Idib. Julii an.* 1750.

IX. Ad Reverendifs. & Doctifs. Patrem D. Joannem Chryfoftomum Trombelli, SS. Salvatoris Bononiæ Abbatem. *Romæ die* 17. *Augufti* 1750.

X. Ad Virum Clarifs. Georgium Guillelmum Kirchmajerum, Con-

Consiliarium Regium, & Profess. publ. in Universitate Vittembergensi. *Brixiæ die 7. Junii* 1751.

La I. e III. Epistola della suddetta settima Deca, essendo state tradotte dal Latino in Italiano da un dotto Cittadino Bresciano, e dedicate al Nobilissimo Sig. Conte e Cavalier Rutilio Calini, si trovano perciò ambidue unite in un Libro intitolato: *Due Lettere dell' Emo e Rmo Sig. Cardinale* A. M. Querini *insieme con le due Operette dal medesimo la prima volta pubblicate*, *di* Agostino Valiero *Cardinale e Vescovo di Verona*, *tradotte dal Latino*. *In Brescia presso Jacopo Turlino* 1749. *in* 4.

Lettre au R. P. Valois de la Comp. de Jesus, Profess. d'Hydrographie, & Directeur de l' Académie Royale de la Rochelle, *in libro*, *cui præponitur* Discours sur les Biblioteques publiques prononcè dans l' Acad. Royale de la Rochelle par le R. P. Valois &c. *A Bresce* 1751. *chez Jean-Marie Rizzardi* 8.

Excerpta quædam ex Libro Cardinalis Gabrielis Paleoti Archiepiscopi Bononiensis *De Consultationibus Cardinalium*, quæ præmittuntur Editioni ejusdem Operis, Brixianis typis adornandæ juxta exemplar editum a Typographia Apostolica Vaticana an. 1592. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* MDCCLI. 4.

Sermoni (8) sopra la Fabbrica del Nuovo Duomo, pubblicati per Decreto degl' Illustrissimi Sig. Deputati alla detta Fabbrica: cioè

Sermone detto da S. Em. nel Nuovo Duomo *inter Missarum solemnia* il giorno di Pasqua di Risurrezione l' anno 1737. in 4.

Altro come sopra l' anno 1739. in 4.

Altro detto il giorno della Solennità dell' Assunzione di M. V. l' anno 1741. in 4.

Raccolta di Lettere Pastorali in più occasioni dall' incessante suo zelo dirette al Clero e Popolo della Città e Diocesi di Brescia sopra tutto cio, che appartiene al peso del Pastoral Ministero, e benefizio del suo Gregge.

(8) Sermones hic recensiti pluresque *Pastorales* Epistolæ collectæ sunt Volumine edito Brixiæ typis Joannis Mariæ Rizzardi anno MDCCXLVI. cui titulus: *Cure Sagre e Letterarie dell' Eminentissimo e Reverendissimo Sig. Cardin. Angelo Maria Quirini Vescovo di Brescia*, *rendute palesi nella presente Raccolta pubblicata dall' Abate D. Antonio Sambuca*.

Di più, sopra l' intelligenza del Breve Apostolico concernente gli Oratorj privati, e sopra l' amministrazione dell' Eucaristia da farsi più tosto *intra*, che *post Missam*; come ancora sopra l' osservanza del Digiuno Quaresimale, con la spiegazione della mente del Sommo Pontefice nel Breve Apostolico emanato sopra la stessa materia; e più recentemente sopra l' acquisto del Santo Giubbileo.

In oltre, sopra la Fabbrica del Duomo, sopra la Fondazione del Monistero delle Salesiane nel luogo di Darfo in Val-Camonica, sopra la Cappella delle Santiss. Croci, sopra il Collegio Ecclesiastico da' fondamenti fatto erigere per prova della capacità e costume di chiunque ha da assumersi allo stato Clericale, e molto più d' avanzarsi al Sacerdotale.

Tiara & Purpura Veneta Romæ ante annos viginti penicilli opificio adumbrata in Aula majori Ædium Cardinalis Tit. S. Marci, appositis tantum nominibus Pontificum & Cardinalium Venetorum; nunc aucta istorum Elogiis ex Ciaconiano Opere depromtis, novisque ad hæc Annotationibus in publicum prodit. Decas I. & II. *Romæ anno Jubilæi* MDCCL. *per Antonium de Rubeis*. 4.

Decas III. & IV. Opus complebunt.

Atti spettanti alla Fondazione e Dotazione della Biblioteca Quiriniana a pubblico benefizio eretta in Brescia dall' Emo e Rmo Sig. Cardinale A. M. Querini &c. Vescovo di essa Città, pubblicati per Decreto degl' Illmi Signori Deputati Pubblici. *In Brescia per Giammaria Rizzardi* 1747. in 4.

Veterum Brixiæ Episcoporum S. Philastrii & S. Gaudentii Opera, nec non B. Ramperti & Ven. Adelmanni Opuscula, nunc primum in unum collecta, ad veteres mss. Codices collata, Notis aliisque Additionibus illustrata & aucta. Prodeunt jussu Emi & Rmi Quirini &c. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* 1738. *fol.*

S. Ephræm Syri Opera omnia Græce, Syriace & Latine ad mss. Codices Vaticanos aliosque castigata & aucta. Tomi Sex. fol. *Romæ* 1732. *sqq.*

De Diptyco Brixiano Boetii Consulis Epistola Epigraphica auspiciis, jussu & sumtibus Principis Eminentiss. Ang. Mar. Tit. S. Marci Cardinalis Quirini, Summi Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti, Episcopi Brixiani &c. edita a Jo: Gasparo

ro Hagenbuchio Professore Turicensi, cum æneis Tabulis; *Turici per Heideggerum & Soc.* MDCCXLIX. *fol.*

Prodierunt tria hæc postrema Opera alieno quidem labore, at Emi Quirini *seu rogatu, seu jussu, seu ære.*

Plurimum etiam debere eidem Emo Quirino *Dionis Cassii Historiam luculentissime editam a Sam. Herm. Reimaro pub. Hamburgi Profess., gratus testatur in Epist. Nuncupatoria & Præf. Vir ille doctissimus.* (9)

Agli Emi e Rmi Signori Cardinali della Sagra Congregazione dell' Indice de' Libri proibiti, per il Cardin. Angelo Maria Querini (10). *Typis Giannini & Mainardi* 1730.

Epistolæ Custodibus & Scriptoribus Vaticanæ Bibliothecæ. *Ex Ædibus Biblioth. Vaticanæ* 7. & 28. *Novembr.* 1741.

Epistola ad admodum R. P. D. Amandum Luggaver Monachum Benedictinum Philosophiæ in Universitate Salisburgensi Professorem, & ibid. ejusdem facultatis Decanum. *Brixiæ* 1. *Maji* 1743.

Lettera al Rmo P. D. Gio: Carlo Galimberti Abate Generale de' Monaci Girolamini di Lombardia. *Brescia* 20. *Febr.* 1745.

All' Illmo e Rmo Monsig. Antonelli Segretario del Sacro Collegio. *Brescia* 23. *Febr.* 1745.

Al Medesimo. *Brescia* 3. *Febr.* 1746.

Lettera Circolare a' PP. Abati Girolamini della Congregazione di Lombardia. *Brescia* 7. *Maggio* 1746.

Lettera al nuovo P. Abate Generale della Congregazione de' PP. Girolamini di Lombardia. *Brescia* 2. *Giugno* 1746.

Al Medesimo. *Brescia* 22. *Giugno* 1746.

Al Medesimo. *Brescia* 2. *Luglio* 1746.

A Monsignor Antonelli Segretario del Sacro Collegio. *Brescia* 12. *Gennajo* 1747.

Al Medesimo. *Brescia* 20. *Novembr.* 1747.

Al Medesimo. *Brescia* 19. *Febr.* 1749.

Traduzione in versi Latini dell' Idillio Francese intitolato *Les Arbres* composto dal Sig. Des-Forges Maillard Gentiluomo Brettone, stampata a Zurigo col titolo *Flora Quirini* in

(9) Hucusque citatus Index, quem complemus subjectorum Operum recensione.

(10) Duas amplectitur Apologias, quas Romanis typis vulgavit Auctor, quarum alteri est titulus: *Della Greca Offiziatura*: alteri vero: *Sopra la Raccolta de' monumenti Farnesi*.

8., a Stetin col titolo *Les Arbres* in 12. e in 4. e congionta con doppia versione Italiana dal Sig. Co: Casareggi l'una, e l'altra di un Bresciano (11) stampata *in Firenze nella Stamperia Imperiale* 1751. 8., ed inserita anche nella Prefazione dei *Proverbj di Salomone* tradotti in versi Toscani dal suddetto Sig. Co: Casareggi.

Epistola ad Virum Clariss. Abrahamum Gotth. Kaestnerum, Math. Publ. Profess. in Academia Lipsiensi. *Brixiæ* 19. *Januar.* 1752.

Epistola Hortatoria ad Gregorium Rothfischerum, ex Monacho Benedictino S. Emmerami Ratisbonæ ad Protestantes transfugam. *Brixiæ* 2. *Maji* 1752.

Epistola ad P. D. Æmilianum Jordanum Ord. S. Benedicti Sacr. Canon. Professorem. *Brixiæ* 16. *Septembr.* 1752.

Ad eumdem, abdicata Cathedra Helmstadiensi, ad Monasterium Huisburgense proficiscentem. *Brixiæ* 21. *Novemb.* 1752.

Collectio Epistolarum Reginaldi Poli S. R. E. Cardinalis, & aliorum ad ipsum. Vol. IV. scriptas complectitur ab initio anni 1553. usque ad finem anni 1554. scilicet, usque ad navigationem in Angliam ex Legatione ei demandata a Julio PP. III. ad pacificandum Regnum illud cum Deo & Ecclesia Catholica. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* 1752. 4.

Traduzione in versi Latini ed Italiani dell'Ode Francese, che ha per titolo *Le Danger des Spectacles*: va unita alla Pastorale pubblicata li XVI. Gennajo MDCCLIII.

Epistola ad Virum Clarissimum Abrahamum Gotth. Kaestnerum, Math. Publ. Profess. in Academia Lipsiensi. *Brixiæ* 30. *Aprilis* 1753.

Lettera all'Illmo ed Eccmo Sig. Andrea Querini Senator Veneto. *Brescia* 16. *Febr.* 1753.

Al Medesimo. *Brescia* 6. *Marzo* 1753.

Al Medesimo. *Brescia* 14. *Aprile* 1753.

Epistola ad Virum Clariss. Georgium Guil. Kirchmajerum, Consiliarium Regium, & Profess. in Universitate Vittembergensi. *Brixiæ* 5. *Maji* 1753.

Epistolæ tres ad Nob. Virum Andream Quirinum, Senatorem Venetum ex Italico idiomate in Latinum conversæ & inscriptæ Viro Cl. Jo: Jacobo Mascovio Consiliario Aulico

(11) Is est Cl. P. Jo: Franciscus Baldini C. R. S.

lico Reg. Poloniæ, Senatori Lipſienſi, & Bibliothecæ Paulinæ Præfecto, inſcriptæ ab Auctore *Brixiæ* 31. *Maji* 1753. *addita in fine alia Epiſtola*, *cui titulus*: Lettera a Sua Eccellenza il Sig. Marco Foſcarini Cavaliere e Procuratore di S. Marco. *Breſcia* 1. *Giugno* 1753. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi* 1753. 8.

Lettera all' Illmo ed Eccmo Sig. Andrea Querini Senator Veneto. *Breſcia* 19. *Giugno* 1753.

Epiſtola ad ampliſſimum Virum Flaminium Cornelium Senatorem Venetum. *Brixiæ* 18. *Jul.* 1753.

Alia ad SS. D. N. BENEDICTUM XIV. *Brixiæ* 13. *Aug.* 1753.

Ad ampliſſimum Virum Flaminium Cornelium Senatorem Venetum. *Brixiæ* 1. *Septembr.* 1753.

Ad Reverendiſs. P. D. Bedam Abbatem Veſſofontanum, & Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præſidem Generalem. *Brixiæ* 15. *Septembr.* 1753.

Ad Virum Clariſs. Abrahamum Gotth. Kaeſtnerum Math. Profeſs. in Acad. Lipſienſi. *Brixiæ* 17. *Octobr.* 1753.

Ad Reverendiſs. P. D. Bedam Abbatem Veſſofontanum, & Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præſidem Generalem: *Brixiæ* 23. *Januar.* 1754.

Ad Virum Clariſs. Jo: Georgium Schelhornium Memmingenſem Bibliothecarium. *Brixiæ* 11. *Febr.* 1754.

Animadverſiones Apologeticæ in Vitam, quam ſui ſcripſit Ven. Robertus Bellarminus, editamque Lovanii an. 1753. Inſcriptæ Emo & Rmo DD. Th. Phil. Card. Alſatiæ. *Brixiæ* 7. *Mart.* 1754. 8.

Lettera all' Emo e Rmo Sig. Cardinale Vincenzo Malvezzi, Arciveſcovo di Bologna. *Breſcia* 1. *Aprile* 1754.

All' Illmo ed Eccmo Sig. Flaminio Cornaro Senatore Veneto. *Breſcia* 26. *Aprile* 1754.

Epiſtola ad Virum Clariſs. Joſephum Aurelium de Januario in Neapolitano Athenæo juris Feudalis Prof. Senatoremque ac Conſiliarium Regium. *Brixiæ* 8. *Maji* 1754.

Ad Virum Clariſs. Jo: Georgium Schelhornium Memmingenſem Bibliothecarium. *Brixiæ* 27. *Maji* 1754.

Ad Reverendiſs. P. D. Felicem Mar. Nerinum Congregationis Monachorum S. Hieronymi de Italia Abbati Generali.

Brixiæ 31. *Maji* 1754.

Lettera al Rm̃o P. D. Felice Maria Nerini Abate Generale de' Monaci Girolamini della Congregazione d' Italia. *Brescia* 14. *Giugno* 1754.

Al Medesimo. *Brescia* 30. *Luglio* 1754.

Annotazioni sopra il Libro, che trovasi registrato nell' Indice de' Proibiti, e compreso nella Classe *Auctorum Incertorum* con il titolo *Liber inscriptus Consilium de emendanda Ecclesia*, ricavate dal Lib. VI. della Storia di Paolo IV. del P. D. Bartolommeo Carrara C. R., e stampata in Ravenna l' anno 1753.

Nuove Annotazioni sopra l' Opuscolo *De emendanda Ecclesia*.

Nuova aggiunta all' Annotazioni sopra l' Opuscolo *De emendanda Ecclesia*.

Epistola ad Virum Clarif. Matth. Gesnerum, Publ. Goettingensem Profess. *Brixiæ* 30. *Augusti* 1754.

Ad Virum Clariss. Hieronymum de Prato Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Veronæ. *Brixiæ* 4. *Decembr.* 1754.

Epistolarum quarumdam Segmenta ad vindicandam Dypthici Amatorii Quirinlani antiquitatem, saniоremque interpretationem in dubium revocatas a Viro Clariss. Scipione March. Maffejo, libello edito Veronæ anno 1754., cui titulus: *Dittico Quiriniano pubblicato e considerato*. *Brixiæ* 23. *Decembr.* 1754.

Opera ab eodem Auctore capta nec perfecta.

Commentarius de Bibliotheca Vaticana a SS. D. N. Clemente XII. P. O. M. primum Aulæ accessione aucta; deinde Libris, Vasibus Hetruscis, Numismatibus locupletata &c. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi an.* 1739.

Vita del Cardinal Reginaldo Polo, scritta da Monsignor Lodovico Beccatello, ora per la prima volta data alla luce &c.

Recensio Decadis primæ, secundæ & tertiæ Epistolarum Latinarum. *Brixiæ per Jo: Mariam Rizzardi*.

Collectio Epistolarum Reginaldi Poli S. R. E. Cardinalis, & aliorum ad ipsum. Volum. V.

Commentarii Historici de rebus pertinentibus ad ANGELUM MARIAM S. R. E. CARD. QUIRINUM Anno 1749.

1749. primum editi, nunc recusi. *Brixiæ ex Typographia Jo: Mariæ Rizzardi* 1754. *in fol.*

Horum Commentariorum Liber primus tantum typis jam excusus est, mireque refulget ob splendidissimam ænearum iconum accessionem, Quirini Vitam referentium.

Lettera postuma dell' Emo e Rmo Sig.' Cardinale ANGELO MARIA QUERINI *al Chiarissimo Sig. Francesco Maria Zanotti, Segretario dell' Accademia delle Scienze di Bologna ec., pubblicata dall' Abate Antonio Sambuca. Typis Jo: Mariæ Rizzardi.*

Addere placet, Nicolaum Coletum Venetum Bibliopolam, manum jam admovisse edendæ Collectioni omnium QUIRINI *latinarum Epistolarum.*



CIX.

JOANNES MOLINUS EPISCOPUS

ANNO MDCCLV.

ACerbiſſimum Brixianæ Eccleſiæ caſum commiſeratus Summus Pontifex Benedictus XIV., eam diu non ſivit luctu & lacrymis ſordeſcere; accepto enim de Quirini obitu nuntio, hærendum ipſi non fuit, deliberanti quem nobis daret Pontificem, iis exornatum virtutibus, quibus par eſſet vacuæ huic honorifice & ſplendide implendæ Sedi. Tantam, ſexdecim per annos Auditoris *Sacræ Rotæ* geſto munere, ſibi compararat doctrinæ, prudentiæ, integritatis, religioniſque laudem Joannes Molinus, ut ampliſſimæ hujus Eccleſiæ adminiſtratio, temporis vix ſatis dato ad deliberandum, delata ei ſit, Apriliſque Calendarum die conſecratus. Tantum nomen tanta Eccleſiam hanc extulit lætitia, ut recentis quaſi oblita infortunii ingentes pro tanto munere D. O. M. gratias egerit, eumdemque etiam atque etiam orare pergat, ut novum Paſtorem novis etiam ſplendidiſſimis cumulatum honoribus intueri coram poſſit, multoſque per annos incolumem divina ſervet clementia ad veriſſimæ Religionis dilatationem, ad bonarum literarum incrementum, ad Brixiani populi commodum & gloriam. Verum ab ejus laudibus recenſendis temperare ſatius arbitror. De vivente enim, clariſſimo, ſuaque mole ſtante Præſule, *magis vereor.... loquacitatem meam reprehendi, quam eloquium requiri* (1).

AP-

(1) S. Aug. Epiſc. ad Chriſtin. 256. E. M.

APPENDIX

EXHIBENS ELENCHUM MSS. CODICUM

QUI IN ARCHIVO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

CAPITULI

BRIXIANÆ CATHEDRALIS

ASSERVANTUR.

MONITUM.

Selectissima Codicum mss. supellectili ornatam olim fuisse Brixianam Ecclesiam, cum nobis ex Actis Visitationis S. Caroli innotuisset (1), præter alia Urbis Archiva, illud inprimis Cathedralis consulere non omisimus, officiose annuentibus Illmis atque Rmis Canonicis, comite sæpe a nobis laudato Doneda, optimo veterum interprete chartarum, lætique intuiti sumus divitem superesse eorumdem copiam. Quamobrem non solum eos exscribi, quos nostro Operi utiles fore cognovimus, verum etiam integrum confici mss. Catalogum curavimus, eumdemque cum in Opere jam Romæ cuso, tum in hujus præfatione publici juris facturos promisimus. Oppignoratam fidem, annuentibus prælaudatis Canonicis, nunc liberamus. Plane consilium nobis erat, haud breves adnectere adnotationes; etenim formula *deprecativa*, omissa *indicativa*, in Sacramentali absolutione: communio sub unica specie: *extremæ Unctionis* administratio ante Viatici sumtionem, duplici distincta forma, quarum altera communis, altera peculiaris *ad inungendos homines*, *vel dignitate Ordinis*, *vel Religione venerandos*, aliaque quamplurima vetustatis vestigia, in hisce Codicibus occurrentia, ea sunt, quæ & in antiquorum rituum Collectionibus utilem obtinere possent locum, & eruditis conscribendis Dissertationibus uberem suppeditare materiem. At mutato consilio, integram placet doctis Brixianis spartam hanc exornandam relinquere, & in unius tantum Codicis descriptione aliquantisper immorari.

Conscriptus is est Seculo XI., titulum præsefert ora secundæ paginæ, qui sic se habet: *Bonizonis Episcopi*: *de Sanctorum Patrum authenticis canonibus ad Gregorium Presbyterum*.

Is est Bonizo ille (2), qui & libellum de Sacramentis a Muratorio (3) editum misit ad Gualterum Leonensis Cœnobii *Monachum & Priorem* (4), & alios partim Theologicos, partim historicos posteritati consignavit libros, quorum amplam dedit notitiam ex mss. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis in Commentario de Scriptoribus Ecclesiasticis Oudinus (5). At ex his nullus illo præstantior, cujus ex Brixiano Archivo nunc damus descriptionem, sive res attendas, quas complectitur, sive raritatem Codicis & præstantiam consideres. Alterius enim solum occurrit mentio in Vindobonensis Bibliothecæ Commenta-

(1) Præclarum Brixianæ Bibliothecæ testimonium S. Carolus Borromæus in citatis mss. Apostolicæ Visitationis Actis reliquit in hæc verba: *Ecclesia Brixiensis*, *Dei beneficio multis exculta ornamentis*, *hoc etiam ad pietatis insigne habet*, *ut antiquorum Patrum monumenta*, *præsertim recte exarata*, *quæ olim impense conquisita*, *diu asservavit*, *de gremio suo*, *si quando usuvenerit*, *proferat ad Codices aliquos Ecclesiasticos*, *temporum injuria*, *aut hæreticorum corruptelis depravatos*, *quam rectissime emendandos*.

(2) Fuit hic primum Sutrinus, deinde Mantuanus, tandem Placentinus Episcopus, atque a Placentinis ob Romanæ Sedis tuitionem contra Simoniacos, atque Schismaticos post varia rerum discrimina, effossis oculis, atque obtruncatus occisus fuit anno MLXXXIX. ut videre licet apud Baronium, Campium, Ughellum, aliosque.

(3) Dissert. XXXVII. Antiquit. Italiæ.

(4) Hoc Gualterio, perinde ac Alberto, atque Guillielmo in chartis a Muratorio citata Dissertatione Tom. III. pag. 598. Antiq. Ital. commemoratis, augendus est Catalogus Abbatum Monast. Leonensis, cujus specimen aliquod datum est in Hercul. pag. 78.

(5) Tom. II. pag. 737.

tariis, quem *rarissimum* fortasse etiam *unicum* appellat loc. cit. Oudinus. Accedit, illum mancum esse, cum septem duntaxat contineat libros, decem vero Brixianus. Prima charta cum desideretur, libri etiam primi initium deest; reliquorum vero initia sunt hæc:

Incipit Liber secundus. Quod ante sit docendus omnis quam baptizandus: & quid sit baptismus: & quot modis fiat: & a quo sumpsit exordium. Incipit Liber tertius. Clemens Episcopo Jacobo. In his Civitatibus Apostolorum princeps Primates instituisse, ubi primitus archiflamines &c. Incipit Liber quartus. Scripturus de excellentia Romanæ Ecclesiæ, & de privilegiis ad ejusdem Ecclesiæ Episcopum pertinentibus. Incipit Liber quintus. Superioribus tribus libellis qualis debeat eligi Episcopus . . . . superest nunc de secundi Ordinis Sacerdotibus & Diaconibus, ceterisque Ordinibus, prout Deus concesserit enarrare: & primum ab ordinatione ordiamur. Incipit Liber sextus. Monachorum quatuor esse genera, Beato Benedicto referente, cognovimus. Incipit Liber septimus. Scripturus de regibus & de judicibus, & de his, qui in laicali ordine sunt constituti operæ pretium visum est. Incipit Liber octavus. Quia vero superiori Libro de prælatis in laicalique Ordine positis . . . . superest nunc in ulteriori Libro qualiter subditi vitam debeant instituere, breviter indagare. Incipit Liber nonus. Liber iste Medicinalis inscribitur, eo quod ægrotantium continet varia Medicamenta animarum. Incipit Liber decimus. Superiori Libro dixisse me memini . . . . operæ pretium visum est mihi auctoritates & exempla Sanctorum Patrum compendiose colligere, & judicia de criminibus qualiter judicavere huic libello inserere.

Digna sunt animadversione Libri quarti verba hæc: *Urbani vero Pontificis* (nempe II.) *Acta, & de ejus victoria si quis scire voluerit, legat Librum, quem scripsi in Ugonem Schismaticum, & ibi inveniet ad plenum dilucidata quæ voluerit* (6). *Hucusque incipientes a Beato Petro Apostolorum Principe usque ad nostra tempora Romanorum Pontificum Acta compendiose digessimus*. Porro verba hæc conveniunt cum initio, quod loco Prooemii præfert Codex Vindobonensis, quod sic se habet (7): *Chronica Romanorum Pontificum edita a Bonithone Sutrino Episcopo, Viro per omnia doctissimo*... Sic vero exorditur: *Scripturus de excellentia Romanæ Ecclesiæ, & de privilegiis ad ejusdem Ecclesiæ Episcopum pertinentibus*; quo etiam ex discrimine, quantum Vindobonensi præstet Brixianus Codex, statim peritus quisque intelligere potest. Ea vero Chronica unum continere Romanorum Pontificum Catalogum, quales multos habemus, testis est l. c. Muratorius.

Anonymus Mellicensis, quem Seculo XII. scripsisse putat Bernardus Pex ejus editor (8), unus est ex Veteribus, in quo hujus Operis mentio nobis occurrerit. Recentioribus vero innotuit ex Catalogo mss. citatæ Vindobonensis Bibliothecæ. Brixiani autem Codicis notitiam omnium primus vulgavit in supplementis ad Labbæanam Conciliorum editionem (9) Dominicus Mansius, quem de pretiosi Codicis inventione reddideramus certiorem. Cl. Abbas Trombellius a nobis laudatus eum Codicem cum nobiscum ante aliquot annos in citato Archivo vidisset, provinciam suscepit in lucem emittendi, obtenta in eum finem illius exscribendi ab Illmis ac Rmis Canonicis facultate.

LI-

(6) Optandum est, ut hoc Opus e tenebris educatur: ejus enim ope aliquid fortasse lucis accedere posset ad Acta nostrorum Episcoporum, qui XI. vixerunt seculo.

(7) Apud Oudinum l. c.

(8) Ad calcem Bibl. Benedictino-Maurianæ: sunt autem hæc Anonymi verba pag. 489. *Bonizo Sutriensis Presbyter* (*Gregorii*) *Septimi temporibus scripsit Excerpta de Canonibus*.

(9) Tom. II. in Præf. ad Append. pag. 3.

LIBRI LITURGICI.

MIssale *parvum*, *XI. circiter Seculum conscriptum*, *incipit a Dominica prima post Nativitatem Domini*, *in tertia Adventus Dominica desinit*. *Accedit Ordo Missæ & Canon*; *inde dies Dominicæ Nativitatis cum* Proprio *Sanctorum; demum occurrunt Missæ Communes & Votivæ*. *Continet Missas aliquorum Brixianorum Sanctorum*. *In Missis* de Tempore, *&* Proprio *Sanctorum solæ Orationes leguntur instar* Sacramentariorum*: Introitus vero*, *Epistolæ*, *& Evangelia desiderantur*. *Cum translationem S. Benedicti exhibeat*, *Monachorum ad usum conscriptum fuisse*, *conjici potest*.

Missale *in folio parvo*. *Juris fuisse Altaris S. Pauli in Cathedrali*, *in ipso legitur*. *Incipit a Missa* pro morte subitanea, *a Clemente VI. instituta*, *eademque*, *ac reliquæ*, *manu descripta est*. *Exstant Missæ SS. Brixianorum Apollonii & Philastrii*, *Faustini*, *Jovitæ & Aphræ*. *Canon situs est inter Sabbatum* Temporum *Pentecostes*, *& primam Dominicam post Pentecosten*. *In Litaniis*, *& in Calendario plures Sancti Brixiani recensentur*. *Circiter XIV. Seculum conscriptum est*.

Missale *ejusdem formæ & ætatis*, *cui hoc est initium*: Incipit Collectaneus in honorem SS. Trinitatis.

Missalia *ad Ecclesiæ Romanæ normam*.

Missale *in folio parvo cum* Stationibus *Romanis*. *Continet Missam SS. Trinitatis inter* Communia. *In Calendarium plures Sancti Brixiani inlati sunt*.

Missale *ejusdem formæ*, *quo Victor Martinengus Sacrarium donavit anno MDIX. Exhibet sub finem*, *Missam de Visitatione B. M. V. Multi Brixiani Sancti in ejus Calendarium relati sunt*.

Missale *in folio splendide conscriptum*. *Differt in* Ordine Missæ *a duobus prædictis*, *& ab hodierno Romano*. *Gemino* Canone *instructum est*, *altero latis characteribus*, *altero brevioribus compacto*, *nonnullisque in rebus invicem dissentiente*. *Dominicales tantum Missas continet*. *Ejus in Calendario aliqui leguntur Sancti Brixiani*. *Ad primam Dominicam post Pentecosten scriptum est*: Dominica prima post Penthecosten secundum novum Ordinem Romanæ Curiæ fit per omnia Officium Beatissimæ Trinitatis, *quæ SS. Trinitatis Missa in fine locata est*.

Mis-

Missale *in folio parvo. Nihil in eo ad Brixianam Ecclesiam peculiariter pertinens.*

Missale *simile cum Calendario omnino communi.*

Missale *ejusdem generis. Eo utebatur Brixiæ Episcopus Bartholomæus Maripetrus, eodemque ejusdem Successor Dominicus de Dominicis, ut in ipso legitur. Incipit a Missa Nativitatis D. N. J. C.*

Pontificalis liber parvus. Antiquitatem præseferre videtur.

Pontificalis liber in folio, holoserico villoso coopertus, late & splendide conscriptus, cui hoc est initium: Incipiunt Missæ, quæ appellantur Episcopales. *Inter majores literas minio tinctas eminent insignia Bartholomæi Maripetri, ad Episcopatum Brixianum evecti anno MCCCCLVII.*

Pontificalis liber in 4. perpulcher. Incipit ab hymno: Veni Creator Spiritus, *musicis notis appictis, desinit in Litaniis, in quibus SS. Apollonius & Philaster invocantur. Stemmata exhibet minio distincta Maripetri & de Dominicis Episc. Brix.*

Evangeliorum liber pro Missis, valde brevis in 4.

Liber similis pro Missis copiosus in 4.

Liber Evangeliorum in 4., Seculo XII. posterior.

In calce adjectus est Tractatus S. Maximi de Symbolo. *Incipit:* Cum apud Patres nostros, sicut Liber Judicum &c.

Evangeliorum codex pro Missis Seculo XI. conscriptus.

Liber Epistolarum pro Missis in 4.

Recentior Epistolarum codex pro Missis splendide exaratus.

Liber continens modulatas aliquot versuum imagines, quæ vulgo dicuntur Sequenze, *parvulis aspersas notis musicis. Mancus est, & in parvo folio. Exhibet* Sequentiam *S. Apollonii Brixiæ Episcopi.*

Liber cum notis musicis ad canendum Kyrie &c. Gloria &c., & Sequentias: *in* 8.

Liber Antiphonarum & Responsoriorum pro Supplicationibus &c. in 4.

BREVIARIA.

Psalterium cum hymnis Dominica die canendis ab Octobri ad Adventum in 4.

An-

Antiphonarium *in folio, adjectis musicis notis, XII. circiter Seculum conscriptum; desinit in Sabbat. Sancto.*

Liber Hymnorum partim notis aspersorum, partim iisdem carentium. Praefert Officium *Corporis Domini in* 8. *majori.*

Liber Hymnorum cum notis, vocis modulationem edocentibus: in 4. *minori. Recentior est.*

Manuale *continens* Capitula, *Hymnos & Orationes in* 4. *parvo.*

Manuale *simile in* 8. *majori, annum sapit* 1300.

Manuale *in* 4. *parvo: parum vetus. Praefert* Officium *B. V. M.*

Breviarium sine Lectionibus, anno MCC. in 4. *Ab aliis saepe differt tam in Hymnis, quam in Completorio. Incipit ab aliquibus D. Augustini Sermonibus.*

Pars Breviarii in 4. *Incipit a festo D. Petri, Antiphonae notis musicis aspersae sunt. Ad annum fortasse MCC. spectat.*

Pars Breviarii cum Officio *Visitationis, & ejusdem* Octava *in* 8.

Breviarium in 4. *integrum. Annum circiter MCCCC.*

Breviarium in 4. *haud mancum.*

Breviarium in 4. *majori pulcherrimum. Ann. MCCCCLXXXV.*

Breviarium valde contritum in 4. *Ann. circ. MCCCCL.*

Lectionum liber, idest, Sermonum & Homiliarum a prima Dominica Adventus ad 4. *post Epiphaniam: in fol. majori.*

Lectionum liber in fol. Incipit a Septuagesima, *in Paschate desinit Sermone S. Maximi:* Videamus fratres. *In eo legitur Sermo S. Leonis incipiens:* Totum enim, dilectissimi, Paschale Sacramentum.

Lectionum liber. Incipit a Paschate, desinit in Ecclesiae Dedicatione: in folio quasi quadrato. Anno MCC.

Lectionum liber pro Dominicis. *Incipit post Pentecosten, desinit in ultima* Dominica *post Pentecosten in fol. majori*

Liber Lectionum de Tempore a Dominica *quinta usque ad vicesimamtertiam post Pentecosten: in fol. Desinit in Actis SS. Simonis & Judae.*

Lectionum liber de Communi Sanctorum *in fol.*

Lectionum liber incipiens a Natali *Apostolorum, desinit in S.*

Thoma

Thoma Apostolo in fol. majori.

Liber lectionum, cui hoc initium: In festivitate S. Zenonis Episcopi: *adjecta est Vita ejusdem Sancti.*

LIBRI RITUALES.

Ritualis *liber in 8. ante Seculum XIII.*

Durandi Rationale &c. Seculo XIII. exaratum.

Amalarius de Divinis Officiis.

BIBLIA SACRA.

Biblia Sacra in fol. anno MCCC. descripta, cum Psalmis iteratis, idest, suo loco, & in fine positis.

Biblia Vulgata in fol. post Seculum X. desinunt in Ruth. Adjecta est pars Actuum S. Julianæ.

Isaias cum aliis Prophetis in fol. maximo; Opus est XI. Seculi ineuntis.

Isaias ceterique cum majores tum minores Prophetæ, circiter Seculum XII.

Pars Bibliorum Sacrorum, idest, Liber Job cum præfatione D. Hieronymi, desinit in II. Machabæorum. Aliter Capitula *dispertit. Opus est Seculi XII.*

Psalterium, cui post illa, *ut tum ajebant, adjecta sunt Seculo circiter XIII.*

Libri Salomonis, Tobiæ, Esther &c., duo Machabæorum cum Prophetis in fol. maximo, ad XI. fortasse Seculum referendi.

Apocalypsis & Cantica, additis adnotationibus, quas vocant post illa &c. *in 8. majori.*

Codex quatuor Evangeliorum valde nitidus, Seculum XI. vix excedit, adjectis argumentis, canonibus & Capitulorum *indice in fine, idest, Evangeliorum Missis respondentium. Quadratam prope figuram exhibet.*

Evangelium S. Matthæi cum notis, circiter Seculum XII. in 4.

Evangelium S. Lucæ mutilum cum notis in 4. *ejusdem ævi.*

Evangelium S. Joannis cum notis in 4. *ejusdem ævi.*

Alterum D. Joannis Evangelii exemplar cum notis.

Epistolæ D. Pauli cum Actibus Apostolorum. Tituli, Rubricæ, *&* Capitula *a nostris distant. Apocalypsis præcedit Actus Apostolorum, ibique desinit.*

Epistolæ D. Pauli cum reliquis Canonicis, *& Apostolorum Actibus. Adjectis Vita S. Apollonii Brixiæ Episcopi, & Sermone D. Gaudentii de S. Philastrio. Ante Seculum XI. exaratum fuisse, inscriptio docet.* *SA-*

SACRI INTERPRETES ET PATRES.

In Psalmos Commentarius instar catenæ compositus e SS. Patribus desumtus. Seculo XIII.

In Psalmos Commentariorum alter Codex in fol. Incipit: Cum omnes Prophetas Spiritus Sancti revelatione &c.

D. Augustini in Psalmos fragmentum. Incipit a Psalmo 61. desinit in 70. Seculi XI. Opus est, in 4.

In Cantica Commentarius. Incipit: Intentio Salomonis est docere contemplari &c. *Circit. Sec. XII.*

Expositio in Isaiam D. Hieronymo attributa. In quatuor libros divisa est. Secundus incipit: Finito in Isaiam primo volumine: IV. inæquales dictans libros. *Circiter Seculum X.*

D. Thomæ Catena quatuor Evangelistarum. Tomi II. Opus integrum & pulcherrimum Seculi XIII.

Commentarius in D. Matthæum. Incipit: Hoc exordio se generationem Christi carnalem velle narrare &c.

Petrus de Tarantasia super Epistolas Pauli *anni MCCC. in fol.*

Expositio Epistolarum D. Pauli a D. Augustino ex integro prope desumta, quæ Bedæ olim adscripta, nunc Floro Lugdunensi tribuitur: in fol. maximo.

Sacrorum Bibliorum Concordantiæ *in fol.*

S. Hieronymi Epistolæ literis quadratis.

S. Augustini de Civitate Dei *Codex perfectus & pulcherrimus.*

Sermo Gaudentii de Philastrio. Rhythmus in honorem ejusdem Philastrii, ex sententiis prædicti Sermonis Gaudentii compactus. Item Sermo Venerabilis Ramperti.

THEOLOGI.

Magister Sententiarum. Codex pernitidus. Anno MCCCC. circit.

D. Thomæ Summa quadripertita, in fol. descripta Seculo XIII. ut videtur. Jacobi de Actis, nondum Brixiæ Episcopi, eam fuisse, inscriptio docet, qui anno MCCCXXXV. Brixianæ Ecclesiæ præerat. Egregium opus & utile, non solum lectionis vetustati, sed etiam Auctori suo Summæ asserendæ.

D. Thomæ contra Gentes in fol. parvo, ann. MCCC.

Tomi quatuor in Libros Sententiarum, Petro de Tarantasia (postea Clementi VI.) omnes asserendi, aut certe tres. An. MCCC. cir.

Summa D. Raymundi in 4. Post ann. MCCC.

JUS CANONICUM ET CIVILE.

Isidori Mercatoris Collectio Decretalium in 4. Incipit: Isidorus Mercator Servus Christi &c.

Bonizonis Episcopi de SS. Patrum authenticis Canonibus ad Gregorium Presbyterum. Collectio Canonum est anno MC. vix elapso confecta. Opus ineditum est. Prima pagina desideratur, aliaque nonnulla nonnullis in locis.

Decretum Gratiani in fol. cum glossis.

Decretales Gregorii IX. in fol. Ann. MCCC.

Clementinæ in fol.

Innocentius IV. Papa in Decretales. In fol.

Bullæ aliquot Pontificum Roman.

Institutiones Justiniani Seculo XIII. conscriptæ in fol.

Nonnulla Romanor. Pontificum Responsa.

Brixianorum Pontificum Decreta aliquot & Constitutiones.

Senecæ Epistolæ charactere vetusto. Adjecta est in fine pars Epistolarum Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam, quale demum cumque de iis sit Eruditorum judicium.

I N-

INDEX SCRIPTORUM,
QUI IN OPERE CITANTUR.

A

B

Benedicti XIV. R. P. de Canoniz. & Beatific. *Patavii* 1743. f.
De Sacrificio Missæ. *Ibid.* 1745. f.
Berettæ Jo: Gaspar. (Anon.) O. B. Differt. de Tabula Chorographica Italiæ, *exst. Tom. X.* Rer. Italic.
Bertiniani Annales: *exst. Tom. II. P. I.* Rer. Italic.
Biancolini Baptistæ Notizie Istoriche delle Chiese di Verona. *Verona* 1749.
Biemmii Jo: Mariæ Istoria di Brescia. *Brescia* 1749. 4.
Bingamii de Ecclesiasticis Originibus. *Halæ* 1722. 4
Blondi Forojuliensis Opera. *Basileæ* 1559. f.
Bollandi Joannis S. J. & Sociorum Acta Sanctorum. *Venetiis* 1734. &c.
Bollani Dominici Constitutiones. *Brixiæ* 1575. 8.
Bonæ Joannis O. C. Opera. *Antverpiæ* 1739.
Bonfinii Antonii Rerum Hungaricar. *Basileæ* 1568. f.
Boni de Planero Historiola Brixiana mſ.
Botrotinensis Nicolai De Itinere Henrici VII. Imper. *exst. Tom. II.* Papar. Aven. apud Baluzium. *Parif.* 1693. 4.
Boverii Zachariæ O. C. Annali dell' Ordine de' Capucc. *Vene.* 1643. f.
Bozzolæ Baptistæ Nuncupatio Concilii Tridentini. *Brixiæ* 1563. 4.
Bremondi Antonini O. P. Bullarium Domin. *Romæ* 1727.
Breviarium Mediolanense. *Mediol.* 1582.
MS. Monasterii S. Catharinæ Brixiæ.
Bruis de Francisci V. Anon. Histoire des Papes. *Hayæ* 1733. 4.
Brunatii Joannis de Re Nummaria Patavinorum. *Venet.* 1744. 8.
Ragionamento sopra il titolo di Canonichesse nelle Monache di S. Pietro. *Padova* 1745. 8.
Histor. Eccles. Patavinæ mſ.
Burgundii Theodosii C. L. mſ.

C

Calendaria Brixiana. *Brixiæ* 1581. & seqq. , alia mſs.
Mediolanense. *Mediolani* 1582.
Calmet Augustini O. B. Histoire Eccles. Civil. de Loraine. *Nancii* 1728. fol.
Calogerà Angeli O. C. Opuscula. *Venet.* 1752. &c. 8.
Campi Antonii Historia di Cremona. *Milano* 1645. 4.
Campii Petri Mariæ Istor. di Piacenza 1659. f.
Canesii Vita Pauli II. *Romæ* 1740. 4.
Capreoli Heliæ Istor. di Brescia. *Venez.* 1744. 4.
Carraræ Bartholomæi C. R. (Anagrammatico) Istor. di Paolo IV. *Ravenna* 1753. 4.
Orazione in morte del Cardin. Quirini. *Ravenna* 1755. 4.
Caraccioli Antonii C. R. de Sacris Ecclesiæ Neapol. Monumentis. *Neapoli* 1645.
Caraccioli Eustachii C. R. Chronicon Farfense. V. Chronicon Farf.
Caroli Magni Donatio Monasterio S. Martini Veronensis, *exst. Tom. IV.* Thesauri novi Anecd. Martene & Durand. *Parif.* 1717. f.
Casati Innocentii de Exterminio Brixianæ Civitatis mſ.
Castellani Claudii Martyrologe Universel. *Parif.* 1709. 4.
Catanei Ludovici Tractatus Basilicæ Urcearum novarum. *Brixiæ* 1697. 4.
Cavatii Jacobi O. B. Histor. Cœnob. D. Just. Patav. *Venet.* 1606. 4.
Cave Guillielmi Histor. Liter. *Genevæ* 1705. f.
Cælestini O. C. Istor. di Bergamo. *Bergamo* 1617. 4.
Cencii Diaconi Cardinalis Vita Nicolai II. mſ.
Contareni Joannis Baptistæ O. P. editio Chronici Dominorum de Malatestis Tom. XXIV. Opusc. Calogerà. *Venet.* 1750. 8.
Contracti Hermanni Chronicon *exst. Tom. III.* Vet. Lect. Canisii. *Antverpiæ* 1725. f.

Cor-

Corbelini Aurelii Vite de' Vescovi di Vercelli. *Milano* 1643. 4.
Corio Bernardino Patria Historia. *Mediol.* 1503. f.
Cornelii Flaminii Ecclesiæ Venetæ illustratæ. *Venet.* 1749. &c. 4.
Cosmi Stepfani C. R. S. Vita del Cardin. Gian-Francesco Morosini. *Venez.* 1674. 4.
Cottelerii Jacobi Patres Apostolici. *Amstelodami* 1724. f.
Cozzandi Leonardi O. S. De Plagiariis, *exst. Tom. II. pag.* 135. della Miscellanea Veneta. *Venez.* 1740. 8.
Libreria Bresciana. *Brescia* 1694. 8.
Chronica Bonon. mf.

D

Dachærii Spicilegium O. B. *Paris.* 1723. f.
Damiani Petri S. Opera. *Venet.* 1743. f.
Davilæ Catharini Istor. di Francia. *Venez.* 1733. f.
Doneda Caroli (Anonimo) Osservazioni Storico-Ecclesiastiche sopra il primo Tomo dell' Istor. di Brescia. *Brescia* 1749. 4.
De Adelmanni Brixiani Episc. emortuali anno &c. *exst. Tom. XLVII.* Opusc. Calogerà.
Lettere sopra l' esistenza dei Corpi de' SS. Faustino e Giovita nella Chiesa di S. Faustino maggiore. *Padova* 1751. 4.
Istor. del Monastero della Maddalena mf.
Donizonis Monachi Vita Com. Mathildis, *exst. T. V.* Rer. Italic. Mur.
Dudithii Andreæ Vita Cardin. Poli, *exst. Tom. I.* Epist. Poli.
Dufresne Caroli Glossarium Mediæ & Infimæ Latinit. *Venet.* 1736. f.
Dupinii Ludovici Nouvelle Bibl. Eccles. *Paris.* 1703. 4.
Durante de Durantibus Vita mf.

E

Ecclesia ab Francisci Histor. Pedemontis. *Taurini* 1645. 4.
Echardi Georgii Scriptores Germaniæ. *Lipsiæ* 1743. f.
Echardi Jacobi O. P. Scriptor. Ord. Prædicat. *Paris.* 1719. f.
Erculani Francisci S. J. Orazioni. *Ven.* 1728. 8.
Eusebii Histor. Eccles. *Amstelodami* 1695. f.
Chronicon. *Basileæ* 1536. f.

F

Fabricii Alberti Bibl. Græca. *Amburgi* 1723. 4.
Farfensium Chronica, *exst. Tom. II. Par. II.* Rer. Italic.
Fayni Bernardini Cælum Brixianæ Eccles. *Brix.* 1658. 4.
Martyrolog. Brixianæ Eccles. *Brix.* 1665.
Ferrarii Bernardini de antiquo Eccl. Epistolar. genere. *Mediol.* 1613. 8.
Ferrarii Philippi O S. Nova Topographia in Martyrol. Roman. *Venet.* 1609. 4.
Catalogus Sanctor. Italiæ. *Mediol.* 1613. 4.
Catalogus Sanctor. qui in Martyrol. Rom. non sunt. *Venet.* 1625. 4.
Ferrettini Vicentini Histor. *exst. Tom. IV* Rer. Italic.
Fleurii Histoire Ecclesiastique. *Brusselles* 1722. 8.
Florentinii Francisci Index Episcopor. Brixiæ. *Brix.* 1614. 4.
Catalogus Episcoporum Brixiæ mf.
Flodoardi Histor. Rhemensis, *exst. Tom. XVII.* Biblioth. *Lugd.* 1677. f.
Flori Lugdunensis. V. Bedæ Martyrolog.
Foggini Petri Francisci de Rom. D. Petri itinere. *Florentiæ* 1741. 4.
Fontanæ M. Publii Carmina. *Bergomi* 1753. 8.
Fontanini Justi Histor. Literaria Aquilejensis. *Romæ* 1742. 4.
Fuscareni Marci Equit. Divique Marci Procurat. della Letteratura Veneziana; *Patavii* 1752. f.

G

Galeardi Pauli Parere intorno all' antico stato de' Cenomani. *Padova* 1724. 12.
Gaudentii S. Opera. *Patavii* 1720. 4.
Epistola ad Burchardum Menchenium. *Brixiæ* 1725. 8.
Collectio Veterum Patrum Brixian. Eccles. *Brixiæ* 1738. f.
Notæ in Ughelli Tomum IV. E. V.
Notæ in Martyrol. Fayni mf.
Galesinii Petri Martyrol. S. R. E. notationib. illustrat. *Venet.* 1578. 4.
Galli Francisci Tractat. de Fructibus. *Genevæ* 1690. f.
Gaudentii a Brixia O. C. Orazione in morte del Cardin. Quirini. *Brescia* 1755. 4.
Gaudentii S. Opera. V. Galeardum.
Georgii Dominici. V. Adonis Martyrol. *Romæ* 1745. f.
Georgii Marini Joannis Tavole perpetue ec. *Brixiæ sine anno*.
Geroldi Ambrosii Esposizione del Marmo di Vittore Mauro. *Brescia* 1685. 8.
Gesta Dei per Francos. *Annoviæ* 1611. f.
Giussani Petri Vita di S. Carlo Borromeo. *Brescia* 1709. 4.
Gonzalez Emanuelis Commentaria in Decretales. *Venet.* 1699. f.
Gregorii M. Opera. *Paris.* 1705. f.
Guallæ Pauli Sanctuarium Papiæ. *Papiæ* 1587. 4.
Guarnaccii Marii Histor. Pontificum & Cardinalium Romanor. *Romæ* 1751. f.
Guerini Marini Antonii Synopsis rerum & temporum Bergomensis Eccles. *Bergomi* 1734. 4.
Guichenonii Samuelis Biblioth. Sebusiana, *exst. Tom. I.* Monumentor. Hoffmanni. *Lipsiæ* 1731. 4.
Gussaghi Cæsaris O. H. Corona della B. V. delle Grazie 1664. 4.

H

Hansizii Marci S. J. Germania Sacra. *Augustæ Vindelic.* 1729. f.
Hieronymi S. Opera. *Veronæ* 1735. f.
Histoire de l' Academie Royale des Sciences Annèe MDCCXLI.
Hoffmanni Gotofredi Collectio Monumentorum. *Lipsiæ* 1731. 4.
Hotomanni Francisci Institutiones Justiniani. *Genevæ* 1599. f.
Huetii Danielis Comment. de rebus suis. *Lipsiæ* 1719. 4.

I

Joannis Abbatis S. Prosperi Regiensis, *exstat apud Affarosium*.

L

Labbæi Philippi &c. Collectio Concilior. *Venet.* 1728. &c.
Bibl. mf. M. SS. Librorum. *Paris.* 1657. f.
Lambertini Epistola, *exst. apud Campium Tom. III.* Histor. Placent.
Lambertini Prosperi. V. Benedictum XIV.
Lamii Joannis Deliciæ Eruditorum. *Florentiæ* 1737. 8.
Landulphi senioris Histor. *exst. Tom. IV.* Rer. Italic.
Landulphi junioris, *exst. Tom. V.* Rer. Italic.
Launoji Histor. Gymn. Paris. Navarræ, *exst. Tom. IV.* Opp. *Coloniæ Allobrogum* 1732.
Leibnitii Godefredi Additiones Historicæ. *Hannov.* 1698. 4.
Lequiennii Michaelis O. P. Oriens Christianus. *Paris.* 1740. f.
Lubini Augustini O. P. S. A. Notitia Abbat. Italiæ. *Romæ* 1693. 4.
Ludovici IV. Imperat. Processus contra Joann. XXII. *exst. Tom. II.* Paparum Aven. Baluzii, *Paris.* 1693. 4.

M

Mabillonii Joann. O. B. Musæum Italicum. *Paris.* 1687. 4.
Acta SS. O. B. *Venet.* 1733. f.

Mabil-

Mabillonii Annal. O. B. *Parif.* 1701. *Lucæ* 1739. f.
Analecta. *Parif.* 1723. f.
S. Bernardi Opera. *Parif.* 1719.
Madricii Francifci C. O. Opera S. Paulini Aquilejenfis. *Venet.* 1737. f.
Maffei Scipionis Verona Illuftrata. *Verona* 1532. f.
Notæ in Tom. V. Ughelli. V. Ughellum.
Malvafiæ Cæfaris Marmora Felfinæ. *Bononiæ* 1690. f.
Manhelmi Evangeliftæ de Obfidione Brixiæ. *Brix.* 1728. f.
Manfi Francifci M. D. Supplementa Labbæana. *Lucæ* 1752. f.
Mantuani Baptiftæ O. C. Carmina. *Antuerpiæ* 1676. 8.
Marca de Petri Opufcula. *Parif.* 1681. 8.
Marcellini Ammiani Rerum Geftar. &c. *Parif.* 1636. 4.
Margarini Cornelii O. B. Bullarium Cafin. *Venet. & Tuderti* 1670.
Maripetri Bartholomæi Epift. *exft. apud Vvadingum Tom. XIII.*
Martinengi Afcanii C. L. Vite d' alcuni Santi Brefciani. *Brefcia* 1590. 8.
Maurolici Francifci Martyrologium. *Venet.* 1568. 4.
Mazocchii Symmachi Commentarium in vetus marmoreum. S. N. E. Calendarium. *Neapoli* 1744. 4.
De Sanctor. Neapolit. Ecclefiæ cultu. *Ibid.* 1751.
Mazarii Jofephi S. J. Orazione in morte del Cardin. Quirini. *Venez.* 1755. 4.
Mazzuchelli Joann. Mariæ Scrittori d' Italia. *Brefcia* 1753. f.
Mediolanenfis Ecclefiæ Decreta. *Brixiæ* 1583. 8.
Acta. *Bergomi* 1738.
Menagii Ægidii Origines de la Langue Francoife. *Parif.* 1644.
Merati Cajetani C. R. Thefaurus Sacror. Rituum. *Romæ* 1737. 4.
Miræi Auberti Fafti Belgici & Burgundici. *Bruxellis* 1622. 8.
Molani Joannis Martyrolog. Ufuardi. *Antuerpiæ* 1583. 8.
Monachi Patavini Chronicon *exft. Tom. VIII.* Rerum Italicar.
Monetæ O. P. adverfus Catharos. *Romæ* 1743. f.
Morenæ Hiftor. Laudenfis, *exft. Tom. VI.* Rerum Italicar.
Muratorii Ludovici Antonii Delle Antichità Eftenfi. *Modena* 1717. e 1740. f.
Collectio Scriptor. Rerum Italicar. *Mediol.* 1723. &c. f.
Thefaurus Veterum Infcriptionum. *Ibid.* 1740. f.
Antiquit. Italiæ. *Ibid.* 1738. &c. f.
Annali d' Italia. *Venez.* 1746. 4.
Mutii Achill. Theatrum Bergomi. *Bergomi* 1596. 4.

N

Nazarii Joannis Baptiftæ Brefcia antica. *Brefcia* 1658. 8.
Nicephori Callifti Hiftor. Ecclefiaft. *Bafileæ* 1561. f.
Nigri Hieronymi Oratio in funere Francifci Cornelii. *Patavii* 1553. & *Tom. I.* Orationum Clar. Vir. *Venet.* 1559.
Norifii Henrici O. A. Opera. *Verona* 1729. f.
Delle Inveftiture delle Dignità Ecclefiaftiche. *Mantova* 1741. f.

O

Octavii Hermanni Vita del Ven. Aleffandro Luzzago. *Brixiæ* 1633. 4.
Oltrocchii Balthaffaris C. A. Adnotationes in Vitam latinam S. Caroli Borromæi. *Mediol.* 1751. 4.
Oudini Cafimiri Comment. de Script. Ecclef. *Lipfiæ* 1722. f.

P

Paciaudi Pauli C. R. Antiquit. Ecclef. *Romæ* 1755. 4.
Pagii Antonii fenioris O. F. Critica. V. Baronii Annales.
Palladii Vita S. Joann. Chryfoftomi, *exft. Tom. XIII.* Opp. Chryf. *Parif.* 1738. f.

Pallavicini Sfortiæ S. J. Iſtor. del Concil. di Trento. *Romæ* 1656. f.
Panvinii Onuphrii O. A. Epitome. *Venet.* 1557. f.
Paoli Sebaſtiani M. D. Codice Diplomatico di Malta. *Lucca* 1733. f.
Papadopoli Nicolai Hiſtor. Gymnaſ. Patav. *Ven.* 1726. f.
Paulini S. Nolani Opera. *Verona* 1737. f.
A S. Paulo Caroli Geographia Sacra. *Pariſ.* 1641. f.
Pariſii Matthæi Hiſtor. Major. *Londini* 1640. f.
Pennoti Gabrielis C. L. Hiſtor. Cleric. Canonic. *Romæ* 1624. f.
Peregrinii Bartholomæi Martyrolog. mſ.
Petavii Dionyſii S. J. Rational. Tempor. *Pariſ.* 1722. 8.
Pex Bernardi O. B. Biblioth. Benedict. Maurian. *Auguſt. Vindelic.* 1716. 8.
Theſaurus Anecdotor. *Ibid.* 1721. f.
Philaſtrii S. V. Galeardi.
Potère Communis Brixiæ mſ.
Puricelli Joann. Petri Monumenta Eccleſ. Mediol. *Mediol.* 1645. f.
Diſſert. Nazarianæ. *Ibid.* 1647. f.
Puſculi Ubertini Oratio de Laudib. Brixiæ mſ.

Q

Queſnelli Paſchaſii C. O. Op. S. Leon. Magni. *Pariſ.* 1675. f.
Quirini Angeli Mariæ O. B. Card. & Epiſc. Brix. de Brixiana Literatura. *Brixiæ* 1739. 4.
Decas Latinarum Epiſtolar. I. *Ibid.* 1742. 4.
Diatriba Prælimin. ad Epiſt. Franciſci Barbari. *Ibid.* 1742. 4.
Franciſci Barbari Epiſt. *Ibid.* 1743. 4.
Epiſt. ad Reverendiſs. P. Bedam. *Ibid.* 1754. 4.

R

Rabani Mauri Epiſt. *exſt. Tom. II.* Opp. Sirmondi. *Ven.* 1728. f.
Radevici de Rebus Geſtis Friderici Imp. *exſt. Tom. VI.* Rerum Italic.
Ramperti Opera. V. Galeardum.
Diploma mſ.
Raynaudi Theophili S. J. Opera. *Colon. Allogrobum* 1732.
Raynaldi C. O. Annales Eccleſ. *Colon. Agripp.* 1692. f.
Richardi de S. Germano Chronica, *exſt. Tom. VII.* Rerum Italicar.
Ricchini Auguſtini O. P. editio Operis Monetæ. *Romæ* 1743. f.
Ridolphi Notarii Hiſtoriola mſ. *exſt. Tom. II.* dell' Iſtor. di Breſcia del Biemmi.
Rinaldi Fulgentii O. C. Monumenti Iſtorici dell' antico, e nobile Caſtello d' Iſeo. *Breſcia* 1685. 4.
Riſpoſta all' Iſtoria dell' Inquiſizione compoſta da F. Paolo Servita, *ſenza luogo, anno, e nome.*
Roccaberti Joann. Thomæ O. P. Bibl. Pontif. *Romæ* 1698.
Rollandini de Factis in Marchia Tarviſina, *exſt. Tom. VIII.* Rerum Italicar.
Romanorum Pontificum Vitæ. *Romæ* 1630. f.
Roſvveydi S. J. Notæ in S. Paulinum. *Veronæ* 1736. f.
Martyrologium. *Antuerpiæ* 1613. f.
Rotæ Andreæ S. J. Memorie Iſtoriche di S. Anſelmo di Lucca. *Verona* 1733. 4.
Rubei Octavii Memorie Breſciane. *Breſcia* 1693. 4.
Lettere. *Ibid.* 1621. 8.
Elogj Iſtorici de' Breſciani Illuſtri. *Ibid.* 1620. 4.
Iſtoria de' Santi Fauſtino e Giovita. *Ibid.* 1624. 8.
Iſtoria di Breſcia mſ.
Rubeis de Bernardi O. P. Monumenta Aquilejenſia. *Venet.* 1740. f.
Ruffini Aquilejenſis Opera. *Veronæ* 1745. f.

Sambu-

S

Sambucæ Antonii Cure Sacre e Letterarie del Cardin. Quirini. *Brescia* 1746. 4.
Lettera Postuma del Cardin. Quirini. *Ibid.* 1755. 4.
Sambuci Joannis Rerum Hungaricarum. *Basileæ* 1568. f.
Sammartani Gallia Christiana. *Paris.* 1656. f.
Sanvitalis Federici S. J. Orazione in morte del Card. Quirini. *Brescia* 1755. 4.
Saussaji Andreæ Martyrolog. Gallicanum. *Paris.* 1637. f.
Saxii Josephi Antonii C. A. Notæ in Sigonium. In Landulphos.
Vindiciæ de S. Barnaba. *Mediol.* 1748. 4.
Scaligeri de Emendatione temporum. *Genevæ* 1724. f.
Schelestrates Emmanuelis Antiquit. Eccles. *Romæ* 1692.
Schiavinii Ferdinandi O. A. de Monetis, *exst. Tom. I.* Collect. Argellati.
Serinæ Georgii Oratio in adventu Vincentii Justiniani Brix. Episc. *Brixiæ* 1633. 4.
Siberi Gotifredi de Illustr. Alemannis. *Lipsiæ* 1710. 4.
Sigonii Caroli Opera. *Mediolani* 1733. &c.
Silos Josephi C. R. Historia Clericor. Regular. *Romæ* 1650. f.
Sirmondi Jacobi S. J. Opera. *Venetiis* 1728.
Sixti Senensis O. P. Biblioth. Sancta. *Venet.* 1566. f.
Soldi Christophori Istor. di Brescia, *exst. Tom. XXI.* Rerum Italicarum.
Sormanni Nicolai C. A. de Præeminentia &c. *sine anno & loco*.
Spondani Henrici Continuatio Annal. Eccles. *Lugduni* 1678. f.
Svanini Francisci Oratio gratulatoria. *Brixiæ* 1720. 4.

T

Tartarotti Hieronymi Memorie Istoriche intorno alla vita e morte de' Santi Sisinio, Alessandro ec. *Verona* 1745. 8.
De Episcopatu Sabionensi S. Cassiani Martyris. *Venet.* 1750. 8.
Tertulliani Opera. *Venet.* 1744. f.
Thiersi Joann. Baptistæ Dissertations sur les Jubez des Eglises. *Paris.* 1688. 8.
Traite de Superstition. *Paris.* 1741. 8.
Thomasii Josephi V. C. R. Codices Sacramentorum. *Romæ* 1751. 4.
Thomasini Ludovici de Disciplina Ecclesiæ. *Lucæ* 1728. fol.
Thuani Jacobi Histor. Aurelianæ. 1626. f.
Tillemontii Sebastiani Memoires pour servir á l' Histoire Eccles. *Paris.* 1702. 4.
Tobiæ Veronensis. V. Contarenum.
Tolosæ Marcelli C. R. Oratio in funere Joannis Franc. Mauroceni. *Brix.* 1596.
Totti Alexandri O. S. ms.

V

Valesii Henrici. V. Eusebii.
Ughelli Ferdinandi O. C. Italia Sacra. *Romæ* 1652. f. & *Venet.* 1719. f.
Vicecomitis Josephi C. A. de Ritibus Baptismatis. *Mediol.* 1615. 4.
Vignæ Fortunati Preliminare di alcune Dissertazioni intorno alla Storia della Città di Vicenza. *Vicenza* 1747. 4.
Vitalis Oderici Histor. Eccles. *exst. inter* Script. Nortmannicos. *Paris.* 1619. f.
Volaterani Jacobi Diarium, *exst. Tom. XXIII.* Rerum Italicar.
Vossii Joannis de Scriptorib. Latinis. *Amstelodami* 1697. f.
De Utino Jacobi Epist. ad Franciscum Barbarum. *exst. T. II.* Miscell. Venetæ *pag.* 129.
Vvaddingi Lucæ O. M. Annales Minor. *Romæ* 1740. f.
Vvarnefridi Pauli de Gestis Langobardor. *exst. Tom. I.* Rerum Italicar.
De Metensibus Episcopis, *exst. Tom. XXVII.* Biblioth. PP. Lugdun.

Z

Zachariæ Francisci S. J. de Episc. Cremon. *Mediol.* 1749. 4.
Excursus Literarius *Venet.* 1754. 4.
Zilini Jo: Bapt. Orazione in morte del Cardin. Quirini. *Brescia* 1755. 4.

INDEX

INDEX RERUM

A

Arnal-

Cassia-

Deci-

G

Hercu-

Mar-



Nummi

Thomas

MUTANDA, ET ADDENDA.

Pag. Lin.

xlvj 36 nihil alid   nihil aliud

3 15 verosimilis   verisimilis

5 18 Principisque   principisque

21 Officio, Martyris   Officio Martyris

12 23 post peregrinatus est, sequentem periodum ita refinge; non enim Galeardus, sed Fayaus ita est opinatus, cujus verba dedit Venetus Ughelli editor.

& lin. 31. posse colligi,   posse colligi?

16 prope finem notæ 4. lin. 10. col. 2. posse   potest

20 11 in dies crescente   in dies crescens

21 not. 55. namque caput &c.   Vide pag 148. not. 2.

23 14 qui Sanctis   qui in Sanctis

33 3 1107.   Vid. pag. 330 lin. 8.

49 23 verba sunt Galeard.   addit Galeardus

63 9 ista leguntur   ubi ista leguntur

69 18 in Conone   in Lambertino

75 9 post die xxvi. Septembris, adde: quem diem Iseanus populus recenti licentia solemnem habet

78 5 IN MATERNO: adde: scilicet, prope Maternum, in cujus Parochiali colitur ex vetari translatione

& lin. 32. Leneonensi, & infra   lege Leonensi

79 not. 4. lin. 35. col. 3. Hermoaldum (Malvet. pag. 848.) lege: Hermoaldum, quem ex Benevento secum duxerat Rex Desiderius, uti est a citato Leonensi Chronista narratum

col. ead. lin. 3. ante finem, & infra, Chronaca   Chronica

& col. 4. lin. 39 post Commendatario,   lege: Commendatario administratum est,

80 31 Epigraphes   Epigraphe

86 5 & 26 huc   hinc

87 13 si vellet ab eo in suam communionem. & lin. 16. reprobata. duo hæc menda corrige ex Differt. Procem. pag. xxviij. lin. 15. & 17.

90 not. 5. adversas   adversus

93 not. 2. col. 2. lin. 20. post Mabillon. in itinere Italico pag. 10. adde: De ritu sacrandi Sacella sub S. Joannis Baptistæ Præcursoris tutela, lege *Antiquitates Ecclesiasticas*, quas nuperrime Romæ edidit celeberrimus Paciaudius, in eisque pag. 2. nostras has invenies recensas inscriptiones

97 10 doctrinæ ita inclaruisse, ut sicut   doctrinæ inclaruisse: & sicut

104 4 Reliquiarum permutatione. Cave strictam interpreteris permutationem; namque ex Monachi Leonensis Chronico pag. 78. not. 4. citato, Brachium S. Benedicti e Casino ad Leonense Cœnobium centum annis ante Petronacem delatum fuisse, colligimus. Advertimus quoque, Quirinum loc. ibid. cit. demonstrare, SS. Benedicti & Scholasticæ exuvias in Casinensi Monasterio adhuc existere.

112 16 VHV. XPI. M.   YHV. XPI. R. M.

127 15 prædestinastione   prædestinatione

128 not. 17. lin. 15. de læsæ divinæ   lesæ divinæ

pag. ead. & infra loco Sirmundi,   lege: Sirmondum

138 29 post tumulatum fuit, delenda sunt reliqua; metricum enim epitaphium illius est complementum, quod in Landulpho I. dederat Galeardus: addendum vero, tumulatum fuisse in Sacello S. Chrysanti proximo Cathedrali S. Petri.

140 27 Incoronstionis, & infra   coronationis

145 15 S. CRISANTI   GRISANTI

177 5 Lectores monitos volo, me in Udulricum scribere incipientem iis usum fuisse verbis, quibus Lector colligere posset, haud omnino certam mihi videri sententiam, quæ statuit, per Episcopum simoniacum indicatum litera A. locis supra recitatis, non Adelmannum, sed Udulricum ejus Successorem, intelligi oportere. Ad eadem usurpanda illud fuit in caussa, quod manu admodum recenti cum uterer descripto Henriciani Diplomatis exemplari, in cujus notis chronicis annos exprimentibus Imperii, aliquid erroris inesse vehementer suspicabar, neque au-

tographum aut vetustius exemplar alicubi haberi, scirem ; suspicabar quoque haud temere, aliquid mendi in ipsam quoque irrepsisse chronicam notam, qua Diploma apparet expeditum, in quo tota vis argumenti posita est, ut culpa ab Adelmanno in Udolricum transferatur. At certiorem me postea cum reddiderim, & amanuensem fideliter ex veteri apographo eam notam exscripsisse, & aliarum Sedium Episcopos, qui cum Brixiano inter simoniacos recensentur, in eumdem annum incidisse, multo me magis confirmatum sentio in probanda ratione, quam in Adelmanni defensionem, ex Henriciano Diplomate cum Doneda depromsi :

178	not. 1. l. 2. sub hoc, ac sub Ulderico primo	sub Udulrico, ac sub Udurico
	& l. 5. uterque vixit Udulricus	Uduricus, & Udulricus vixere

185 9. Corrigendus est typographicus error, & loco MLXXXVI. legendum MLXXXVII. Lectorem insuper admoneo, ne anachronismum putet irrepsisse in eo, quod ipsius proximi Antecessores Joannes & Obertus, alter anno MXCVI., alter vero MXCVII. Sedem tenuisse dicuntur ; nam ex diligenti eorum, quæ commentati sumus, lectione, hic in speciem anachronismus evanescet.

	& lin. 23. MXCVII.	MXCVIII.
198	not. 40. vide ibidem	vide in Silvino & in Lambertino
202	4 in pergamena	dele duo verba illa
251	20 Annales Ecclesiasticia	Annales Ecclesiastici
257	not. 10. col. 2. l. 14. nominatur	nominetur

264 Ad hujus paginæ oram addenda nota hæc, quæ fugit nostri amanuensis oculos. Universæ hujus narrationis notitiam acceptam referre debemus Revdmo P. Marentio Astin. Abbati, quem, comite erudito Marchione Aloysio Tertio, invisimus Septembri mense ann. 1747. Deinde incidimus in P. Cavaleri ex O. P. Opus, cui titulus : *Galleria de' SS. Pontefici* &c. atque ex eo didicimus Tom. II. pag. 6., B. Guallam, abdicato Episcopatu, in Patriam & inter suos se recepisse : sed cum Ordinis sui Conventus ædificaretur, & quieti parum aptus foret, Abbatis Umbrosæ Vallis invitatu ad Monasterium Astinense demigrasse ; atque ita factum esse, ut B. Gualla Astinensis Familiæ numero adjunctus, totum se cælestium rerum dederit contemplationi.

277	(a)	
291	not. 14. Cap. secundo Prologi	Cap. secundo Differt. proœmialis
300	not. 10. Tom. IV.	Tom. XIV.
344	not. 24. l. 15. omnibus abdicatis Deo, caste	omnibus abdicatis, Deo caste
360	15. Imperator, Romanorum	Imperator Romanorum,
452	lin. 3. ante fin. XXIV.	XLIV.
464	lin. 13. in caussa	Monothelitarum in caussa
	lin. 13. ante finem, Brixiæ	Brixiam

pag. 387. lineis 24. & 25. ita refinge ; Quorum compos votorum factus est anno sequenti, quo celebrata

(a) Vide pag. seq.

pag.

Pag. 277 lin. 28. Inter verba *acceperis*, & *Sed temporum infelicitas*, insere sequentia. Sed & Alexander IV. proximus Innocentii Successor magnifecit Cavalcanum. Cum enim Insubriæ, Æmiliæ, ac Marchiæ Tarvisinæ populi ad reprimendam Ezzelini tyrannidem supplices ad Summum Pontificem confugissent: eorum precibus annuens Pontifex renovavit in eum anathematis vinculum, nostroque Episcopo demandavit, ut omni eum subsidio spoliandum curaret, sacrisque interdiceret. Bullam, quam nondum editam arbitramur, hic vulgamus. Innocentius quidem IV. anno MCCXLVIII. exeruerat adversus Ezzelinum ecclesiasticas censuras, ut ostendunt Pontificiæ Literæ apud Raynaldum ad eum annum n. 25. & 26., quem sequitur Muratorius in Annal. ad eumdem annum; at nullam postea invenio censurarum in Ezzelinum mentionem, nisi anno IV. Alexandri IV., qui incidit in annum MCCLVIII. Anno enim primo sui Pontificatus ex eodem Raynaldo solummodo exhortatus est Alexander Albericum tyranni fratrem, qui postea & ipse ab Ecclesia descivit, ad constantiam adversus fratrem: igitur nulla est in Annalibus Ecclesiasticis hujus Bullæ Brixiano Episcopo datæ mentio. Pulcherrima ea est, Sacræ Scripturæ sensa passim referens, quibus iniquissima Ezzelini agendi ratio omnium oculis subjicitur. Eam igitur hic vulgamus ex Autographo pergameno, quod ex Chartulario laudati Conventus S. Dominici summa nobis humanitate exscribendum dedit diligentissimus Ecclesiasticarum chartarum perscrutator R. P. Magist. Hyacinthus Rosa Pavonus O. P.: plumbum adhuc pendet, cujus in altera parte legitur:

ALE
XANDER
P. P. IV.

in altera eminent capita SS. Pauli & Petri, quos summo inditæ plumbo indicant literæ istæ:

SPASPE.

„ ALexander ēps Servus Servor. Dei. Venerabili fratri.
„ Epō Brixieñ. Sal. & aplīcam ben. In curandis plagis
„ anime Ezelini de Romañ. de quarum contagio plurimos
„ pernicies detestanda possedit, multum diuq; catholice ecclīe
„ modestia laboravit. interdum compunctionis vinum in in-
„ crepationib; amaritudinis salutaris interdum lenitatis oleum
„ in paterne mansuetudinis admonitionibus abhibendo. Sed
„ ex eo videntur vitiorum mala que patitur non habere fir-
„ mamtum aliquod ad salutem qd de aplice circa eum solli-
„ citudinis cura tot invigilante remediis expectata curatio non
„ provenit. Ascendit enim contra dominum superbia ejus semp.
„ qui nervo pertinacie rigidus nec ad penitentiam p. acerbitatem
„ discipline conteritur nec ad humanitatem quam inhumaniter
„ exuit per miserationis dulcedinem mitigatur. In precisione
„ itaq; ipīus ab universali fidelium corpore quod idem velut
„ stupida 7 jam somenta non sentiens caro ledit bis acuto po-
„ testatis ecclīastice gladio pro salute non tam ipīus quam
„ omnium decetero est utendum. Quem enim locum in eo
„ palpare ultra poterit manus medicinalis ut sanetur pietas
„ pastoralis ut salvetur qui se curare volentem similem repu-
„ tat

„ tat occidenti? qui pactum cum inferno 7 solidum fedus videtur fecisse cum morte, virtutem reputans cumulare scelera, devorare homines, humano sanguine insatiabiliter animam saturare, ac molles existimans delicias esse sub sentib, peccator.? Ecce quidem infausta illa regio, dudum florida 7 jocunda preceteris nūc magis lugubris & squalida inter omnes illum habens ex durissimo iudicio divine severitatis indigenam vehementer exclamat, 7 fulci ejus deflent sup. occisor. suor. sanguine contra ipm̄, qd eam assidue habitatorib, vindemiat 7 conculcat, qd eam ut ferus depascitur singularis, 7 non est propudor qui eam liberet ex omnibus filiis, ex omnibus proximis, ex om̄ibus caris ejus, aut pro ipā consurgat, in qua homo ille demergit leges iniuriis, 7 confundit violentis oppressionibus ingenuas libertates. Quia ergo tantum malum maxime fovet 7 prorogat, inhumanitatem ejus hominum suffragio 7 consortio roborari. fraternitati tue p. aplīca scripta districte precipiendo mandamus quatinus non solum prefatum. E. ac omnes dantes ei consilium auxilium aliquod vel favorem, verum etiam om̄es illos qui cum ipō vel aliis hominib, Terrarum marchie Tervisine sibi adherentibus vel ejus Tyrampnidi 7 potestati subiectis in mercimoniis vel aliis quibuscunque negotiis presumpserint aut suos subditos contrahere vel communicare permiserīt, aut societatem vel commercium inire cum eis, excommunicatos publice ac sollempniter denunciare auctoritate n̄ra procures, candelis accensis 7 pulsatis campanis singulis diebus dominicis 7 festivis, 7 facias in om̄ibus ecclīis tue Civitatis & dioc. nuntiari. Contradictores p. censuram ecclīasticam appellōne postposita compescendo. Mandatum n̄rm taliter impleturus qd non cadas in aplīce redargutionis iudicium pro incuria ūl neglectu. Sane quia Cursores n̄ros sup. hoc literas deferentes pervenire ad singulos quibus scribitur sine more dispendio non valerent, volumus 7 mandamus, ut per tuos nuntios studeas huīmodi deferre mandatum ad vicinor. notitiam prelator. Dat. Anagnie xv Kl. Iulii pontificatus n̄ri anno primo.

D. O. M.
Divisque Brixianæ Ecclesiæ Tutelaribus
Sacrum.